COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM.

XLI.

PATRES QUARTI ECCLESIÆ SÆCULI.

S. EPHRÆM.

TITUS BOSTRENSIS.

S. DAMASUS PAPA.

VIII.

PROSTAT INSUPER VENALE

MONTIS PESSULANI,

APUD **VIRENQUE**, BIBLIOPOLAM;

PARISIIS,

APUD **BIBLIOPOLAM**, CUI NOMEN GALLICE;

SOCIÉTÉ POUR LA PUBLICATION DES BONS LIVRES.

Rue des Saints-Pères, 16

PARISIIS, E TYPOGRAPHEO BETHUNE ET PLON,

VIA VULGO DICTA DE VAUGIRARD, 36.

COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM,

COMPLECTENS

EXQUISITISSIMA OPERA

TUM DOGMATICA ET MORALIA, TUM APOLOGETICA ET ORATORIA;

ACCURANTIBUS

D. A. B. CAILLAU,

CANONICO HONORARIO CENOMANENSI ET CADURCENSI,

NONNULLISQUE CLERI GALLICANI PRESBYTERIS,

UNA CUM

D. M. N. S. GUILLON,

EPISCOPO MAROCHIENSI, IN FACULTATE THEOLOGIÆ PARISIENSI ELOQUENTIÆ SACRÆ PROFESSORE, AUCTORE LIBRI CUI TITULUS GALLICE:

BIBLIOTHÈQUE CHOISIE DES PÈRES GRECS ET LATINS.

OPUS REGI DICATUM.

TOMUS QUADRAGESIMUS PRIMUS.




PARISIIS,

APUD PARENT-DESBARRES, EDITOREM,

VIA VULGO DICTA DE SEINE, 48.

M. DCCC. XXXV.


THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S
COLLEGE
LIBRARY

S. P. N. EPHRÆM
SYRI
OPERUM.

CLASSIS XIII. — DE VITA ASCETICA.
CLASSIS XIV. — EPISTOLÆ.
CLASSIS XV. — PRECATIONES, CANTICA ET HYMNI.
CLASSIS XVI. — CANTICA ET HYMNI.

S. P. N. EPHRÆM
SYRI
OPERUM.

CLASSIS XIII. — DE VITA ASCETICA.

SERMONES PARÆNETICI
AD MONACHOS ÆGYPTI.

PARÆNESIS I.

PROLOGUS.

Gloria tibi, Deus, gloria tibi : iterumque dicam : Gloria tibi, Deus superlaudatus et superexaltatus in sæcula. Omni tempore, charissimi, gratias agere debemus Deo, qui dignatus est nos suavi jugo suo, et liberavit nos a caducis et corruptibilibus mundi rebus. Statutum est mihi sermones subministrare, quales lumine gratiæ occurrunt menti meæ. Loqui autem volo, non in doctis sapientiæ verbis [1] : nam et ego homo sum idiota, ac vilissimus. Verumtamen quia argute dicta non omnibus sunt perspicua, et iis potissimum, qui non degustarunt sapientiam mundanam : idcirco cla-

[1] 1 Cor. II, 4.

ram oportet proferre orationem, quam assequi possint qui legunt, secundum beatum Apostolum : « Si enim, ait, nes» ciero virtutem vocis, ero ei, cui loquor, barbarus, et qui » loquitur mecum, mihi barbarus [1]. » Potens est autem sermo Spiritalis persuadere obtemperantibus fidei, etiam absque grammatica et rhetorica. Benedictus autem Deus, qui cunctis cuncta præbet, et unumquemque, quantum expedit, illuminat. Id vero captum meum excedere, non sum nescius. Sed scriptum est ; « Tempus tacendi, et tempus » loquendi [2]. » Quam ergo excusationem in die judicii habituri sumus, non succurrentes pro viribus imperitia laborantibus, et maxime tempore isto, quo fluctibus perversæ doctrinæ pravique consilii agitantur? Leo enim cruentus, et veritatis inimicus non cessat eos, qui non valde attendunt, decipere : non quidem humanas carnes devore volens, verum animas secum in gehennam trahere gestiens. Quot putatis post abdicationem rerum terrenarum, iterum perturbationibus ac passionibus ignominiosis per eum subigi? Quot post prima religionis elementa tradita, effecit apostatas, et habitu ipso spoliavit? Quare a via non est aberrandum : sed frater adjutus a fratre, laqueis diaboli capi nequit. Nos autem cum Apostolo dicimus : « Non quod suf» ficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis ; » sed sufficientia nostra ex Deo est : qui et idoneos nos fecit » sibi ministros, licet indignos [3]. » Vobis autem concedat Dominus suscipere verbum instar terræ bonæ, ut perfectum multiplicemque fructum in justitia referatis Christo Salvatori nostro : cui sit gloria in sæcula. Amen.

[1] 1 Cor. XIV, 11. — [2] Eccl. III, 7. — [3] 2 Cor. III, 5, 6.

PARÆNESIS II.

Adhortatio ad pietatem.

I. Charissime, divina gratia Christianus es? Serva mandata Domini nostri Jesu Christi, et salvaberis. Scriptum est enim : « In veritate comperi, quia non est personarum » acceptor Deus : sed in omni gente, qui timet eum, et » operatur justitiam, acceptus est illi [1]. » Si autem volueris etiam ad perfectam vitæ monachorum rationem contendere, ut et melioribus potiaris : scito quod, nisi ita statueris, jam te ex hac vita migrasse, mundumque istum cum omni gloria sua instar umbræ evanescere ; non poteris affectiones terrenas et concupiscentias mundanas superare; quæ quidem demergunt homines in perniciem carnis atque perditionem. Verax enim est, qui ait : « Si quis vult post me » venire, abneget se ipsum, et tollat crucem suam, et se» quatur me. Qui enim voluerit animam suam invenire, » perdet eam. Qui autem perdiderit eam propter me, inveniet » eam. Quid enim proderit homini, si universum mundum » lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur : aut quam » dabit homo commutationem pro anima sua [2]. » Neque enim est labor fundamentum jacere, sed ædificium perficere. Quanto enim amplius in altum erigitur ædificium, tanto major labor relinquitur ædificanti usque ad perfectionem operis. Audiamus salutarem vocem dicentis : « Quis » enim ex vobis volens turrim ædificare, nonne prius sedens » computat sumptus, si habeat ad perficiendum? ne postea-

[1] Act. x, 34, 35. — [2] Matth. xvi, 24-26. Marc. viii, 34-36, et Luc. 23-25.

» quam posuerit fundamentum, et non potuerit perficere, » omnes qui vident, incipiant illudere ei, dicentes : Quia » hic homo cœpit ædificare, et non potuit consummare [1]. » Bellum quidem militum, breve : sed monachi pugna, quoad usque emigret ad Dominum, durat. Idcirco omni cum studio ac vigilantia et patientia opificium auspicari oportet. Si igitur, dilectissime, leonem jugulare tentes, firmiter apprehende, ne forte tibi confringat ossa instar vasis testacei. Si vero te ipsum in mare præcipitem dederis, cave abjicias animum, donec ad terram evaseris, ne forte in profundum descendas tanquam lapis.

II. Frater, si ad certamen ingrediaris, sobrius esto ac vigilans, ne forte adversarius tuus victor evadens, supergaudeat tibi, et pro corona contrarium referas. Quicumque igitur cupit esse monachus, ad fortiter resistendum se promptum exhibeat : ne ingressus, dicat ignorasse se quod ista sibi eventura essent. Ecce præscivisti ista, ut et tu cogitationem tuam componas, sciens quod in hoc manifestabitur tua probatio. Intellige quod dicitur, charissime, ne hodie pro foribus consistens, interrogatusque dicas : « Omnia suffero ; » cras autem in verbis et operibus detrectes. Angeli enim Dei astant, audiuntque omnia de labiis tuis procedentia. Vide, charissime, quod nemo te cogit : et si vere et ex animo hoc institutum cepisti, cave mentiaris, quoniam Dominus perdit omnes, qui loquuntur mendacium. Hæc igitur ad Deum accedenti contingunt : primo quidem tentatio, deinde tribulatio, postea labor, tædium, nuditas, passiones, angustia, contemptus. Atqui in istis apparet patientia ante probatio fidelium : et in his omnibus superior est, qui se ipsum ex toto corde gubernationi divinæ offert, voluntatis ejus imperio se subdens. Bonum enim tantummodo a nobis propositum postulat atque requirit Deus, et

[1] Luc. XIV, 28-30.

ipse nobis fortitudinem subministrabit, concedetque victoriam, sicut scriptum : « Protector est omnium sperantium » in se [1]. » Rursusque ait : « Prope est Dominus omnibus » invocantibus ipsum in veritate : voluntatem timentium se » faciet, et deprecationem eorum exaudiet, et salvos faciet » eos [2]. »

III. Orate autem et pro nobis, obsecro, ut quæ sumus dicturi, Domino nobis dante, sine reprehensione peragamus. Non enim, quasi ad hanc mensuram pervenerimus, vos adhortari statuimus; sed invocato prius Domino Jesu Christo datore et largitore gratiæ verbi, incipimus sermonem exercere, ut simul et juvemur et juvemus. Nam si ii, qui dicuntur pigmentarii, sive pharmacopolæ, studiose inquirunt radices ac species herbarum, easque in scriptis tradunt : et hoc dispensationem divinam ostendit in solatium infirmorum secundum carnem, nonne multo magis debemus thesaurum gratiæ ab eo donatum promulgare? nequaquam enim effugit pœnam servus nequam, qui talentum Domini sui per negligentiam abscondit. At quis super me non ingemiscat, qui fictitium mihi nomen monachi attribuo? Quis super me non plangat, qui pietatem et patientiam deperdidi? Et quid agam, quando me visitaverit dominus meus Christus? Ideo precor, charissimi, orate pro me servo inutili, ut ex præsenti sæculo nequam liberer, et gratia ejus mihi labia aperiat, ad glorificationem sanctæ et consubstantialis Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti. Quia in manu ejus et nos et sermones nostri. « Ipse enim est » qui hominum docet scientiam [3]. » Ipsi gloria in sæcula. Amen.

[1] Psal. XVII, 31. — [2] Id. CXLIV, 18. — [3] Id. XCIII, 10.

PARÆNESIS III.

Ad monachos novitios.

I. Charissime, si sæculo renuntians ad fratres ingressus sis, inciderisque in cœnobium fratrum, cum iis vivere et Domino nostro Jesu Christo servire cupiens; conspexerisque ibi fratres quosdam immodeste atque incomposite incedentes, aut quæ non placent Deo loquentes : tu cave ipsis aut eorum sermonibus attendas : sine eos loqui sibi ipsis. Qui enim loquuntur displicentia Deo, ipsi Deum non timent, vitam in negligentia transigentes : os eorum semper loquitur superba. Tu autem Deum præ oculis habe. Scriptum quippe est in Psalmo : « Providebam Dominum in » conspectu meo semper : quoniam a dextris est mihi, ne » commovear [1]. » Et ne te serpens callidus dicere doceat : « Quod si senes isti improbæ sint conversationis, ego qui sum junior, quid agam? sed Dominum audi dicentem : « Multi vocati; pauci vero electi [2]. » Salvari igitur exopta, ut sis unus inter electos. Qui enim malum committunt, sive in cœnobio, sive in qualicumque loco, ipsi filii sunt hostis nequam, assimilati zizaniis in medio triciti. Esto igitur tu triticum, ut congregeris in horrea Domini, et non instar zizaniorum comburaris igne inextinguibili. Verum neque judicemus quemquam; non enim ejus novimus pœnitentiam : neque si ridentem, aut quia loquentem aspexerimus : cum nobis exploratum non sit, quomodo in sua cella vitam degat, aut cujusmodi erga Deum laborem subeat. Ideo unumquemque nostrum oportet sibi attendere : quia

[1] Psal. xv, 16. — [2] Matth. xx, 8.

singuli nostrum Deo rationem reddituri sunt. Toto corde tuo attende psalmodiæ, et lectioni divinarum Scripturarum, et utilitatem ex iis manantem in anima tua combibe, sicut infans matris sugit ubera. Ex iis quippe virtutum disces præmia, eritque gaudium et exultatio cordi tuo.

II. Mansuetum te præbe, et morigerum, atque prudentem, mansuetum quidem, ut si te vel puer compulerit, sequaris ipsum; et opere tuo confecto, tacens revertere in cellam tuam; ac labiis silens, corde ora. Obedientem vero, ut castitatem tui corporis, tanquam pretiosam margaritam conserves in Domino. Vestium ornatu non delecteris, et parentum divitiis non efferaris : « Qui enim gloriatur, in » Domino glorietur [1]. » Omnis quippe caro fœnum, et om- » nis gloria hominis tanquam flos fœni : exaruit fœnum, et » flos ejus decidit; verbum autem Domini manet in æter- » num [2]. » Oculos in terram defixos habe, animam vero in cœlos. Cum adolescentulo nimiam familiaritatem caveto : cum muliere vero, etiam loqui superfluum ducito. Cum puero verba ne multiplicaveris; cum ebriis vero, et inobedientibus, risuique deditis non commiscearis ; at in timore Dei omni tempore persiste, quemadmodum ait Apostolus : « Sapienter ambulate, redimentes tempus, quoniam dies » mali sunt. Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelli- » gentes, quæ sit voluntas Dei, et nolite inebriari vino, in » quo est luxuria [3]. » Et rursus : « Ut is, qui ex adverso est, » vereatur, nihil habens malum dicere de vobis [4].

[1] 1 Cor. 1, 31.— [2] Isaï. XL, 7, 8.— [3] Ephes. v, 15-18.— [4] Tit. II, 8.

PARÆNESIS IV.

De eodem argumento.

I. Charissime, ecce aliud tibi servandum commendo depositum in Domino, quod si custodieris, in fine lætitiam atque jucunditatem tibi retribuet. Si, vana hujus sæculi vita abdicata, ingressus fueris cœnobium plurium fratrum, cupiens fieri monachus, vide ne te decipiat inimicus ad exeundum cœnobio tentans, antequam sanctum monachi indumentum assumas; ut ne ad extremum te vehementer pœniteat, sed perfer; bona jaciens fundamenta cum omni humilitate. Supervenientes vero atque immissas ab inimico tentationes ne pertimueris, verum suffer ac tolera, ut beatitudinem consequaris; scriptum quippe est : « Beatus vir » qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, » accipiet coronam vitæ, quam repromisit Dominus dili» gentibus se [1]. » Cupis autem non succumbere tentationibus? omnem tuam voluntatem abscinde. Si vero et bona tibi res videatur, quæ a tuo præfecto in Domino non bona judicetur; crede illi in Domino. Nam contentiosum esse ac pertinacem, proprioque consilio duci, subversionis signum extitit; novitius enim cum quis sit et inobediens, contumeliosum probrisque obnoxium sibi nomen conciliat. Dicit enim in Psalmo : « Servite Domino in timore, et exul» tate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, nequando » irascatur Dominus, et pereatis de via justa [2]. » Qui igitur justitiam diligit, non peribit; at qui disciplinam aversatur, sibi ipsi damnum infert. Quemadmodum autem in dolium

[1] Jacob. I, 12. — [2] Psal. II, 11, 12.

immitti vinum simul et acetum nequeunt : sic neque in solitaria vita virtus simul degere cum dissolutione poterit. Fidemque hujus tibi faciat Apostolus : « Quæ enim con» ventio Christi ad Belial ? aut quæ societas luci ad tene» bras [1]. »

II. Ama igitur temperantiam summopere, ut divini Spiritus tabernaculum efficiaris. Et quandoquidem vitæ monasticæ habitum ferre meruisti, ne sic, quæso, cogitationibus consentias; siquidem te a fraternitate separe voluerint, ne forte a juventute tua discas esse vagabundus et instabilis. Vide autem, ne pietatem, quam dum ingredereris habebas, deperdas ; sed eam ad finem usque retinere contende. Maledicentia autem, vel jusjurandum nec nominetur in labiis tuis, sicut decet sanctos [2] : sed humilis esto, et in omni tua responsione hoc verbum, « Ignosce, » adhibeto; ut inutiles sæculi mores abs te evellas ac destruas; vitamque Deo gratam ducens, ab eo laudem obtineas. Cum vero jam monachismum inchoaveris, ne aurum, argentum vestesque desideres ; verum cuncta in cœlum tibi præmittens secundum Salvatoris nostri Jesu Christi præceptum, hæc tibi acquire, fidem, continentiam, patientiam, humilitatem, et reliqua, quæ Deus ex sua benignitate tibi præbebit. Cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

PARÆNESIS V.

De eodem argumento.

Si quis a magna vani sæculi existimatione ad monachatum accesserit, se ipsum a fastus et arrogantiæ dæmone

[1] 2 Cor. VI, 14, 15. — [2] Ephes. V, 3.

custodiat oportet, ne in spiritum superbiæ et inobedientiæ incidat, sibique ipsi detrimentum afferat. Non tibi hic, charissime, sit pudor, quod sub obedientia vivas in Domino, neque quod propriis opereris manibus bonum. Nam exigua ista angustia et tribulatio, quam Domini causa toleras, vitam tibi æternam conciliabit. Et quid amplius dicam? Sicut enim qui drachmam unam cum decem millibus talentorum auri commutat; ita et vitæ monasticæ tribulatio, ad futuram tribulationem comparata, quæ improbe ac perdite viventibus contingit. Exigua igitur præbes, et magna tibi redduntur. Advigila ergo, dilectissime, tanquam bonus miles; gratiam, quæ in te est, non neglexeris, ne forte utrumque in te eveniat, ut et homines contristes, hoc est, tuos secundum carnem parentes; et Deo non placeas. Verum decerta, ut et videntes te, glorificent Deum super bona conversatione tua; scriptum quippe est : « Qui timent Do» minum, videbunt me, et lætabuntur [1]. » Et rursum, « Pax » multa diligentibus legem tuam, et non est illis scanda» lum [2]. » Propterea custodi te a superbia, et Dominus pars tibi erit. Cui gloria in sæcula. Amen.

PARÆNESIS VI.

De eodem argumento.

Charissime, si bona ac pulchra jeceris principia, sic et senectutem tuam Deo gratam et acceptam traducas, erisque instar luminaris, quod multos in via illuminat Domini. Sin autem ab utero malus et non rectus exieris, ipsam quoque vitam misere transiges. Forte igitur ac validum

[1] Psal. CXVIII, 74. — [2] Ibid. 165.

fundamentum colloca, ut opus in altum ascendat. Ante omnia autem, frater, Deum time, ipsumque toto corde tuo glorifica, ut ipse cum omnibus sanctis suis te glorificet. A juventute tua mansuetissimam sapientiam acquirito, eamque ad extremum usque spiritum non relinquito. Hæc enim in semitas justitiæ deducet te, erisque vas electionis a juventute tua, et honorabilis in senectute tua; obtinebisque laudem apud Deum; et homines in te magnificabunt Dominum. Si igitur a præfecto in manus fratris sis traditus, non tibi tacita mentis cogitatione dicere videaris: « Ego quidem magnorum et illustrium parentum sum filius; hic autem nullius existimationis et mendicorum filius; aut sæpe etiam ex servorum turba originem ducit, et quomodo ego huic subesse atque obedire potero? ignominia enim mihi erit, si istud fecero. » Ne talia tecum cogitaveris, charissime; non enim prudens hanc cogitationem suscepisti. Nam qui ejusmodi cogitat, nondum veterem hominem exuit, « Qui corrumpitur secundum desideria erroris [1]. » Nos autem, dilectissime, tanquam a Deo commendati in obsequium concordibus fratribus, sufferamus, ut digni efficiamur libertate justorum; mente recolentes omnium Dominum, « Qui cum esset dives, propter nos pauper per » est factus, ut nos illius inopia divites essemus [2]. » Charissime, collum jugo ipsius submitte, ut requiem animæ tuæ invenias, quia scriptum est : « Immundus coram Domino » omnis qui elato est corde [3]. » Quoniam ipsi est gloria in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Ephes. IV, 22. — [2] 2 Cor. VIII, 9. — [3] Prov. XVI, 5.

PARÆNESIS VII.

Ad monachos novitios de opere manuum.

Opus quoque manuum non negligas. Nam sæpe tibi cogitatio suggerit dicens : « Nunquam manuale istud opus addiscere poteris ; debilis enim es, ac negligens, et operis hujus labores sufferre in finem usque nequibis. Nam ecce tua membra præ labore defatigari ac frangi cœperunt ; non enim laboribus es assuetus. » Cæterum transiens, abi unde venisti ; nam et ibi, inquit, si timere Deum volueris, salvaberis, At tu, tanquam fidelis, non frangaris ejusmodi cogitationibus : sed Dominum expecta, qui te ad suum invitavit regnum et gaudium. Ipse quippe dixit : « Amen amen dico » vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis » monti huic : Transi, et transibit : et nihil impossibile erit » vobis [1]. » Et nos ergo, charissimi, sustineamus ; non enim in hominem, qui salvare nequeat, speramus ; sed in Deum, qui salvos facit sperantes in se. Sicut scriptum est : « Qui » confidunt in Domino, sicut mons Sion [2]. » Et rursus beatos prædicat Spiritus sanctus eos, qui sperant in Domino, dicens : « Domine Deus virtutum, beatus homo qui sperat » in te [3]. » Sustine ergo, o dilecte a Domino. Nonne si litteras disceres, vexationem sustineres ? quod si opificium aliquod sæculi ; nonne laborem subires ? Nonne ergo multo magis cuncta propter Dominum sufferre debemus ? Scriptum quippe est : « Labores palmarum tuarum manducabis ; » beatus es, et bene tibi erit [4]. » Et Apostolus admonet,

[1] Matth. XVII, 19, et Luc. XVII, 6. — [2] Psal. CXXIV, 1. — [3] Id. LXXXIII, 13. — [4] Id. CXXVII, 2.

dicens : « Operantes propriis manibus quod bonum est : » ut scilicet non solum vobis quod edatis, laborando cure» tis ; sed etiam ex propriis laboribus habeatis, unde neces» sitatem habenti tribuatis [1]. » Studium ergo omne nostrum in eo sit, ut a peccatis nostris liberemur : nam si ipsi voluerimus, liberabimur. Ipse quippe dixit : « Petite, et da» bitur vobis : omnis enim qui petit, accipit : et qui quærit, » invenit ; et pulsanti aperietur [2]. » Ipse enim est, qui thesaurum pœnitentiæ non deficientem mundo largitur. Ipsi gloria in sæcula. Amen.

PARÆNESIS VIII.

De perseverantia.

De scandalis porro occurrentibus, novimus eum, qui ait : « Nolite judicare, et non judicabimini. In quo enim » judicio judicaveritis, judicabimini, et in qua mensura » mensi fueritis, remetietur vobis [3] : » et quæ sequuntur. Ut vero cogitationem tuam adjuvare possis, animo revolve, quomodo justus Lot in Sodomis commoratus sit [4] ; sed nequaquam illorum abductus est superbia atque lascivia : quare et salvatus est, sicut scriptum reperitur : « Visu enim » atque auditu dum justus inter eos habitaret, quotidie ani» mam justam operibus illicitis torquebant [5]. » Sed quid infert, dicens : « Novit Dominus pios de tentationibus eri» pere, impios autem in diem judicii cruciandos servare [6]. » et reliqua. Ne ergo hodie continentia, atque mansuetudo, et cras incontinentia atque superbia. Ne hodie silentium,

[1] Ephes. IV, 28. — [2] Matth. VII, 7, et Luc. XI, 9. — [3] Matth. VII, 1, 2, et Luc. VI, 37, 38. — [4] Gen. XIX. — [5] 2 Petr. II, 8. — [6] Ibid. 9.

vigiliæ et humilitas; cras autem distractiones, somnus insatiabilis, inobedientia, et his similia. Ne hodie renuntiatio sæculi, et abdicatio rerum terrenarum, ac valedictio patriæ et amicorum, parentumque carnalium, propter spem in Dominum; cras autem nostram regionem et patriam, atque hæreditatem inquiramus, demergentes nosmetipsos in plurima mala. Uxor siquidem Lot retrorsum conversa in statuam salis mutata est [1]. Quare et Dominus instruit, dicens : « Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno cœlorum [2]. » Quare semper in mente diem illum habeto, quando exutus omnibus, propter Dominum reliquisti sæculum, et quando divino incensus eras timore, fervensque spiritu in Dominum : ac idem institutum retine usque ad finem : « Qui enim perseveraverit usque ad finem, hic salvabitur [3] : » ut mercedem laboris referas atque operationis una cum vita æterna. Quoniam ad Deum verum accessisti, omniaque contempsisti, ut Christum lucrifacias. Cui gloria in sæcula. Amen.

PARÆNESIS IX.

De obedientia.

Circa tempus etiam noli esse negligens : nam quibusdam inimicus suggerit desiderium suscipiendi habitus præter tempus; ut frater vim cupiditatis non ferens, stadium fugiat. At tu, charissime, quippe qui Deo placere studeas, patientem te præbe atque longanimem : cum dicat Apos-

[1] Gen. XIX, 26. — [2] Luc. IX, 62. — [3] Matth. X, 22, et Marc. XIII, 13.

tolus : « Sed etsi potes fieri liber, magis utere [1]. » Generationes porro antiquas respice, et vide quo pacto Sancti omnes per longanimitatem et patientiam adepti sint repromissionem. Consolemur ergo et cohortemur nos ipsos quotidie, ut eorum cohæredes inveniamur in regno cœlorum. Primum quidem patriarcha Jacob nonne quatuordecim inservivit annos, propter Rachel, Laban Syro in Mesopotamia, in calore diei, et gelu noctis? Similiter autem et Joseph dilectus nonne multis annis servivit in terra aliena? Sicut scriptum est : « Et erat Joseph septemdecim » annorum, dum oves pasceret cum fratribus suis [3]. » Rursusque ait : « Triginta annorum erat Joseph, quando stetit » in conspectu regis Pharaonis [4]. » Similiter vero et Moyses servus Domini quadraginta annis incola fuit ac peregrinus in terra Madian. Et filii Israël post annos quadraginta in terram ingressi sunt promissionis [5]. Item et Daniel vir præclarus una cum tribus pueris, qui fornacis ignem rorem per fidem effecerunt, servitutem et tribulationes atque opprobria in terra aliena pertulerunt, quare et salvati sunt [6]. Nos autem ne minimam quidem molestiam sufferre volumus; nam quia non credimus, patientia longe recedit a nobis. Sic enim dolori te ipsum tradidisti, ac si ob alienum deperditum depositum, in captivitatem abiisses. Alacritatem tibi ipsi adhibe in Domino, et viriliter age tanquam fidelis, ne quando præ multa tristitia firmitatem ac robur animi deperdas, et in fine te pœniteat. Perpende igitur animo, charissime, eos, qui in exilio, et in metallis, atque acerba servitute torquentur, et subditus esto præfecto tuo in Domino. Quod si humano more potius servitutem reputas, quam propter Deum sustines, quis obsecro unquam pro rege ignominia affectus, non potius injuriam pro glo-

[1] 1 Cor. VII, 21. — [2] Gen. XXIX. — [3] Id. XXXVII, 2. — [4] Id. XLI, 46. — [5] Exod. II, Id. XIV et XV, et Num. XIV. — [6] Dan. III.

ria arbitratur? Verum sæpe forte dicturus es, quod res laborem in se atque molestiam contineat. Hei mihi peccatori et servo inutili! Si laborem propter Dominum sufferre nolumus, quorsum e sæculo exivimus? Quis, dilectissime, dignus est, ac sic felix, ut pro eo patiatur, qui pro ipso est passus? Exigua, charissime, præstas, et magna reportas. Patientia porro nobis est necessaria, ut Dei voluntatem facientes, promissiones ejus consequamur. « Qui enim in » finem usque perseveraverit, hic salvabitur [1]. »

PARÆNESIS X.

De pravis cogitationibus.

I. Ne frangaris frater ab ingruentibus cogitationibus; principium enim est certaminis. Perdisce autem ex fluviali lacu; quando enim pluerit, et benedictio aquæ in lacu collecta fuerit, initio quidem turbata est aqua; quanto autem diutius persliterit, purior redditur ac clarior. Cæterum ne abjicias animum, o dilecte. Scriptum quippe est: « Torrentes iniquitatis conturbaverunt me [2]. » Rursusque in alio dicit Psalmo : « Repleta est malis anima mea, et » vita mea inferno appropinquavit [3]. » Ideoque dicit : « Do- » minus mihi adjutor, et non timebo quid faciat mihi » homo [4]. » Quando ergo obrepserit menti tuæ prava cogitatio, cum lacrymis ad Dominum exclama, dicens : « Domine, propitius esto mihi peccatori, et parce mihi, benignissime. Malum a nobis, Domine, funditus evelle. » Cordium enim scrutator est Deus, et novit cogitationes, quæ ex male-

[1] Matth. x, 22. — [2] Psal. xvii, 5. — [3] Id. lxxxvii, 4. — [4] Id. cxvii, 6.

volo animo procedunt, novitque suggestiones, quæ nobis a dæmonum amaritudine inferuntur. Hoc autem scito, quod quanto certaveris et sustinueris in serviendo Domino, tanto purior tibi mens redditur et cogitationes. Ait enim Dominus noster Jesus Christus: « Omnem palmitem in me » non ferentem fructum, purgabo eum, ut fructum plus » afferat [1]. » Velis modo salvari; quoniam Dominus amat, et cooperatur iis, qui ut salventur, sunt solliciti.

II. Audi porro et parabolam adversus turpes et sordidas cogitationes. Uva dum ex vite fuerit vindemiata, et in torcular projecta atque calcata, vinumque suum dederit, et in vasa immissa fuerit; tantum initio vinum ebullit, quantum ab ardentissimo labro succensum est : ita ut vasa quantumvis præclara non ferentia violentiam, præ contentione atque vigore rumpantur et diffluant. Sic quoque hominum cogitationes, quando ex vano hoc sæculo ejusque sollicitudinibus transferuntur ad cœlestia. Siquidem dæmones zelum non ferentes, multifariam multisque modis hominis mentem perturbant, turbidam ei eversionem admiscere volentes; ut si vas obnoxium ac fragile invenerint, mox perfodiant illud, hoc est, animam infidelem ac duplicem. Sunt enim dæmones lupis rapacibus similes, qui obeunt monachorum cellas, januam sibi apertam inquirentes; ut intro insilientes, animam ipsis obedientem corrumpant. Sin autem ostium repererint occlusum, in faciem suam mœsti concidentes recedunt; dico autem de anima in fide fundata. Ne ergo timeas, neque verearis a versutia et calliditate eorum; non enim nocere tibi poterunt, Christum adjutorem habenti. Ait quippe Apostolus : « Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris; sed virtu» tis, et dilectionis et sobrietatis [2]. » Quin et ipse Dominus ad suos dixit Discipulos. « Videbam Satanam sicut fulgur

[1] Joan. XV, 2. — [2] 2 Tim. I, 7.

» de cœlo cadentem : et ecce dedi vobis potestatem calcandi » supra serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem » inimici, et nihil vobis nocebit [1]. » Idcirco, charissime, viriliter age, et confortare in Deo tuo, quia in æternum misericordia ejus. Si porro etiam nobis parentum secundum carnem memoriam adducunt, dicamus ad eos melius esse parentes contristare, quam Dominum. Quod si divitias quoque nobis in medium attulerint, ad eos dicamus : « Scriptum est : « Thesaurizas, et nescis cui congregabis ea [1]. » Ac rursus : « Simul insipiens et stultus peribunt, et relinquent » alienis divitias suas [2] : » ut mihi quidem peccata ac culpas, aliis vero pecunias : non expedit mihi hoc; est enim malitia multa. Ideo neque thesaurizare in terra edocti sumus, ubi ærugo et tinea demolitur, et fures perfodiunt atque furantur. Ubi enim thesaurus tuus, ibi et cor tuum erit. Benedictus autem Deus, qui fortitudinem nobis adversus hostes invisibiles largitur. Cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

PARÆNESIS XI.

De ignavia et contentione.

Decerta, frater, tanquam bonus miles Christi, donec tempus suppetit; quia non super corruptibili corona tibi certamen propositum est; verum de peccatorum expiatione et vita æterna. Vindica ergo tibi in cunctis operibus tuis humilitatem, quæ est mater obedientiæ. Projice autem abs te animi duplicitatem, et in omnibus fidem induere, ut Dominus cernens animi tui promptitudinem, confirmet te

[1] Luc. x, 18, 19. — [1] Psal. xxxviii, 7. — [2] Id. xlviii, 11.

in opere. Vehementer porro ignaviam et contentionem detestare cum omni perversa voluntate et invidentia : quippe qui propter Dominum reliquisti parentes tuos secundum carnem, amicos et facultates; nam si ab initio in cogitationibus relaxatus fueris, molestiam consequeris et damnum. Si ergo aliquando acciderit nobis, vel modicum amore Domini laborare, vel etiam supra vires, ne obmurmuraverimus. Nam qui murmurat, se ipsum declarat non ex proprio laborare instituto ac voluntate. Tu igitur tanquam prudens, ne contenderis cum negligentioribus fratribus, neque zelaveris eos, qui absque timore Dei vitam traducunt, illud certo sciens, quod qui cadit, sibi ipsi decidit, et qui vincit, coronatur. Verum noli litigare cum fratre : non enim nosti, an morbus aliquis eum divexet, quem tu ignores, et hujus causa imbecillior sit; cum eidem nos potius oporteat compati, solatiumque præbere, et nequaquam exagitare, quasi perturbationum expertes. Tu ergo bonum certa certamen, conscius ad quænam exieris. Nunc enim tempus tibi commodum aptumque est propositum congregandi divitias indeficientes per ministerium et fructum, quem facis erga fratres. Quapropter, charissime, si a stercoribus intimas ædes vindicas ac reprimis, intrinsecus etiam mundanas concupiscentias comprime. Et si cineres coquinæ purgas atque aufers; multa cum humilitate opus perficito, memor Prophetæ dicentis : « Quia cinerem tanquam panem comedebam, et » potum meum cum fletu miscebam [1]. » Considera etiam simul, dilectissime, corruptibilem ignem, et perpende animo flammam illam æternam, quæ peccatores devoratura est; ac deplange peccata, quæ commisisti; pariter autem et pro me peccatore, ut remissionem nobis peccatorum largiatur Dominus. Cui gloria in sæcula. Amen.

[1] Psal. ci, 10.

PARÆNESIS XII.

De humilitate.

Frater, si post abdicationem vanæ vitæ, ingressus sis cœnobium plurium fratrum, et a præfecto traditus fueris alteri monacho, qui te virtutum præmia doceat : ne tibi contraria videaris dicere majori tuo, aut agere; dum tu tecum quæ non conveniunt, cogitas, dicisque : « Ego quidem divitias, domos, agros, servos, et ancillas reliqui, omniaque ut stercora arbitratus sum, ut Christum lucrifacerem [1] : hic vero, cum nullius rei dominus esset, sæpeque etiam ex necessitate ad hoc venerit, huic-ne ego subjiciar, ut et in ejusmodi vilitatem redigar? numquid huic me compulit fames? Noli, charissime, talia tecum mente volvere, cum isti superbia pleni sermones sint : sed perpende quo pacto omnium nostrum Dominus Christus propter nos humiliaverit semetipsum, « Factus obediens usque ad mor» tem, mortem autem crucis [2]. Intellige quæ dico; dabit » enim tibi Dominus in omnibus intellectum [3]. » Duo athletæ simul ad certamen venerunt, quorum alter splendida indutus erat veste, alter autem vili ac sordida. Sed numquid splendidum sibi vestimentum adhibet certaminis tempore athleta in subsidium contra adversarium? aut non potius fortitudinem artemque cum animi vigore secum affert antagonista adversus colluctatorem? aut quomodo ausi simus remissionem nobis priorum peccatorum a Deo efflagitare, si ipsi non obliviscamur conversationis pristinæ? aut quo pacto novum hominem, qui secundum Deum creatus est,

[1] Philip. III, 7, 8. — [2] Id. II, 8. — [3] 2 Tim. II, 7.

induemus; si veterem hominem, qui secundum desideria corrumpitur, non prius exuerimus? non enim vetus novo coalescere potest, cum dicat Salvator noster : « Nemo im- » mittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus : » tollit enim plenitudinem ejus a vestimento, et pejor scis- » sura fit[1]. » Ac rursus : « Neque mittunt vinum novum » in utres veteres : sed vinum novum in utres novos mit- » tendum, et ambo conservantur[2]. » Neque sapias secun- dum veterem hominem : quia scriptum est : « Qui vult » inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit » sapiens : sapientia enim hujus mundi, stultitia est apud » Deum[3]. » Quocirca humilitatem amplectere : quoniam scriptum habetur : « Quæ apud homines alta sunt, abomi- » nabilia sunt coram Deo[4] : » ut omnia recte probeque ex virtute egens, laudem apud Deum obtineas, coronamque vitæ accipias, quam repromisit diligentibus se : cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

PARÆNESIS XIII.

De eodem argumento.

Oportet porro et eos, qui ex misera atque ærumnosa vita ad solitariam vitam accedunt, non sublime sapere, neque extolli : quin potius omnem mansuetudinem, animique demissionem exhibere; memoria recolentes ac simul perpendentes beneficia Domini, ex cujusmodi ipsos exemerit hujus sæculi turbatione; ne forte mente elati, tanquam ingrati audiant a Benefactore quod in Psalmo dictum

[1] Matth. IX, 16, 17. Marc. II, 21, 22, et Luc. V, 36, 37.— [2] 1 Cor. III, 18, 19. — [3] Luc. XVI, 15.

est : « Et homo cum in honore esset, non intellexit : com»paratus est jumentis insipientibus, et similis factus est »illis[1]. » Serviamus ergo Domino, charissimi, magna cum humilitate omnibus diebus vitæ nostræ ; « Qui suscitat a »terra inopem, et de stercore erigit pauperem[2] : » ut et post finem vitæ hujus nos gloria dignetur mansuetorum atque humilium. Quia scriptum est : « Dominus retribuet »abundanter facientibus superbiam[3]. » Et rursus : « Domi»nus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam[4]. » Cui gloria in sæcula. Amen.

PARÆNESIS XIV.

De præpositis.

I. Frater, credita tuæ curæ est anima? cingere sicut vir lumbos tuos : certamen quippe imminet non exiguum. Perfectarum animarum opus suscipe. Quare sobrium te præbe vehementer ac vigilantem : quoniam multam res exigit attentionem, et ne despexeris; verum in omni sanctitate ac puritate sit nostra conversatio ad invicem : ne forte ex segnitie aliquid de proprio subseminet inimicus per ejus, qui morem gerit, obedientiam. Nam qui terminos castitatis ac pudicitiæ transgreditur, et obedientiam ad voluptatem atque libidinem requirit, non impunis evadet. « Nam vinea ejus ex Sodomis, et palmes ipsius ex Gomor»rha[5] : » cum dicat Apostolus : « Qui hæc spernit, non ho»minem spernit, sed Deum, qui dedit Spiritum sanctum

[1] Psal. XLVIII, 13. — [2] Id. CXII, 7.— [3] Id. XXX, 24. — [4] Prov. III, 34. Jacob. IV, 6, et I Petr. V, 5. — [5] Deut. XXXII, 32.

» suum in nobis [1]. » Sed neque qui ejusmodi rem audit, laudem apud Deum obtinet : quoniam neque Joseph imitatur, neque beatam Susannam æmulatur. Siquidem Joseph etiam in servitutem venundatus Ægyptiæ, non est abductus blanditiis ejus [2] ; nec mortis minæ amicum Dei deterruerunt. Nam cum aliquando blanditiis juvenem demulceret, promittebat se daturam ei dona plurima. Cum autem eum in sententiam pertrahere nequiret, etiam mortem ac tormenta sæpe est comminata. At iste nihil prius habebat pudicitia, morigerus alioquin in omnibus : sed istud solum recusabat, symbolum nostræ vitæ proponens. Similiter autem et beata Susanna mortem potius elegit, quam peccare coram Deo [3]. Magnum porro sibi supplicium conciliat, qui justum calumniatur. Unde et Apostolus dicit : « Cum metu et tremo» re vestram salutem operamini [4]. » Valde enim inimicus adversatur iis, qui virtutum studio sunt dediti; verumtamen conculcatur a fidelibus. Oportet vero majores minoribus formam præbere atque exemplum ad omnem virtutem, ut non demus occasionem cupientibus occasionem. Nam si nos inobedientes simus, quomodo minores obedientiam docebimus? si gulosi, aut ebrii, aut avari; quomodo inferiores nobis temperantiam ac patientiam docere poterimus? Si nos temerarii, aut multiloqui, instabilesque fuerimus; quo pacto juniores nobis gravitatem morum ac tolerantiam constantiamque docebimus? Cum dicat Dominus et Salvator noster Jesus Christus : « Qui fecerit et do» cuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum [5]. » Rursusque per Apostolum ait : « Exemplum esto fidelium [6]. »

II. Sed dices mihi : « Tametsi ego non faciam, dico tamen quod expedit fratri meo. » Ego autem dico : « Quid prodest nobis, charissime, alios admonere, si ipsi contraria agamus?

[1] 1 Thess. IV, 8. — [2] Gen. XXXIX. — [3] Dan. XIII. — [4] Philipp. II, 12. — [5] Matth. V, 19. — [6] 1 Tim. IV, 12.

Domino per prophetam Ezechielem dicente : « Unumquemque vestrum secundum viam vestram judicabo, dicit Dominus Adonaï[1]. » Non fecimus? at nunc facere ne negligamus. Victi sumus? at nunc ne vincamur. Negligentes fuimus? at vero jam ne negligamus. Deinceps ad Dominum convertamur. De docendo porro, et admonendo nos inter nos invicem, præceptum a Spiritu sancto habemus. « Nam qui converterit, inquit, peccatorem ab errore vitæ suæ, salvabit animam a morte, et operiet multitudinem peccatorum[2]. » Itaque, charissimi, neque nobis convenit superiores nostros judicare. Nam scriptum est : « Nolite judicare, ut non judicemini[3] » Exemplum autem humilitatis, fratres, in Samuële propheta habetis : non enim exaltatum est cor ejus adversus Heli sacerdotem, quamvis etiam a Deo audisset de viro isto[4]. Admonet quoque apostolus Petrus, dicens : « Non solum bonis et modestis obedite, verumetiam discolis. Hæc est enim gratia apud Deum, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens injuste. Quæ est enim gloria, si peccantes et colaphis excepti, suffertis? Sed si bene facientes, et patientes, sustinetis, hæc est gratia apud Deum. In hoc enim vocati estis : quia et Christus passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus; qui cum malediceretur, non maledicebat : cum pateretur, non comminabatur; tradebat autem se judicanti injuste[5]. » Salutem ergo nostram curemus, charissimi, prompti atque parati ad pœnitentiam, in omni verbo, quodcumque audierimus; potissimum vero a præfecto in Domino. Nam quemadmodum aqua extinguit ignem : ita pœnitentia pura restinguit iram, et avertit furorem. Fidem-

[1] Ezech. XVIII, 20.— [2] Jacob. V, 20.— [3] Matth. VII, 1.— [4] I Reg. II.— [5] I Petr. II, 18-23.

que tibi faciat quinquagenarius, Eliæ temporibus, qui cum Prophetam humilitate ac submissione placasset, ab ira liberatus est[1]. In cunctis igitur obedientiam cole, dilectissime, in Domino, ut cor tuum ab omni superbia alienum ac humile cernens Dominus, te exaltet. Sermones porro ejus custodi. Eritque nobiscum qui ait : « Ubicumque sunt » duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum ego in » medio eorum[2]. » Ipsi gloria in sæcula. Amen.

PARÆNESIS XV.

De eodem argumento.

I. Paulatim ac per partes ædificatur civitas, et cum gubernatione fit bellum. Nequit inexpertus, sicut exercitatus, arcum ac telum tenere : neque puerulus instar viri potest currere. Si puero onus supra vires imposueris, nocebis ipsi : et, si eum instruere omiseris, nequam et inutilis evadet. Sic quoque novitium monachum cum judicio et discretione gubernare oportet, et non per inanem gloriam imponere ei onus, neque rursus despicere animam ipsius. Cæterum instar prudentis perpende tecum, quomodo superiori tuo ipse subjectus fueris : atque ita paulatim ac per partes præbe ei exercitationem. Sed neque affectione avaritiæ, fratrem ad opus impellas : quoniam cordium scrutator est Dominus, verum tanquam apud Deum retributionem te accepturum sperans, doce ipsum virtutum præmia, ac castæ religiosæque vitæ conversationem. Si igitur post adimpletas vigilias et consuetam regulam vigilare ipse privatim volueris ; subditus autem paululum dormire cupierit, requiem ipsi concede. Non enim, ut ante dictum est, po-

[1] 4 Reg. I. — [2] Matth. XVIII, 20.

test puer currere instar perfecti atque adulti viri. Etsi infirmo sit corpore, ne spernas atque rejicias eum; sed compatere et auxiliare ipsi patienter atque longanimiter; super ipsum, ut prudens agricola, plantam inserens bonam in agro ipsius. Omne porro studium adhibeas, ut corpus ejus hostiam exhibeas viventem, ac bene placentem Deo[1]; ut non cum iis judicemur, quos Apostolus accusat, dicens: « Speciem quidem habentes pietatis, virtutem autem ejus » abnegantes[2]. » Omnem igitur bonam edoce actionem eum, qui sub obedientia vivit; quia scriptum est: « Si pretiosum » ex indigno eduxeris, quasi os meum eris[3]. » Si enim præceptores hujus sæculi non respuunt molestias infantium animarum, neque recusant cum pueris conversari, propter mercedem, quam ab hominibus expectant, quanto magis oportet perfectos propter Dominum tolerare imbecilles? Scriptum quippe est: « Hæc autem dicit Dominus: Beatus » qui habet semen in Sion, et domesticos in Jerusalem[4]. » Ipse igitur, charissime, vide ne rejicias patris, qui te genuit in Domino, adhortationes. Ait enim Apostolus: « Obedite » præpositis vestris, et subjacete eis: ipsi enim pervigi» lant pro animabus vestris, quasi rationem reddituri: ut » cum gaudio hoc faciant, et non gementes: hoc enim non » expedit vobis[5]. » Ideo in Psalmo ait: « Corripiet me justus » in misericordia, et increpabit me: oleum autem peccato» ris non impinguet caput meum[6]. » Si enim qui secundum carnem ægrotant, suæ vim inferunt naturæ, ut servent quæcumque ipsis præscripserint medici: nonne multo nos magis decet morem iis gerere, quibus cura animarum nostrarum est credita?

II. Cupiamus porro etiam Spiritus sancti ediscere mandata. Si enim qui mundi hujus præceptores atque inter-

[1] Rom. XII, 1, et Philip. IV, 18. — [2] 2 Tim. III, 5. — [3] Jer. XV, 19. — [4] Isaï. XXXI, 9. — [5] Hebr. XIII, 17. — [6] Psal. CXL, 5.

pretes agunt, studiose in lectionem sapientiæ, quæ non est, incumbunt: (cum sapientia hujus mundi stultitia sit coram Deo [1]:) quanto magis meditari nos decet atque perdiscere ad salutem animarum nostrarum eloquia Dei? Quin et Spiritus sanctus beatificat eos, qui exquirunt testimonia ipsius, dicens: « Beati qui exquirunt testimonia ejus: quia » in toto corde exquirent ipsum [2]. » Et rursus in alio ait Psalmo: « Beatus populus, qui scit jubilationem [3]. » Audi et Apostolum dicentem: « Omnis disciplina in præsenti » quidem videtur non esse gaudii, sed mœroris; postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddit justitiæ [4]. » Cui gloria in sæcula. Amen.

PARÆNESIS XVI.

Didactica.

I. Frater, dignus es habitus sancto indumento monastico? ne extollaris adversus expectantes in futurum annum. Non enim videri aliquem primum esse, virtus est: sed ad finem usque tolerare. Neque videaris tibi dicere apud te ipsum, assumpto habitu: « Jam a laboribus sum liberatus: » imo nunc multo magis in virtutum labore occupari debes, ne tibi ipsi damnum inferas. Adhuc enim sæpe etiam superiore cogente, tuam salutem non neglexisti. Nam adhuc in exteriore versatus es tholo: nunc vero in interiorem tholum introisti. Ne igitur te ipsum neglexeris, ut non perdas labores tuos, sed ut mercedem potius tuam recipias. Ex hoc enim tempore apparet tuus labor, ac studium, et pu-

[1] 1 Cor. III, 19. — [2] Psal. CXVIII, 2. — [3] Id. LXXXVIII, 16. — [4] Hebr. XII, 11.

ritas, atque tranquillitas. Ex nunc apparet, qualem inire viam desideres; an latam, et amplam, quæ ducit ad perditionem; an angustam et arctam, quæ ducit ad vitam æternam[1]. Et quidem in lata via hæc sunt : temeritas, distractiones, ingluvies, ebrietas, luxuria, lascivia, contentio, excandescentia, inflatio, instabilitas, ac his similia, quæ consequuntur infidelitas, diffidentia, inobedientia; omniumque malorum ultimum, quod est desperatio. Et qui in istis versatur, a via veritatis aberrat, sibique ipse propriam perditionem conciliat. In angusta vero et arcta via sunt ista : quies, continentia, temperantia, charitas, patientia, gaudium, pax, humilitas, et hisce similia, quæ consequitur vita immortalis. Cum ergo jam cognoveris, charissime, quæ in lata et spatiosa lateant via, recede ab ea, ut vitam æternam accipias. Si enim a juventute tua per semitas justitiæ incesseris, etiam exitus tuus in pace erit. Sin vero ex nunc per viam latam ambulare incœperis, postremum amare lugebis.

II. Quod si conspexeris eos, qui absque timore Dei vitam agunt, crassos et pingues, ac corpore sanos; ne opera eorum timoris Dei expertia imitatus fueris. Quid enim melius fuerit? paucos dies in deliciis versari, et carnis desideria perficere, vitaque æterna privari : an vero modicum angustiis premi, et effugere judicium atque supplicium sempiternum, stridoremque dentium, ac vita perfrui sempiterna? Valde te ipsum custodi a licentia vitæque libertate ; ne forte multiloquio et impudentiæ inservias, teque dæmonibus ridiculum præbeas, ac denique a fraternitate te etiam abrumpas. Non tantum onagri devastant frumentum, quantum nimia libertas corrumpit labores monachorum. Præcinge igitur te ipsum pietate, humilitate, et longanimitate in patientia veritatis. Admone te ip-

[1] Matth. VII, 13, et Luc. XIII, 24.

sum, et cohortare, dicens: « Etsi monachi assumpsi habitum, monachi tamen mores nondum didici. » In his igitur permanebit humilitas tua. Considente porro te in silentio ac tranquillitate cellæ tuæ, recollige cogitationes tuas, et dic tecum corde: « Nonne, o homo, mundum reliquisti, et parentes carnales, atque amicos, et civitatem, et patriam, ac divitias, Domino tibi cooperante? Quæ porro erit utilitas, siquidem huc profectus ut salutem consequaris, agas ea, quæ aliena sunt a salute, peccesque coram Domino, nudum et otiosum nomen circumferens, dum a familiaribus et amicis prædicaris beatus? » Aiunt enim: « Beatus ille est, quoniam mundum istum aversatur, et gloriam ipsius, ac fallaciam ejus; et non amplius quidquam rerum curat terrenarum: secessit enim, inquiunt, et factus est monachus. » Et ecce tu hic non monastico ritu ac more vitam degis. Cujusmodi ergo confusio nos occupabit, si qui beatos nos jam prædicant, iidem nos præcesserint in regno cœlorum? Qualis quantusque timor ac tremor nobis obveniet, dum fletu comprimemur amaro? Si qui felices jam nos censent, genuque nobis flectunt, ac dicunt; « Orate pro nobis peccatoribus, servi Christi: » si, inquam, ipsi reperti fuerint in quiete ac refrigerio; nos autem propter nostra delicta in ærumnis et angustiis? Quapropter, charissimi, sobrii simus et vigilemus ad Dominum, obsecro, donec tempus nobis suppetit: et non efferamur, neque distrahamur fraudibus sæculi hujus. « Nam mundus hic transit, et concupiscentia » ejus. Qui autem facit voluntatem Domini, manet in » æternum [1]. » Cunctas igitur res sæculares ac temporales, mentem a Deo avellentes, despiciamus. Nam vires, et pulchritudinem senectus excipit atque infirmitas: gloriam autem et divitias mors dissolvit atque corruptio; justitia autem manet in sæcula. Bene ergo decerta, charissime;

[1] 1 Joan. II, 17.

ecce enim stadium omnibus apertum est : dicitque certaminis præfectus per Apostolum : « Sic currite, ut comprehendatis. » Et, « Omnis qui certat in agone, ab omnibus » se abstinet [1]. » Rursusque ait : « Nemo militans, implicat » se negotiis sæcularibus, ut ei placeat, qui ipsum militiæ » ascripsit. Nam et qui certat in agone, non coronatur, » nisi legitime certaverit [2]. » Deus autem, et Pater Domini nostri Jesu Christi det nobis spiritum fortitudinis, et sapientiæ, atque patientiæ, ad serviendum ipsi omnibus diebus vitæ nostræ. Cui gloria in sæcula. Amen.

PARÆNESIS XVII.

De amore proprio, et de vana deceptione.

Frater, cur deciperis, correptus a diabolo, ut gradus transilias, in quibus nullam capies utilitatem, tibi ipsi honorem acquirans? Apostolum dicentem audi : « Non enim » qui se ipsum commendat, ille probatus est, sed quem Do» minus commendat [3]. » Ipsumque Dominum ausculta : « Quomodo potestis credere, qui gloriam ab hominibus » accipitis, et gloriam, quæ a Deo est, non quæritis? » In te ergo descende, charissime, et mente causam revolve, quare vanæ huic vitæ, et diabolo, ac superbiæ ipsius renuntiaveris, et desine res mundanas sapere. An ignoras quod, si proximum tuum depresseris, peccatum committas amoris proprii, et inanis erroris? Finge ergo te promotum esse, et primum ante fratrem constitutum, ac ad majora per contentionem et ambitionem progressum,

[1] 1 Cor. ix, 24, 25. — [2] 2 Tim. ii, 4, 5. — [3] 2 Cor. x, 18. — [4] Joan. v, 44.

quodque fratri tuo submitti ac humiliari nolueris : numquid vana ista gloria præsentabit te Deo? Vide, frater, ne forte, dum vis primus supra fratrem tuum esse, ibi minimus inveniaris in futuro sæculo : tuncque audias quod audivit dives ille ambitiosus, qui uritur igne illo inextinguibili : « Recordare quod receperis bona tua in vita tua [1]. » Scriptum quippe est : « Quæ alta sunt in hominibus, abomina» bilia sunt coram Deo [2]. » Numquid oblitus es dicentis : « Qui cupit inter vos magnus fieri, sit vester minister : et » si quis vult inter vos magnus esse, sit vester servus [3]. » Cogita ergo quod mortuus sis mundo, et vita tua est abscondita cum Christo in Deo [4]. Quando igitur apparuerit Christus vita nostra, tunc et vos apparebitis in gloria. Ne ergo gloriam humanam dilexeris ; non enim permanebit tecum in sæculum, secundum eum, qui ait : « Omnis caro » sicut fœnum, et omnis gloria hominis ut flos fœni [5]. » Beatus porro, qui inter homines perfectos connumeratur. « Quæ enim videntur, momentanea sunt : quæ vero non » videntur, æterna [6]. » Nam si adhuc terreno sensui servis, vanitati res tua obnoxia redditur. « Nemo enim potest duo» bus dominis servire [7]. » Projice igitur abs te jugum inimici, charissime, omnemque fastum ipsius : et subde cervices tuas jugo suavissimi Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi. Ipse enim dixit : « Qui se ipsum humiliaverit, exal» tabitur [8]. » Et rursus ; « Deus superbis resistit, humilibus » autem dat gratiam [9]. » Timeamus ergo, charissimi, ne forte dicat de nobis : « Dilexerunt gloriam hominum ma» gis quam gloriam Dei. » Cui gloria in sæcula. Amen.

[1] Luc. XVI, 25. — [2] Ibid. 15. — [3] Matth. XX, 26, 27. — [4] Coloss. III, 3. — [5] Eccli. XIV, 18. Isaï. XL, 6. 1 Petr. I, 24, et Jacob. I, 10. — [6] 2 Cor. IV, 18. — [7] Matth. VI, 24, et Luc. XVI, 13. — [8] Luc. XIV, 11, et XVIII, 14. — [9] Jacob. IV, 6, et 1 Petr. V, 5.

PARÆNESIS XVIII.

De pigritia.

I. Frater, quando fores tuas noctu frater pulsaverit, ut ad collaudandum Christum consurgas, prompte atque alacriter te erige; ut et negligentiores promptitudinem tuam cernentes, animam suam ad sobrietatem vigilantiamque excitent, secundum eum, qui dicit : « Prævenerunt oculi » mei ad diluculum, ut meditarer eloquia tua [1]. » Et rursus : « Media nocte surgebam ad confitendum tibi super judicia » justificationis tuæ [2]. » Quod si contigerit te profundiore obdormiscere somno, et dæmoniacis districtum teneri visionibus, postea autem evigilaveris ; ne per negligentiam pigeat te expergisci, et surgere atque abire ad synaxim : hoc sciens, quod sicut qui ad mala pergunt, de incessu ac sermone otioso rationem reddituri sunt in die judicii ; sic et de unico bono verbo, et incessu præmium referet quisquis ad id, quod bonum est, concurrit. Noli igitur pigrescere, sed evigila atque expergiscere, et ne intra te dixeris ; « Nunc synaxis absoluta est atque dimissa, et ego quo me conferam ? » Ignavorum enim ista sunt verba. Sed potius e strato mox te erige, projiciens abs te stragulum ; moxque tuas ad Deum extendens manus, thronumque gratiæ ipsius adorans, cellam tuam aperi, et ad synaxim propera, quasi vi eo adactus, et sicut caprea ex laqueis effugiens. Et licet ad posteriores adventares orationes, saltem ne pigriteris ; verum evigila ac surge ; poteris enim post absolutas preces, psalmos tuos fundere in cella tua, quos phantasia subtraxit dæmonum.

[1] Psal. CXVIII, 148. — [2] Ibid. 62.

II. Neque pigritiæ occasione suggeras tibi posteriorem esse precationem, charissime; sed postero die promptior atque alacrior ad opus Domini inveniaris. Nam si absque necessitate aut infirmitate prætermiseris, audies quod dictum est in Psalmo; « Dormierunt somnum suum, et » nihil invenerunt [1]. » Illud vero scito, charissime, quod quantum quis perperam suam fovet carnem, tanto amplius in se ipso perturbationes ac passiones auget; ipsaque deinde anima a prava consuetudine corporis gravata, inutilis et infructuosa redditur. Idcirco ait Salvator; « Videte ne » forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate et » curis hujus sæculi [2]. » Hinc et Apostolus dicit : « Castigo » corpus meum, et in servitutem redigo; ne forte, cum » aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar [3]. » Si quis autem se ipsum ad opus Domini compulerit, tanto etiam magis corpus ejus sanum validumque reddetur, et anima illustrabitur. Nam quemadmodum athleta corpus suum studiose exercet, ut illud ad certaminis artificium aptum compositumque reddat; ita et pietatis pugil se ipsum ad omne opus bonum exercere debet; cum dicat Apostolus : « Te » ipsum vero ad pietatem exerce : nam corporalis exerci- » tatio ad modicum utilis est; pietas autem ad omnia utilis » est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, et futuræ [4]. » Dominus porro nostras excitet animas ad timorem ipsius. Cui gloria in sæcula. Amen.

[1] Psal. LXXV, 6. — [2] Luc. XXI, 34. — [3] 1 Cor. IX, 27. — [4] 1 Tim. IV, 7, 8.

PARÆNESIS XIX.

De eodem argumento.

Complectamur mente ac consideremus, charissimi, eos, qui coram rege constituti sunt terreno, thronoque corruptibili ministrant : quomodo omni cum scientia et timore regi suo assistant. Nonne et nos multo magis, ut fideles, oportet coram Rege cœlesti consistere cum timore ac tremore, et cum omni gravitate atque reverentia ? Propterea non existimo, dilectissimi, bonum esse impudenti oculo contemplari proposita mysteria corporis et sanguinis Domini nostri et Salvatoris Jesu Christi. Fidemque hujus nobis faciat divina Scriptura dicens : « Tremefactus autem » Moyses, non audebat aspicere [1]. » Scriptum est enim : « Sed quicumque honorificaverint me, glorificabo eos : qui » autem contemnit me, erit ignobilis [2]. » Tu enim ut homo contemplaris : at ipse ut Deus novit profunda cordis tui, et cogitationes tuas intuetur. Non enim est creatura abscondita coram ipso. Quomodo porro etiam audent quidam relinquere synaxim, et exire ante finem absque magna necessitate? Numquid si vocatus esses ad prandium divitis viri, auderes ex medio accumbentium surgere, et abire domum? Nonne ibi remaneres, donec omnes pariter surgerent? Timeamus igitur, charissimi; quia scriptum est : « Maledictus omnis, qui facit opera Domini negligenter [3]. » Demus ergo operam, ut in modico hoc sæculo atque perverso grati et accepti simus Domino, regnique cœlestis evadamus hæredes. Ipse enim est sanctus, et in sanctis re-

[1] Exod. III, 6. — [2] I Reg. II, 30. — [3] Jer. XLVIII, 10.

quiescit, pusillanimisque patientiam ac longanimitatem præbet. Cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

PARÆNESIS XX.

De dormitationum diversitate.

I. Ut arbitror, fratres, tres sunt dormitationes, quæ conturbant hominem noctu. Et prima quidem accidit fratri ex maligni hostis operatione, quando psallere incœperit: sed sine fratris ignavia nihil potest. Vehementius porro divexabit, si fratris stomachus cibo potuque gravatus fuerit. Secunda suboritur fratri ad medium synaxis ex propria negligentia, quando non allaborat fratri, ut cum fratribus persistat usque ad expletum canonem; sed in medio synaxis alios canentes relinquit, et ad lectum suum pergit. Tertia vero contingere solet fratri secundum naturam: hoc est, post expletum canonem solitæ synaxis. Propterea patientem et longanimem esse oportet erga imbecilliores fratres, ut non perficiatur consilium inimici. Tu igitur, frater, vide ne negligas te sobrium ac vigilantem præbere in omnibus. Nonne audisti, quod sæpius vocatus Samuël propheta, neque semel cunctatus sit surgere, quantumvis adhuc puer esset? Cum ergo inter fratres in synaxi constiteris, sive etiam per te solus concinendam, et prima te dormitatio infestarit, re animadversa resiste; ne forte pigritantem te, vacuum et inanem ad lectum strati tui avertat. Verum patienter sustine; etsi te invaserit, oculisque te connivere cogat et semel et iterum; ne te tuo dimoveas loco, et invenies utilitatem maximam. Similis quippe est perturbatio insatiabilis somni, ingluviei ventris.

Nam si quis multa comedere sit solitus, multa quoque natura requiret : at si temperantiæ se assuefecerit, non multum vorare appetet.

II. Perpende tecum animo piscatores, qui totam noctem transigunt in vigiliis, propter opus incumbentes. Si quis vero ipsorum somno gravatus, ex negligentia dormierit; quando a somno experrectus est, videt se nihil prehendidisse; eos vero, qui vigilarunt et attenti fuerunt, domi suæ ipsorum quemque consuluisse. Tunc pœnitere atque dolere secum incipit, ac dicere : « Hei mihi peccatori, et negligenti ac pigro! quoniam per negligentiam obdormivi, cum et ego laborare, ac satagere, ut sodales mei, debuissem, frugique esse ac domui prospicere : verum nunc negligens, ecce vacuus et inanis in domum meam revertor, nihil manibus retinens. « Dormierunt, inquit, somnum » suum, et nihil invenerunt [1]. » Revolve etiam mente, charissime, figulos et fabrilem artem pertractantes; inveniesque ibi laborem immensum, et vigiliam valde magnam, atque patientiam. At nos, quorum corpora neque fumo vel cinere ac pulvere vexantur, neque aliud quidpiam simile sustinemus, sed consistentes in loco mundo et sanctificato coram Domino in gravitate et pace multa, in spiritali exultatione, et spe bona, cur torpescimus, dilectissimi? Quod enim est tempus nostrum super terram? Ecce Propheta clamat : « Homo vanitati similis, dies ejus sicut um» bra prætereunt [2]. » Noli ergo contendere mecum, qui ignavus sum, et patientiam deperdidi; istud exacte sciens, quod qui sobrium ac vigilantem se præbet. ipse sibi lucrum ac quæstum faciet. Qui autem segnis fuerit, is damnum patietur; « Nam unusquisque nostrum pro se ipso rationem » daturus est Deo [3]. » Ego quippe novi inexcusabilem me

[1] Psal. LXXV, 6. — [2] Id. CXLIII, 4, et Job. VIII, 9, et XIV, 2. — [3] Rom. XIV, 12.

esse ex operibus : nam alios admonens, in eadem cum ipsis inertia persevero. Ideo vos precor, servi fideles Salvatoris, deprecamini pro me peccatore Salvatorem nostrum Christum, regem supernarum virtutum, ut deleat multitudinem peccatorum meorum, secundum multitudinem miserationum suarum, salvumque me faciat in regno suo cœlesti. Ne ergo pro lucro duxeris somnum, corporisque quietem. At lucrum est, ac requies, se ipsum ad opus Domini semper compellere. Quocirca cogamus nos ipsos, dilectissimi, ut adveniens Dominus, comperiat nos vigilantes, suaque nos beatitudine dignetur. Ipse enim dixit : « Beati servi illi, quos cum venerit Dominus ipsorum, invenerit vigilantes [1]. » Invicem ergo nos cohortemur, dilectissimi, invicem admoneamus ad timorem Domini. Mutuam alacritatem ad laudandum et glorificandum Dominum nostrum Jesum Christum excitemus [2] : ut et ipse nos resuscitet cum omnibus, qui dilexerunt adventum ipsius, nosque a dextris suis constituat in regno suo. Cui gloria in sæcula. Amen.

PARÆNESIS XXI.

De vigilantia.

I. Si acciderit fratrem aliquem ad monasticam vitam quacumque occasione venire, et non se sobrium vigilantemque præbuerit; protinus et e vestigio devorabit eum diabolus. Incipit enim improbus suggerere ipsi, et dicere : « Quid jam vis in virtutibus labores subire, et tibi negotium facessere, ac miseriis affligi, absque remunera-

[1] Luc. XII, 37. — [2] 2 Tim. IV, 16.

tione aliqua? Numquid enim tua voluntate, ac proposito ad monachatum accessisti? Puto enim hanc rem tibi fortuito contigisse, teque ex necessitate monachum factum fuisse : alioquin nunquam sane monachus factus esses. Ne igitur modo frustra affligaris, teque excrucies, cum neque in hoc Deus gratias tibi habeat. Ista fratri suggerit inimicus, cupiens ipsum in desperationis profundum præcipitare. Tunc igitur frater non discernens in se ipso beneficia Domini, se ipsum desperationi tradit, mente obcæcatus, incipitque deinceps in negligentia, atque ignavia vitam traducere, et absque timore Dei, parvis ac magnis æque resistendo et insatiabili somno perfruendo : et si quid unquam boni fecisset, dolet, damnique loco illud reputat : ita ut assidue obmurmuret, et se ipsum deploret, prorsusque perditioni sese tradat : et pro eo quod se virtutum laboribus tradere vehementius ac diligentius debebat, contraria admittit et agit, non secum dijudicans, reputansque beneficia Domini. Et pro eo quod secum dicere debebat : « O anima quam multi per multa jejunia et eleemosynas promeruerunt ad ejusmodi vitæ religiosæ institutum venire; ego vero in negligentia omne vitæ meæ tempus dum transigo, etiam Dominus ejusmodi felicitate me dignatus est, ut ad sanctam honorandamque hanc vitæ rationem, ac omni distractione carentem pervenire possem, multorum peccatorum meorum immemor. Cur ergo et nos, anima, non damus operam, ut digna pœnitentiæ opera agamus, ne duplicatum in his supplicium inveniamus, tanquam divinam gratiam aspernantes, et beneficiorum ipsius non recordantes. Audi porro et parabolam ad ista : »

II. « Erat quidam dives in regione quadam, emitque possessionem sibi ultra fluvium : et proprios advocans servos, confestim peregre profectus est, dividens eis possessionem, singulis pro sua libera voluntate attribuens. Dixitque ad

eos : « Abite singuli vestrum in partes proprias, et operamini in iis, donec veniens conspexero opus vestrum. » Et quidam eorum inventi grati, et amantes herum suum, non immorigeri imperatis sui domini extiterunt : alii vero ex ipsis inobedientes, et duræ cervicis, contradixerunt domino suo, dicentes : « Nos vocem tuam non auscultabimus, et fluvium non trajiciemus, neque in tua possessione laborabimus. » Et in omnibus hisce non succensuit ipsis dominus eorum. Tunc præparat dives ille servis suis poculenta. et inebrians immorigeros servos, imperavit aliis servis, ut illos trajicerent : qui cum eos trajecissent, collocarunt singulos in agri parte, quam illis eorum dominus attribuit. Et postea unus ex iis ad se rediens, se ipsum ultra flumen comperit translatum in possessionem, quam ei exercendam suus dederat dominus. Obstupuitque servus ille propterea, et dixit intra se ipsum : « Si ita me diligit dominus meus; cum enim inobediens ei fuerim, non est iratus, sed patienter tulit, ac per ingentem fluvium istum atque vehementem, velut per somnium, me traduxit, et in parte mea me constituit. Quare et ego recte laborare incipiam in possessione ejus, memor beneficiorum ipsius in me collatorum. » Incœpitque servus ille cum diligentia operari, ita ut reliquos anteverteret, qui ante ipsum incœperant. Postea et secundus experrectus servus, invenit se ipsum ultra fluvium in possessione domini sui. Malus autem ac durus cum esset, dixit intra se : « Ecce, inquit, per fluvium hunc magnum ac rapidum trajecit me tanquam per somnium : ego autem agrum ejus incultum relinquam, et videbo quidnam facturus sit mihi. » Rursusque reclinans se ipsum piger servus obdormivit : ipsoque dormiente excreverunt spinæ, herbæque sylvestres, et obtexerunt eum. Post multum vero temporis venit dominus servorum illorum ad videndum cujusque opus : cernensque eorum, qui antea incœperant, opus, benedixit

ipsis. Deinde iterum ad servum, quem ipse per fluvium transtulerat veluti per somnium, reversus, aspiciensque pulchrum ipsius opus, lætatus est in eo, et benedixit ipsi. Postea venit visurus pigrum servum, opusque illius : et adveniens offendit eum dormientem, et spinis herbisque sylvestribus obtectum. Advocansque eum dominus suus, dixit comminatorie ad ipsum : « Serve nequam, ac piger, cur incultum meum reliquisti agrum? An ignoras, quomodo te quasi in somno traduxerim per flumen; et in eadem parte, quam compartitus sum tibi, reposui te; neque sum memor prioris tuæ inobedientiæ in me demonstratæ? Nonne oportebat et te imitatorem tui esse conservi, quemadmodum et eum per flumen traduxeram? » Tunc nullam servus ille excusationem invenit in die tremenda. Tunc ipsorum dominus cum iis fecit, secundum uniuscujusque actionem. »

III. Dico autem divitem illum esse Dominum Christum : possessionem vero, fidem; at ebrietatem, rerum circumstantiam; violentum porro fluvium, fraudem, atque deceptionem, ac divitias hujus sæculi. Promptos autem servos, viros justos; eum vero, qui ex ebrietate se collegerat, et operari cœperat, hominem peccatorem, qui ex infortuniis et calamitatibus ad se rediit, et Domini beneficia recolens, a multitudine peccatorum ad justitiam recurrit, ac voluntatem Dei fecit. Piger vero servus est homo, qui aspernatus est gratiam Dei, suamque neglexit salutem. In cunctis autem istis Saulum considera. Hic autem, acceptis epistolis a principibus sacerdotum, abiit in Damascum, vinculis constricturus credentes in Dominum [1]. Quique exierat eversurus fidem, ipse fidei prædicator inventus est. Multæ enim miserationes Domini in omnes, qui in veritate invocant eum. Ipsi gloria in sæcula. Amen.

[1] Act. IX et XXII, et Galat. I.

PARÆNESIS XXII.

De opere manuum.

I. Novitios in cœnobiis monachos varie oppugnare solet inimicus. Nam aliquibus odium, et alienationem suggerit in labore manuum. Et quo pacto? Dicam, divina adjuvante gratia. Mane surgit frater, orationem sibi facturus in cella sua. Deinde arrepto opere, infert ei tunc honestatis inimicus dæmon cogitationem acediæ : et, si obveniente acedia, resisteret frater, operando, et se exercendo; tunc acediæ spiritum divinæ gratiæ auxilio repelleret. Sed in hoc vincitur frater, ingruente acedia; quoniam illa contingente, non resistit ei per patientiam : quocirca superatur, atque expugnatur. Statim enim cogitationem laxans, incipit secum dicere : « Hodie quasi dissolutum ac læsum esse me sentio, et minus valeo. Quid igitur? Quid, inquam, agendum est mihi? Potius hodie otiabor, ut paululum me ipsum reficiam : et cras opus meum persequar, faciemque duorum dierum opus. Interea in otio versatur frater per primum diem, subtrahitque opus unius diei. Similiterque postero die honestatis inimicus dæmon vehementiorem fratri circumfundit acediam, quam die præcedente, in memoriam ipsi præteritum revocans diem, atque præsentem. Tunc ergo cogitationibus compressus frater, surgit, et opus suum dimittit, incipitque sæpe opera, quæ ad ipsum non spectant, quasi sua essent, facere : aut etiam ex cella sua educens monachum, efficit ut evagetur. Et in hoc improbus monachum tentat, ex ipsiusmet ignavia atque socordia. Alium porro fratrem aliter impugnat inimicus :

cujus causam ausculta, ac sapiens esto, et da gloriam soli sapienti Deo; et ubi didiceris, observa, tanquam recte callens insidias ejus, ut non in laqueos illius incidas; nam adversarius noster diabolus, « Sicut leo rugiens, circuit, » quærens quem devoret : cui resistite fortes in fidei [1]. » Alteri porro fratri præbet malignus promptitudinem ad opus ultra quam oportet; unde avaritiæ morbus generatur. Tuncque anima vulnerata radice malorum omnium avaritia, efficit ut monachus mane summo surgat, et ad vesperam producat opus plus quam par est : ita ut, si fieri queat, et precationem is et synaxim negligat, solique operi insistat causa avaritiæ. Signo vero ad synaxim dato, omnium ultimus frater occurrit, et ante omnes e synaxi exire conatur.

II. Hæc igitur sciens, serva te ipsum, charissime, ne illicitorum errore abductus, propria firmitate excidas. Et ne protrahamus sermonem; nervis ejus per avaritiam dissolutis, et vigore succiso, incipit rursus improbus suggerere fratri. Tuncque frater non considerans divexantem se perturbationem, incipit dicere, incusando opus: « Tot jam annos operor in benedicto hoc opere, et neque mercedem refert, sicut oportet, nisi quod laborem habeat immensum. » Et ait melius esse cessare, quam mala agere. Quare vado, aliam ut addiscam artem, unde sufficientem consequi possim mercedem, et facile, quæ necessitatis meæ sunt, acquirere. Similiter autem et iste per propriam ignorantiam a Satana tentatur. Cæterum vir sciens atque intelligens, omnia cum modo atque mensura operatur, et sicut oportet, ut precibus, et synaxi vacet; oratioque fidei in omni opere bono præbebit ipsi fortitudinem et gratiam. Nam si occasione operis, animum non subierit aliena cogitatio, et cogitatione quis non abreptus fuerit, sive avaritiæ, et inanis gloriæ, sive amoris sui ipsius, et luxuriæ, atque invidiæ,

[1] 1 Petr. v, 8, 9.


sive perfidiæ, et negligentiæ; sive gulæ, ebrietatis, libidinis, inobedientiæ, et his similium: nisi aliquid, inquam, horum vitiorum, quæ dicta sunt, in anima proseminatum fuerit, ac servituti subjectus extiterit homo talium affectionum; non est consendum grave opus manuum monachi urgentis ea, quæ oportet, et quæ sufficiunt. Sin vero aliquas ex passionibus, ac perturbationibus istis anima concupierit, tunc accidit in homine illo, quod scriptum est: « A quo enim » quis superatur, huic et servus efficitur [1]. » Nam si propter te ipsum operaris, ultra quam conveniat, nec præbeas, superaris. Cum vero abundaveris, præbe indigenti in hilaritate [2]: « Hilarem enim datorem diligit Deus [3]. » Et rursus: « Ut et illorum abundantia, vestræ inopiæ sit supplemen- » tum; ut fiat æquilitas, sicut scriptum est: qui multum, » non abundavit: et qui modicum, non minoravit [4]. » Dominus autem dirigat corda vestra in timore ipsius. Cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

PARÆNESIS XXIII.

De acedia, et patientia.

I. Diversimode impugnantur, qui sub obedientia spiritalis patris constituti sunt. Nam si quem viderit inimicus carnalia sapientem, suggerit ipsi cogitationes carnales, dicens: « Recede a monasterio, et negotiare aliqua in re, unde tibi commoda et utilitates compares. » At spiritali viro opponit se adversarius improbus per recte facta, suggerens ejusmodi, ac dicens: « In sæculo hæc opera exercebas, et come-

[1] 2 Petr. II, 19.— [2] Rom. XII, 8.— [3] 2 Cor. IX, 7, et Eccli. XXXV, 11. — [4] 2 Cor. VIII, 14, 15, et Exod. XVI, 18.



debas, sicut animalia rationis expertia. Et qualis hæc justitia, operari, et comedere? Ecce enim et per cibum excitatur tibi fornicationis bellum. Et vicissim, nisi comedas, laborem ferre non potes. Quare huc potius age, ingredere in eremum interiorem, et salvaberis : « Domini enim est terra, » et plenitudo ejus [1]. » Cæterum ferramentum tecum parvum tolle, quo herbas evellere possis, et comedere, quemadmodum et antiqui faciebant monachi, qui etiam grati acceptique fuerunt Deo. Et quid necesse tibi est hic desidere, ubi scandala regnant, et obtrectationes, aliæque res, quas non oportet dicere? Quando autem exieris, et nihil istorum habueris, aliam addisces artem, unde et sufficientem emereri possis mercedem, ut etiam inopi atque mendico ex tuis laboribus elargiaris. Tales suggerit malignus cogitationes fratri. » Tunc suggestori respondet frater, dicens : « Ecce discedam ab his, qui hic versantur : ad quas tamen partes divertam, nescio. Vereor ne forte egressus, si locum non invenero, iterum huc reverti cogar. » Cui adversarius : « Solum ab his discede, et locus tibi non deerit. Quem enim, inquit, deseruit Dominus, ut te derelinquat? Quin et jurejurando affirma te huc non reversurum. » Quibus respondet frater, dicens : « Expectemus ad certum tempus; non enim jam tempus idoneum est, quo nos hinc secedamus. » Ad quæ adversarius : « Et quomodo sustinebis ingruentes tentationes in loco isto? » Existimansque frater ad majorem se profectum trahi, assensum cogitationibus præbet : quod omnibus deterius est. Quemadmodum enim in pelago navis, si vel minimum ipsi foramen acciderit, nisi cito curata fuerit, ex modico illo, tali tantaque magnitudine undarum maris involvetur; ad eumdem modum etiam anima excipiens insultus hostium, nisi ad Creatorem suum evigilaverit.

II. Sobrietate igitur et vigilantia, multaque humilitate

[1] Psal. XXIII, 1.



opus est, charissimi. Omne enim malum funditus deletur per charitatem in Deum perfectam. Frater ergo, qui cogitationibus consentit, et vehementius ab iis deinceps divexatur, accedit ad præfectum suum, ac dicit : « Pater Abba, fac charitatem, et dimitte me; non enim queo amplius in cœnobio manere. » Quæ audiens senex, incipit contristari, ac lugere vices fratris, quod illusus sit, et consolari eum, atque adhortari, dicens : « Ego, frater, non dimittam te. Cur vero, fili, dæmones audis, volentes te a fraternitate segregare, et dulci eorum charitate? An ignoras, frater, quod, si ovis ex caula non exierit, a feris non capietur? Sed dic mihi, frater, num quis te fratrum contristavit? Dic, quæso, et ego te curabo in Domino. Et si quis te fratrum molestia injuriave affecerit, tolera propter eum, qui dicit : « Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis le- » gem Christi. » Quorsum autem attendis erratis alienis? Te ipsum potius purum intemeratumque serva. Et si forte molestus ego tibi fuerim, testis mihi scrutator cordium est Dominus, quod non ex aliquo tui odio id sim conatus, sed potius salutis animæ tuæ satagens. » Atque ista auribus quidem frater excipiens, interius suis interim cogitationibus abstrahitur. Similiter quoque et fratres eum interpellant, dicentes : « Ne deseras nos, frater : » unanimiterque condolent ei. Quod si persuasum fratri fuerit, et acquiescat, liberatur multis tentationibus atque tribulationibus in Domino. Si vero adduci non possit, ut maneat, dicit præfecto : « Non propterea, sed solitarie vivere desidero. » Et ne in longum protrahamus sermonem, nisi morem gerat frater, recedit a confraternitate, egrediensque monasterio, in quo degebat, circumspicit ad dexteram, et ad sinistram.

III. Quod si mundum spectarit, et, eremo relicta, in sæculum redierit, obcæcatus mente, dicit intra se ipsum :

[1] Galat. VI, 2.

« Liberatus sum a molestiis vitæ monasticæ, » suumque exitium arbitratur esse sapientiam. Similis autem talis est homini, qui, sumpta hydria sua, abiit hausturus aquam, et tamen hydriam aqua non implevit; sed reversus etiam vas confregit. Talis quoque est, qui, spreta Domini gratia, denuo in mundum ad vitam sæcularem se convertit. Quod si piam frater ac religiosam mentem habuerit, in interiorem progreditur eremum. Contingit autem, ut in senes quosdam incidat: qui hospitalitatis virtutem exercentes, fratrem cum gaudio excipiunt. Deinde interrogant: « Unde, o frater? » At ille: « Hujus sum, inquit, cœnobii, fratres. Et accedia ingruente mihi in cœnobio, ab eo exivi: nuncque inquiro, ubi considеam, et plangam peccata mea. » Tunc quoque senes illi cohortari fratrem incipiunt, dicentes: « Potius ad tuum te confer cœnobium, o fili, et ibi conquiesce. Ecce enim vides, quantis nos premamur angustiis in locis istis. Audivimus autem a patribus bona esse cœnobia, maximeque juvenibus. » Et si morem gerens frater, revertatur ad locum suum, ibique quietam amplectatur vitam, jam multas ac malas tribulationes effugit. Si vero senibus non paruerit, interiorem petit eremum, et paulatim fames eum affligit, ac premit: tuncque fratrem tædere, ac pœnitere incipit: quin et dæmones ipsum timore exagitant, et dicunt: « Bene cum fratribus tuis considebas, quis te disturbavit, atque adduxit in eremum istam? Et cujusmodi censebitur justitia, si mala moriaris morte in ista eremo? » Tunc magnum fratri incutiunt timorem atque terrorem, tormentaque multa in mente ipsius. Tuncque frater intra se ipsum dicere incipit, pœnitentia ductus: « Bene mihi inter fratres meos versanti erat. At quis me seduxit? Aut cujusmodi me dæmon decepit, ut ad eremum hanc horribilem exirem, ubi feræ inhabitant multæ atque terribiles? Quid porro agam miser, si in manus barbarorum incidero? Ne forte et

in latrones incurram, aut etiam fera aliqua prava occurrat mihi. Quin et dæmonia multa in locis istis reperiuntur : nam locus, inquit, desertus est ; et quomodo ego solitarie potero habitare in eremo ista [1] ? ubi assidue spiritus sunt immundi, præsertim vero cum ego inter plures fratres degere consueverim. »

IV. Revera autem nisi sobrium se ac vigilantem præbuerit, qui vitam solitariam in eremo agit, cito etiam mentem deperdet, quemadmodum et multi id passi sunt. Deinde post ejusmodi cogitationes incipit secum frater dicere : « Eamus habitatum apud fratres solitariam vitam quiete ducentes. » Postea ad solitarios frater accedit excipiuntque eum fratres in pace ; tribuunt ei cellam inter ipsos et assumunt ipsum in Domino, offerentes ei, quantum potest manus ipsorum. Deinde considens frater in cella sua, ait intra sese : « Paululum nos operari oportet, ut inveniamus quo alamur. » Et rursus : « Quid agam ? quoniam opificium hujus loci nondum didici. » Et post aliquot dies ubi opificii rationem didicit, incipit deinceps distrahi et conflictari : quippe qui solitariam vitam degat. Quemadmodum enim solitariam vitam ducere solito, difficilis atque molesta videtur vita cœnobitica : ita ei, qui cœnobio vivere consuevit, molesta apparet vita solitaria. Omne porro lignum ex proprio agnoscitur fructu ; et laboribus deditus, ex juventute sua. Incipit deinde frater sæpe distractionibus tentus, pœnitentia duci, ac dicere : « Ecce distrahor undique, et neque horarias preces meas persolvere possum, cum cogitationibus quotidie dimicans. Cum vero in cœnobio versabar, ab omnibus istis liber eram ; at cura omnis mea erat in synaxi, et exiguo manuum penso persolvendo. At nunc quid agam miser ? nam propter mea peccata, ista mihi evenerunt. Quia enim immorigerum me patris admonitioni

[1] Matth. IV, et Luc. VIII.

præbui, ecce multæ tribulationes constringunt me. Prava enim admodum inobedientia Adamum ex paradiso ejecit [1], et me ex monasterio meo. »

V. Et post hosce sermones, accidit fratrem duplici ferri cogitatione, tum bona, tum mala : quarum mala ei suggerit ejusmodi : « Ecce et cœnobium probasti, et eremum expertus es. Et, si ad cœnobium redieris, pudor tibi erit et dedecus. Neque vero istud solum, quin et in cœnobiis oppressiones regnant, ac scandala plurima. Rursusque in eremo ista terror est et labor immensus. Imo potius hinc digressus, in mundum abi. Nam et ibi, inquit, si Deum timere volueris, salvaberis. An putas solos eos, qui in eremo versantur, salvari ? » Cæterum si sapuerit frater, respondebit cogitationi ejusmodi, dicens : « Si in eremo, ubi magna est quies atque tranquillitas, non permiseris me conquiescere, quæ non mala adversus me excitabis, si in mundum abiero ? » Hæc quippe suggerit inimicus, volens ipsum reflectere velut canem ad proprium vomitum. Nam si frater cogitationi consenserit, illico in mundum inimicus abigit eum. Sin vero fratris anima concupierit salutare Domini, dabit ei Deus cogitationem bonam in semitam justitiæ. Talia igitur sunt cogitationis bonæ propugnacula. « Ecce, inquit, et cœnobia probasti, et eremum expertus es. Proba igitur cogitationem tuam : et ubi vides in bonum ædificari animam tuam, ibi persiste. Quod si etiam hisce in locis quietam degere vitam volueris, sicut et cæteri fratres, qui ibi resident propter Dominum, nequaquam te Dominus noster Jesus Christus despiciet; sed ipse tui curam geret : solum in timore Dei versare. Sin autem et ad cœnobium redeundi fuerit animus, hoc etiam melius est. Caveasque tacita mentis cogitatione tecum dicere : « Ad fratres meos reverti erubesco; reputabunt enim me, si ad eos rediero,

[1] Gen. II et III.

tanquam impatientem et labores eremi ferre nolentem, imo instar segnis alicujus ac pigri militis a belli acie profugientem. » Verum non sic, mi frater, non sic, sed tu potius, velut pugil, quod dictum est ab Apostolo, explesti et effecisti. Ait enim : « Omnia probantes, quod bonum est » tenete[1]. » En tu utrumque explorasti atque tentasti. Invenisti bonum et jucundum esse fratres habitare in unum[2], quemadmodum scriptum est : « Frater, qui adjuvatur a » fratre, quasi munita atque excelsa civitas. Nam fundati » regni instar, fortis est ac potens[3]. »

VI. Quibus compunctus frater ad cœnobium revertitur. Suscipit eum præfectus cœnobii cum fratribus prompte atque libenter, propter illum qui dixit : « Sustinete infirmos[4], » attribuitque ipsi cellam. Et aliquot post dies, fratre in sua conquiescente cella, incipit malignus talibus divexare fratrem, atque suggerere ipsi, dicens : « Iterum ad antiqua venisti? nonne tibi solitudo sufficiebat, libertasve eremi? ubi neque quid noxium cernebas, neque scandalo afficiebaris, neque etiam aliquid cum aliquo loquebaris. » Et tantopere rursus dæmones divexare ac perturbare fratrem incipiunt, ut, si fieri possit, etiam parietibus monasterii effractis, effugiat. Usque adeo turbatur a malo dæmone, qui eum volens adhuc e cella retrahere, tædium illi in exiguo manuum opere injicit. Cæterum si prudens est frater (quemadmodum scriptum est : « Prudentes estote sicut » serpentes, et simplices sicut columbæ[5] : ») resistit illis dicens : « Ne me illuseritis, operarii iniquitatis; quoniam consilium vestrum ego non tolerabo, cum illud veneno sit plenum. Auscultans quippe vos prima vice, egressus sum monasterio, existimans me ad majorem profectum abire. Et cella quidem exivi, sed utilitatem mihi non retuli : imo

[1] 1 Thess. v, 21. — [2] Psal. cxxxii, 1. — [3] Prov. xviii, 19. — [4] 1 Thess. v, 14. — [5] Matth. x, 16.

cognovi quod omnes viæ vestræ sint tenebræ, et qui in eis ambulat, in tenebris incedat. Ego autem ab hoc tempore, Deo mihi cooperante, me ipse putabo servum cujuspiam, qui huc profectus, me hujus monasterii præfecto commendarit, in quo habito : ideo non sum mei juris. Et super modico manuum opere quid me divexatis atque affligitis? Numquid ego sum melior hominibus sæcularibus, qui quidem non solum de die, sed etiam de nocte operantur; sataguntque eorum, quæ sunt uxoris et liberorum et cellæ, et domicilii? me vero ab omnibus istis liberavit Christus; quia jugum ipsius suave est, et onus ejus leve [1]. « Propterea » declinate a me maligni, et scrutabor mandata Dei [2]. » Quoniam ipsi gloria in sæcula. Amen.

PARÆNESIS XXIV.

De eodem argumento.

Suggerit fratri cogitatio : « Tot jam annos in hoc sancto loco degis, inserviens Christo Domino : at nunc consenuisti, nec sufferre poteris amplius regulas loci istius; nam caro tua debilitata est, neque vires tibi ultra suppetunt faciendi quidquam; sperneri sque deinceps a parvis et magnis. Quin et propter senium tuum requie indiges. Age igitur, inde egredere, et in uno aliquo reside loco, atque quiesce : et sive ex charitate, sive ex qualicumque alia occasione, Deus tibi victum mittet. Quæ enim tibi impendet necessitas, ut etiam misere causa victus tui, improperia sufferas? Quid porro et cibus tuus est, quod ita quotidie etiam pravi instar servi defatigeris atque affligaris, sustineasque mino-

[1] Matth. XI, 30. — [2] Psal. CXVIII, 115.

ribus te subjici? » Hæc atque alia ejusmodi suggerit improbus seni, volens a fraternitate ipsum post tot tantosque annos segregare, et e loco, in quo consenuit, abstrahere; eumque impatientem tempore senectutis suæ demonstrare. Et, si cogitatione senex facilior leviorque fuerit, mox et e vestigio convertitur, et exagitatur ab ipso, sicut stipula a vento agitata. Sin autem senex cogitatione perfectus sit, eum de loco tranquillitatis non dimovent, neque ipsum superant, tanquam aliquem catena vinctum. Non enim prævalent cogitationibus piis : nam et iis resistit senex, dicens : « Ne senectutem meam irriseritis improbi dæmones : non enim pravas vestras cogitationes atque consilia ignoramus. Nam si in juventute mea patienter labores pertuli, multo magis nunc sustinebo, quando tempus resolutionis meæ instat, ut sim cum Christo : quemadmodum et vos mihi contestabamini; consenui enim, et caro mea infirmata est, quo igitur abibo? Senex quippe aliud expectat nihil, nisi ut hac liberetur vita ac dissolvatur. Et adhuc ut ignaviæ forma reddar atque exemplum, et non patientiæ, suadetis? Si enim pius senex Eleazarus, dum incendii suppliciis torqueretur, non est mutatus mente [1]; unde et juvenes ætate, hujus patientiam respicientes, contempserunt tormenta, quæ videbantur; viceruntque tyrannum septem sancti pueri : quid igitur ego? » Atque ita diabolicas cogitationes dissipat, si in eadem voluntate sententiaque permaneat, divina adjuvante gratia : moriturque in loco, ubi consenuit, referens coronam gloriæ, et a Domino audiens : « Euge serve bone » et fidelis; in paucis fuisti fidelis, supra multa te constituam : intra in gaudium Domini tui [2]. » Cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

[1] 2 Mach. VI. — [2] Matth. XXV, 21 et 23.

PARÆNESIS XXV.

De transmutatione loci in locum.

I. Fides mater est boni omnis operis, et per ipsam quis acquirit repromissiones Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, quemadmodum scriptum est : « Sine fide autem » impossibile est placere Deo [1]. » Fertilis porro possessio est diabolo infidelitas, quæ operis omnis mali est mater : quippe ex qua duplicitas animi nascitur, quæ est inordinatio atque confusio. « Vir autem duplex animo, inquit, » instabilis est in omnibus viis suis [2]. » Si ad eremum exierimus, in eremo non quiescunt pedes nostri : et, si ad loca quæ habitantur, eos, qui eremum sequuntur, felices prædicamus. Fratres, nisi seminaverimus, quomodo metemus? Fructus Largitori fructuum non offerentes, quomodo fructum ferre poterimus? Tribulationem non sustinentes, quomodo refrigerium adinveniemus? In eremo patienter non perseverantes, quo pacto mercedem peregrinationis nostræ recipiemus? Inopiam et angustias non sufferentes, quo pacto veras divitias reperiemus? In contumeliis, et molestiis, atque contemptionibus non acquiescentes, quo pacto vestigiis Christi Domini insistemus? Sub obedientia seniorum esse in Domino non sustinebimus, sed ex loco in locum alium transimus. Primum vero debet quis ex propriis perdiscere cogitationibus, cur, et quam ob causam velit proprium deserere locum, in quo habitat : ne forte laborem effugere cupiens, eremum petat, arbitrans leviorem se in eremo inventurum locum : ne rursus ab honestatis ini-

[1] Hebr. XI, 6. — [2] Jacob. I, 8.

mico dæmone livore atque invidia vulneratus angatur: quippe quod alius frater in iis rebus, quæ cernuntur proficiat; ipse vero non sit honoris gradum ac dignitatis adeptus, et hujus rei gratia relinquere vult locum, ne pugnam fugiens virtutum, aut sub obedientia in Christo vivere detrectans, solitudinem petat; neve terrenam hæreditatem persequens, suum deserere velit locum, nam cogitationes ista patefaciunt. Si ergo ante exquisiverimus ac perscrutati simus, cognoverimusque divexantem nos perturbationem animi, eam minime sequamur, ne in manus improborum incidamus dæmonum in locis desertis et inaquosis.

II. Examina igitur te ipsum strenue, an plane secundum Deum in veritate accidat res, et non consilio atque proposito depravato. Nam qui non cum consilio ac deliberatione rem agit, similis est talis viro volucres suis pedibus persequenti, et imprudenter quæ ad ipsum pertinent agenti. Consilium autem bonum mandata Christi observat. Et quid ad ista dicere oportet? Sobrietate ergo et vigilantia opus est, charissimi. Accidit porro, ut etiam per recte justeque facta fratres oppugnet inimicus. Et si consenserit frater, ut a loco separetur; machinatur inimicus ipsum aliquo in loco suis laqueis capere. Sin vero homines acerba nos quadam æmulatione persequantur, aut communicare operibus cogant alienis, in quibus non sibi complacet Deus, et ad alium confugimus locum; fiduciam habeamus ad Deum, cum Dominus et Salvator noster Jesus Christus dixerit Discipulis suis: « Quod si vos persecuti » fuerint, ex hac civitate fugite in aliam [1]. » At de non oberrando, ait rursus Salvator: « Nolite transire e domo in do» mum. » Et iterum: « In quamcumque civitatem ingressi » fueritis, ibi manete [2]. » Si porro nostram explere voluntatem voluerimus, quæ ista erit virtus? Sin autem præfecti

[1] Matth. x, 23. — [2] Luc. x, 7, 8.

nos segregarint, locum præbeamus; resistamus autem diabolo magis. Sic enim agebat David, alienigenas oppugnans, dum a facie Saül declinabat [1]. Si ergo recte in eremo quiescas, et divexarit te cogitatio, ut ad loca ,quæ habitantur, te transferas; oppone ei bellum mundi, et quæ aliquibus ibi degentibus eveniunt. Sin vero bene in cœnobio quiescis, teque conturbarit cogitatio, ut eremum ingrediaris; objice ipsi bellum atque molestiam ejus. Quod si solitariam vitam probe degas, ac te molestarit cogitatio, ut in plurium fratrum conventum ac cœtum introeas; oppone ipsi certamen cœnobiorum, ac præterea retributionem. Et ne imprudenter nostris abripiamur cogitationibus : non enim novimus, quid expediat nobis, quemadmodum ait Sapientia : « Non te extollas in cogitatione animæ tuæ, ne » abripiatur velut taurus anima tua. Frondes tuas comedes, » et fructus tuos perdes, et relinques te ipsum, ut lignum » aridum. Salus autem est in multo consilio [2]. »

III. At sæpe vis dicere te propter scandala et detrectationes inde fugere velle? Feres igitur æquo animo, ac tibi consilium dabo. Cupis fugere scandala et obtrectationes? Obstrue os tuum in Domino, et averte oculos tuos, ne videant vanitatem : atque ita utrumque vinces et detractionem per silentium, et scandala per custodiam oculorum. Nam si ista non vicerimus, quocumque abierimus, in nobis portabimus a quibus oppugnemur. Hos vince, charissime, et habebis requiem ubicumque resederis. Cæterum frequens vis dicere : « Cognita cunctis est fratribus mea ad conversionem difficultas atque negligentia, et ideo non amplius habitare queo in loco isto. Nam quamvis ego virtutem desiderem ; homines tamen, quibuscum habito, iidem sunt. » Audi ergo, charissime, tu bonum fac, et videbis quod Dominus conscientiam tuam curabit, fratrumque tuorum, in

[1] 1 Reg. XVIII et XX. — [2] Eccli. VI, 2, 3.

iis, quæ ad te pertinent. Nam si discere vis, quia scandalo et offensioni es fratribus, illud est fugere dedecus hominum, et ad eum abire locum, ubi bene audias, nec sit memoria defectus et imbecillitatis tuæ prioris, cum dicat Propheta : « Improperium expectavit anima mea, et mise- »riam [1]. » Valde enim conducit opprobrium et despectionem ab hominibus ferre propter Dominum ad purgationem peccatorum. Fidemque hujus tibi faciat Propheta, dicens : « Quoniam in humilitate nostra memor fuit nostri Domi- »nus, et redemit nos ab inimicis nostris [2]. » Sed ubi te petit, qui ex adverso insurgit, reluctare ac resiste inimico, ut quibus tui defectus et imperfectiones notæ sunt, iis quoque tua recte facta manifestentur : atque in eo magnam a Domino referes gloriam, ipso Domino et Salvatore nostro Jesu Christo dicente : « Et erunt novissimi primi, et primi »novissimi [3]. » Ex quo enim die sordida vestis lota est, non amplius cum immundis seponetur. At si quis invidia atque æmulatione prava ductus, vestem mundam appellarit sordidam, non credetur ei; nam forma atque aspectus vestimenti coarguet eum. « Lavabis enim me, inquit, et super »nivem dealbabor [4]. » In adversarios porro tuos, et qui mentem ac cogitatem tuam rursus ad antiqua student convertere mala, ait Scriptura : « Væ qui propinat proximo »suo subversionem turbidam [5]. Qui relinquunt semitas »rectas, ut ambulent per vias tenebrosas : qui lætantur, »cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis, quorum »viæ perversæ sunt et infames gressus eorum, ut longe te »faciant a via recta, et alienum a justo consilio [6]. » Ideo dicit : « Non comprehenduntur sub annis vitæ [7]. » Nam si per semitas ambulassent bonas, invenissent utique semitas

[1] Psal. LXVIII, 21. — [2] Id. CXXXV, 23, 24. — [3] Matth. XIX, 30, et XX, 16, et Luc. XIII, 30.— [4] Psal. L, 9. — [5] Habac. II, 15.— [6] Prov. XI, 13-15. — [7] Ibid. 19.

justitiæ planas ac faciles. « Boni erunt habitatores terræ; » simplices autem relinquentur in ea [1]. » Semitæ impiorum ex terra peribunt, et iniqui expellentur ab ea [2]. Fili, ne mearum obliviscaris concionum; verba autem mea retineat cor tuum [3]. Quoniam Deo gloria in sæcula sæculorum. Amen.

PARÆNESIS XXVI.

De misericordia erga recedentes.

I. Si contigerit a cœnobio fratrem quocumque prætextu recedere, eumque acciderit in morbum labi, aut etiam sponte resipiscentem reverti; non oportet fratrem despicere, sed potius ipsum in Domino, velut proprium membrum, convenit amplecti, etiamsi peccaverit. Attamen tu non id homini præstas, sed Domino dicenti : « Quod uni » ex his minimis fecistis, mihi fecistis [4]. » Nam sui ipsius duntaxat curam gerere, prohibitum est; Salvatore nostro dicente : « Ne solliciti sitis animabus vestris, quid » manducetis [5] : » Et quæ sequuntur. Ideo infert, dicens : « Hæc enim omnia gentes inquirunt [6]. » Quare et per Apostolum admonet dicens : « Non quæ sua sunt singuli » considerent, sed ea quæ aliorum [7]. » Rursumque idem ait : « Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro [8]. » Si linguis hominum loquar et Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cym» balum tinniens; et si habuero prophetiam, et noverim

[1] Prov. II, 21. — [2] Psal. XXXVI, 38. — [3] Prov. III, 1. — [4] Matth. XXV, 40. — [5] Id. VI, 25 et 31. — [6] Ibid. 32. — [7] Philipp. II, 4. — [8] I Cor. XII, 31.

» mysteria omnia, et omnem scientiam. Et si habuero » omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem » non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pau- » perum, omnes facultates meas : et si tradidero corpus » meum, ita ut ardeam ; charitatem autem non habuero, » nihil mihi prodest. Charitas patiens est, benigna est. Cha- » ritas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, » non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irri- » tatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, » sed congaudet veritati. Omnia suffert, omnia credit, omnia » sperat, omnia sustinet. Charitas nunquam excidit [1]. » Bona igitur oratio cum jejunio : sed hæc roborat atque confir- mat eleemosyna. « Misericordiam enim, inquit, volo, et » non sacrificium [2]. » Cerne porro Prophetam, quo pacto immisericordes redarguat : « Pro eo, inquit, quod non est » recordatus facere misericordiam, et persecutus est homi- » nem inopem et mendicum et compunctum corde morti- » ficare, dispereat de terra memoria ejus [3]. Quoniam » quem tu percussisti, ipsi persecuti sunt, et super dolorem » vulnerum meorum addiderunt [4]. » Propterea beatos præ- dicat Salvator misericordes suos, dicens : « Beati miseri- » cordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur [5]. » Quid enim Angelus ait ad Cornelium ? « Non orationes » duntaxat tuæ, sed etiam eleemosynæ, inquit, tuæ as- » cenderunt in memoriam in conspectu Dei [6]. » Ab errore igitur revertentem ac pœnitentem suscipe : a mortuis re- surgentem de profundo privationis timoris Dei et negli- gentia, amplectere. Apostolum audi dicentem : « Confir- » mate in illum charitatem, ne forte abundantiori tristitia » absorbeatur qui ejusmodi est [7]. » Rursusque ait : « Roga-

[1] 1 Cor. XIII, 1-8. — [2] Osee, VI, 6, et Matth. IX, 13. — [3] Psal. CVIII, 15-17. — [4] Id, LXVIII, 27. — [5] Matth. V, 7. — [6] Act. X, 4. — [7] 2 Cor. II, 7.

» mus vos, fratres ; corripite inquietos, consolamini pusil-
» lanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes.
» Videte ne quis malum pro malo alicui reddat : sed
» semper quod bonum est sectamini, in invicem et in
» omnes [1]. »

II. Etenim Dominus gloriæ non rejecit filium prodigum, sed amplexus est eum tanquam a mortuis resurgentem, et induit ipsum stola prima, ac calceavit, annulumque dedit in manum ejus et vitulum saginatum occidit, ut lætaretur, quod inventus esset filius qui perierat. De quo cum alter filius doleret, etiam ipsum pater consolando curavit, dicens : « Fili, tu semper mecum es, et omnia » mea tua sunt : epulari autem et gaudere oportebat, quia » frater tuus hic mortuus erat, et revixit : perierat, et in- » ventus est [2]. » Sic ergo convenit misericordes esse fraternitatis præfectos. Tu porro, frater, misericordiam assecutus, ne parvipendas ; sed filium illum resipiscentem ac revertentem imitare : quippe qui dum reperit patrem suum, non oblivioni peccatum tradidit, sed etiam in genua se provolvit, confessusque est in veritate, et non in simulatione, dicens : « Pater, peccavi in cœlum, et coram te : et » non sum amplius dignus vocari filius tuus : fac me, si- » cut unum de mercenariis tuis [3]. » Vides qualem compunctionem habuerit, qualem dolorem, qualem humilitatem.

III. Quocirca et nos, charissime, de cætero sobrii simus et vigilemus, ut et turrim negligentia eversam instauremus. Nam qui suam ipsius parvi facit negligentiam, plane non parcet etiam in alterius eversione : ad quem Propheta dicit : « Væ qui propinat proximo suo subversionem turbi- » dam [4]. » Serviamus igitur Domino in timore et in humi-

[1] 1 Thess. v, 14, 15. — [2] Luc. xv, 31, 32. — [3] Ibid. 18, 19. — [4] Habac. II, 15.

litate. Prudenter vero ac caute quæ tibi dicuntur intellige. Ne ad modicum tibi tempus serviat humilitas ac silentium, et post modicum obmurmuratio: neque occasione minus necessarii operis et accessorii, tuam despexeris synaxim. Quemadmodum enim pluvia auget semen : ita et synaxis ad virtutem incrementum præbet animæ. Ne hodie gratiarum actio pro iis, quæ apposita sunt in mensa, et cras adversus eum, qui cibos coquit, et panes parat, obmurmuremus. Marcidi sunt panes? Sed Prophetæ meminerimus dicentis : « Quia cinerem tanquam panem manducabam [1].» Acerbum et marcidum est vinum? At recordemur, quomodo omnium nostrum Dominus et Salvator acetum cum felle propter nos gustavit. Ne ergo hodie temperantia et abstinentia, et postero die præfectos ob voluptatem ventris tentemus ac lacessamus, ut non audiamus: « Quorum Deus » venter est, et gloria [2]. » Ne hodie quietem sectemur ac meditationem, et cras e cella in cellam oberremus; ut non dicam, e vico in vicum, et in civitate detineamur : neque prætextu ministrandi senibus, acediam tædiumque præ nobis feramus. Quantum enim quietem sectatur, tantum cogitationes ejus in puritate versantur; et quanto quis longius a tranquillitate recedit, tanto crassior hebetiorque mens ejus redditur. Opificium tibi committitur, quod utile sit cœnobio? Ne ob illud extollaris. Nam si propter hominem illud exerces, recte quidem diceres. At si propter Deum, ne efferaris adversus conservum tuum, verum Deo relinque : ipse enim unicuique largitur secundum opera ejus. Ideoque humiliemus animas nostras coram Domino, ut nos exaltet : et velut quotidie initia jacientes, componamus cogitationes nostras : sic enim et robustiores atque paratiores erimus. Ne ergo carnalibus abducamur voluptatibus, neque vitam timoris Dei expertem degamus : sed

[1] Psal. CI, 10. — [2] Philip. III, 19.

omnem juvenilem vitemus concupiscentiam, ne forte ejusmodi concupiscentia in priorem nos ducat conversationem, et in eadem incidamus mala, pejus nobis ipsis judicium iræ præparantes : abscindamurque putrido membro similes, et in reliquorum membrorum beneficium amputato : cum Dominus et Salvator noster Jesus Christus dicat : « Ecce sanus factus es : jam noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat [1]. » Ipse porro Dominus concedat nobis gratiam exhibendi conversionem ac digna pœnitentiæ opera faciendi; ut induti veste nuptiali, occurramus ei in gloria. Quoniam ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

PARÆNESIS XXVII.

De privatione timoris Dei, et negligentia.

Frater quidam exposuit mihi, dicens : « Patruum habui aurificem; abdicataque vita sæculari, factus est monachus. Et circa senium ejus, venit ad ipsum sæcularis quidam, Alexandrinus genere, artis cabidiæ, cupiens fieri monachus. Admisitque eum senex in monasterium suum : ac post aliquod tempus, curavit fratrem senex sumere sanctum habitum : et non amplius sub obedientia senis vivebat. Ipsi autem senex duas in suo monasterio cellas assignarat. Insaniebat porro frater in opere suo nocte dieque, cabidias mutans. Progressus enim erat in loco, ut de alia re nulla jam laboraret, neque de oratione, neque de synaxe, nisi de opere : quippe qui argenti cupiditate teneretur. Quare fratrem pius adhortabatur senex, dicens : « Frater

[1] Jean. v, 14.

Palladi, huc age, colamus hortum. » Cui ille : « Vade, et venio ; » et non ibat, sed negligebat. Rursus ad eum senex : « Palladi frater, huc age, faciamus synaxim. » At ille iterum respondebat : « Vade, et venio : » et non abibat, sed contemnebat. Habebat vero secum senex tres fratres, et ex iis duos cæcos ; alius autem sanus erat et integer. Quando ergo senex exiguum aliquod pulmentum faciebat, Palladius sibi panem ferens, edebat cum ipsis : sicque rursum ad opus suum ibat. Sanctus igitur senex adhortabatur fratrem, monens ne suam salutem sperneret. At ille non acquievit bonis sancti senis monitis : sed relinquens eum, exivit monasterio, habitaturus in solitudine, expers timoris Dei. Sic vero dum suam ipse vitam negligeret, cum neque obedientiam ferre posset, neque vitam agendo solitariam, salutem curaret suam; tandem mente sua longius a Dei auxilio, ac spe sanctorum remota, ad extremum a dæmone superatus mentem perdidit. Cumque non posset amplius ori manum admovere, ab aliis instar infantium, cibus illi in os inferebatur. Neque enim hominem amplius agnoscebat et nares ipsius, ac salivæ in barbam ei defluebant. Ubi vero ejus sorores quod illi acciderat, acceperunt, sumpserunt eum secum : erant autem virgines. Eumque acceptum recluserunt in oratorio monasterii : ipse vero se in sua sedicula trahebat per totum oratorium. Cumque jam presbyter veniret, ut eis synaxim celebraret, rogabant eum, ut precaretur pro illo, ut misericordiam cum ipso Dominus faceret. Manensque in ea disciplina aliquandiu, interea moritur. Ecce quid efficiat nimia audacia ? Ecce quid inobedientia et negligentia concilient ? En quorsum evadat finis obedientiæ? Quare non contemnamus timorem Dei, sed humiliemur sub potenti manu ipsius, servientes invicem in timore Dei : et ipse nobis erit murus et protector a facie inimici, sicut scriptum est : « Castra ponet Angelus Domini

» in circuitu timentium eum, et eripiet eos [1]. » Ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

PARÆNESIS XXVIII.

In illud : Habenti dabitur, et abundabit.

Scriptum est : « Habenti dabitur, et abundabit : qui autem non habet, et quod videtur habere, auferetur ab eo [2]. » Quid ergo dicemus? Numquid injustitia est apud Deum? Absit. Audi porro et de hoc parabolam. « Erat paterfamilias in regione quadam, qui duos habebat servos, et tria juga boum : deditque uni duo juga boum, alteri unum : et dixit ad ipsos : « Euntes operamini, donec ad vos venero. Abiensque qui duo juga boum acceperat, operatus est in illis, et ditatus est homo vehementer, bovesque bene atque egregie nutrivit. Qui autem unum acceperat, abiens ligavit boves ad præsepe, nulli prorsus rei admovens illos; inclinansque se ipsum obdormivit. Deinde venit dominus servorum illorum, ut videret eorum opera : et cernens opus ac lucrum ejus, qui duo acceperat juga, benedixit ipsi. Postea venit et ad alterum servum, invenitque ipsum dormientem, et boves præsepi alligatos, fame ac siti pereuntes. Vidensque dominus servum nihil operantem bovesque pene deficientes, dixit intra sese : « Si reliquero boves meos apud pigrum hunc servum, perdet eos. Auferam igitur meos ab ipso boves, et dabo illi, qui bene operatus est, et diligentem operis sui curam habuit. « Omni enim habenti dabitur, et » abundabit : qui autem non habet, etiam quod videtur » habere, auferetur ab eo [3]. » Et rursus Dominus : ego qui-

[1] Psal. xxxiii, 8. — [2] Matth. xiii, 12, et xxv, 29. — [3] Marc. iv, 25, et Luc. viii, 18.

dem cum sim bonus, vocavi ipsum, et potestatem ei dedi, ut bonum operando, vitam æternam possideat; ipse autem me sprevit; et propterea despicietur, ignominiaque afficietur. « Et homo cum in honore esset, non intellexit : comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis[1]. Noluit benedictionem, et elongabitur ab eo[2]. » Et quid ita? « Noluit intelligere, ut bene ageret : propterea iniquitatem meditatus est in cubili suo : astitit omni viæ non bonæ; malitiam autem non odio habuit[3]. » Numquid injustitia est apud Deum? Absit. Ideo, fratres, demus operam, ut grati et accepti simus coram ipso cum omnibus sanctis ejus. Quoniam ipsum decet gloria in sæculorum sæcula. Amen.

PARÆNESIS XXIX.

De vertigine et tentationibus.

Fratres, si quis ex magis piis ac religiosis fratribus in synaxe constitutus, aut inter deambulandum, vertigine ipsi obveniente, repente humi concidat; non in eo admirandum est, neque obstupescendum : sed potius toto corde ac mente orare oportet Deum, ut in omnibus nos protegat atque defendat. Nam si veraci corde servierimus ei, non sinet nos tentari supra vires : quin et tentatos liberabit. Sic enim in Psalmo scriptum est : « Altissimum posuisti refugium tuum : non accedent ad te mala, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo; quoniam Angelis suis mandabit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis, et in manibus tollant te, ne forte offendas ad lapidem pe-

[1] Psal. XLVIII, 13. — [2] Id. CVIII, 18. — [3] Id. XXX, 4, 5.

»dem tuum. Super aspidem et basiliscum ambulabis, et »conculcabis leonem et draconem. Quoniam in me spera»vit, et liberabo eum : protegam eum, quoniam cognovit »nomen meum. Clamabit ad me, et exaudiam eum ; cum »ipso sum in tribulatione. Eripiam eum, et glorificabo eum : »longitudine dierum adimplebo eum, et ostendam illi sa»lutare meum[1]. » Et rursus : « Qui confidunt in Domino, »sicut mons Sion : non commovebitur in æternum qui ha»bitat in Jerusalem[2]. » Et iterum : « Junior fui, etenim »senui : et non vidi justum derelictum, nec semen ejus »quærens panes[3]. » Atqui vertigo ex effervescentia acutæ choleræ accidit, aut etiam ex abundantiore humore. Aliquibus autem et ex corporis debilitate atque languore. Interdum vero aliquid hujusmodi comparat atque molitur diabolus, cum nequeat vel opere vel sermone fratrem vincere; ut saltem hac machinatione confundens eum, repellat a stadio. Cæterum Dominus non sinet ultra vires ipsum tentari; sed cito confirmabit cor ejus. At certe non simpliciter, neque casu impetum facit in fratrem ; sed cum illius cogitationes distractionibus iracundiæ perturbantur. Alius autem in manus traditur inimici ex Dei permissione ; idque ex elatione quadam, quando se ipsum fallacibus inimici consiliis commiserit, et dicit : « Ecce præ omnibus hominibus magis probatus es, et non est ex iis, qui similis sit tibi super terram : aliaque his sublimiora, aut potius graviora. Præterea etiam recte facta sibi ipsi ascribens, et non Deo honorem deferens, tanquam a quo auxilium acceperit. Sic ergo in tentatoris manus traditur, ut correptus infirmitatem cognoscat suam, et non obliviscatur auxilii ejus, qui dicit : « Quando cuncta feceritis, dicite : Servi »inutiles sumus[4]. Nam qui se ipsum exaltat, humiliabitur[5].»

[1] Psal. xc, 9-16. — [2] Id. cxxiv, 1, 2. — [3] Id. xxxv, 25. — [4] Luc. xvii, 10. — [5] Matth. xxiii, 12, et Luc. xiv, 11, et xviii, 14.

Fieri enim nequit, ut qui in veritate Dominum diligunt, diaboli dominio potestatique subjiciantur.

II. Siquidem diabolus agitare conatur atque commovere; sed evellere radicitus non valet. Quemadmodum et in Job accidit, qui in manus quidem tentatoris traditus fuit[1]; sed non ausus est tentator attingere ipsum propter tutelam Dei; quamvis etiam potestatem a Deo accepisset utendi eo, sicut voluisset, salva tamen anima Justi[2]: nam vicit Justus adversarium solo amore ac desiderio, quo vere in Deum ferebatur. Datus porro et Apostolo est stimulus Angelus Satanæ[3]: sed illum devicit per eum, qui dilexit ipsum, Dominum nostrum Jesum Christum, quem mente continebat in charitate perfecta. Neque enim ægrotare secundum carnem est succumbere, sed in tentationibus non probatum inveniri. Videmus quippe, ne in porcos quidem inimicum potestatem habere citra permissionem divinam. Ego quidem alium virtutis amore in columna constitutum aspexi. Putas-ne si potestatem tollendi quos vellet, haberet, talem ipse e vestigio una cum columna non detraxisset? Unde novimus contusam esse potentiam ejus per virtutem pretiosæ crucis Salvatoris nostri Jesu Christi. Ne ergo pertimescas, serve Christi, nec conturbentur cogitationes tuæ; neque recedas a loco, ubi proficis in Domino. Credimus enim ei, qui dixit: « Vestri autem etiam capilli capitis omnes numerati sunt[3]. » Et: « Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem inimici, et nihil vobis nocebit[4]. Sagittæ enim parvulorum factæ sunt plagæ eorum, et infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum[5]. » Quando ergo in varias incideris tribulationes, non te ignavum præbueris; cum dicat Propheta: « Domine, in tribulatione memores tui

[1] Job. I. — [2] Id. II. — [3] 2 Cor. XII, 7. — [4] Matth. X, 30. — [5] Luc. X, 19. — [6] Psal. LXIII, 8, 9.

» fuimus. » Et : « Multæ tribulationes justorum, et ex omni» bus hisce liberabit eos Dominus [1]. » Unde et in alio loco dicit : « Respicite in veteres generationes, et videte, quis » credidit Domino, et confusus est ? Aut quis permansit in » timore ejus, et derelictus est ? Aut quis invocavit eum, et » despexit illum ? Quoniam misericors et miserator est Do» minus, et remittit peccata, salvatque in tempore tribula» tionis [2]. »

III. Timor ergo Domini, turris fortitudinis est a facie inimici. Ne ergo turrim diruas : atque ita non capieris. Verum ad benignissimum accede Deum, una cum Propheta ad ipsius clamans bonitatem : « In te, Domine, speravi : non » confundar in æternum : in justitia tua libera me, et eripe » me. Inclina ad me aurem tuam, accelera ut eripias me. » Esto mihi in Deum protectorem, et in domum refugii, ut » salvum me facias. Quoniam fortitudo mea, et refugium » meum es tu : et propter nomen tuum deduces me, et » enutries me. Educes me de laqueo hoc, quem absconde» runt mihi : quoniam tu es protector meus, Domine. In » manus tuas commendo spiritum meum : redemisti me, » Domine Deus veritatis [3]. » Ut et ipse quod scriptum est, ad nos dicat hoc modo : « Ego ero tecum, et non deseram » te. Viriliter age, et confortare [4]. » Rursusque ait : « Ne ti» mueris a facie eorum, neque paveas coram ipsis : quoniam ego tecum sum, dicit Dominus, ut eripiam te [5]. » Gratias ergo bonitati ejus agens, procide coram eo, dicens : « Impulsus eversus sum, ut caderem, et Dominus suscepit » me. Fortitudo mea, et laudatio mea Dominus, et factus » est mihi in salutem [6]. » Ipsi Gloria in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Psal. xxxiii, 20. — [2] Eccli. ii, 11-13. — [3] Psal. xxx, 1-6. — [4] Jos. i, 18. — [5] Jer. i, 8. — [6] Psal. cxvii, 13, 14.

PARÆNESIS XXX.

De humilitate.

Charissime frater, si promotus fueris, ut in supremo consistas gradu, cave obliviscaris humilitatis: ut si quando tibi e gradu descendere contigerit, viam invenias, et non inopinato casu corruas. Hoc quippe aliquibus ex propria accidit ingratitudine atque inscitia, dum eum non agnoscunt, qui ipsis donavit gratiam. Nam si benefactorem agnovissent, non ejus mandatis inobedientes se præbuissent, et si non inobedientes fuissent, non sane excidissent: quemadmodum scriptum est : « Qui se ipsum exaltaverit, » humiliabitur; et qui se ipsum humiliaverit, exaltabitur [1]. » Ideo et in Psalmo ait : « Vidi impium superexaltatum et » elevatum, sicut cedros Libani : et transivi, et ecce non » erat : et quæsivi eum, et non est inventus locus ejus. Cus» todi innocentiam, et vide æquitatem : quoniam sunt reli» quiæ homini pacifico [2]. » Rursusque dicit : « Dominus su» perbis resistit, humilibus autem dat gratiam [3]. » Ideo et per Apostolum admonet, dicens : « Non alta sapientes, sed » humilibus consentientes [4]. » Alibique dicit : « Non te ipsum » exaltes, ne forte cadas, et adducas animæ tuæ dedecus, » et revelet Dominus occulta tua, et in medio synagogæ » elidat te : quoniam non accessisti cum timore Domini, et » cor tuum plenum est dolo [5]. » Propterea, fratres, studeamus humiliare animas nostras coram Domino, ut nos exal-

[1] Matth. XXIII, 12. Luc. XV, 11, et XVIII, 14. — [2] Psal. XXXVI, 35-37. — [3] Jacob. IV, 6, et 1 Petr. V, 5. — [4] Rom. XII, 16. — [5] Eccli. I, 38-40.

tet in tempore visitationis. Ipse enim est, qui « Suscitat a » terra inopem, et de stercore erigit pauperem [1]. » Quicumque enim se ipsum ob pietatem sponte humiliare noluerit, humiliabitur invitus. Quoniam et in justo Job scriptum reperitur : « Apud ipsum est potentia et fortitudo : ipsi » scientia et intellectus. Qui ducit consiliarios captivos; » judices autem terræ rapit in stuporem. Qui collocat reges » super sedes, et præcingit baltheo lumbos eorum. Qui sa- » cerdotes captivos emittit, dynastas autem terræ evertit. » Qui commutat labia fidelium; intelligentiam vero senum » cognovit. Qui ignominiam effundit super principes; hu- » miles autem sanitati restituit [2]. » Diligamus igitur humilitatem, charissimi; quoniam ipse dixit : «Tollite jugum meum » super vos, et discite a me, quoniam mitis sum, et humi- » lis corde : et invenietis requiem animabus vestris. Jugum » enim meum suave est, et onus meum leve [3]. » Etiam benedicte, etiam glorificate, etiam misericors, etiam amator hominum optime : valde jugum tuum suave est, et onus tuum leve omnibus accedentibus ad serviendum tibi in vero corde. Quoniam te decet gloria et potentia ac fortitudo in sæcula sæculorum. Amen.

PARÆNESIS XXXI.

Quod Christianum oporteat esse longanimem, et immemorem injuriarum.

Si quæ acerbitas acciderit, non quidem est pessimum id contigisse; sed grave admodum et horrendum persistere in acerbitate. Frater, si in tua absentia contigerit tibi ab

[1] Psal. CXII, 7. — [2] Job. XII, 13-15. — [3] Matth. XI, 29, 30.

aliquo maledici et obtrectari; veneritque alius, qui renuntiet tibi fratrem quemdam in te maledicta et convicia contulisse, tu ut prudens agnosce cujus ista sit suggestio, et ne adversus fratrem tuum exacerberis. Quin et ei, qui te certiorem fecit, sic responde : «Quamvis contumeliis me consectatus sit, frater tamen meus est; ego vero conviciis sum dignus. Verumtamen non ex se ipso contumelia et ignominia me affecit; sed hoc inimicus machinatus est, ut inimicitias inter nos spargeret.» At Dominus malignum destruet; fratris autem miserebitur, et nos non derelinquet. Sin autem et in faciem rursus dictæ tibi fuerint contumeliæ, ne succenseas atque indigneris, neque cito mente commovearis. Sin porro et de malo aliquo contigerit in nos convicia spargi, ne simus duri corde, sed potius lapsum atque erratum corrigamus. At si inimici suggestione hoc acciderit, tu velut conscius operis, ne indigneris adversus fratrem tuum. Nam si contumeliis affectus, contumeliam rependas, duplici te ipsum contumelia afficis : primum quidem, quod contumeliose tractatus, non patienter ac longanimiter tuleris : deinde vero, quod impudenter usus, vicissim maledixisti et conviciatus es. Quando ergo contigerit te conviciis ab aliquo onerari, ne excandescas ira; sed mox labiis placide graviterque subridens in te ipso, iracundiam in pacem converte. Cæterum est etiam risus, qui excitat proximum ad iracundiam. « Nam stultus, inquit, » in risu operatur mala [1]. » Verum non de illo dico, fratres : sed ut tanquam bonus et probatus medicus, charitatis admisceas pharmacum in vinculo pacis. Ignis enim ignem non extinguit. Alioquin ridendum non est, sed ut charitate, gravitate, ac longanimitate, iracundi dæmonis iram reprimas. Nam scriptum est : « Ira viri justitiam Dei non » operatur [2]. » Alibique dicit : « Momentum enim furoris ejus,

[1] Prov. x, 23. — [2] Jacob. i, 20.

» ruina ipsi[1]. » Si porro et frater tuus, dum leniter arrides, non ædificatur, ne vincatur ab ira, annitamur modis omnibus curare fratrem : cum dicat Dominus et Salvator noster Jesus : « Si offeras munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adversum » te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade primum, » reconciliare fratri tuo : et tunc veniens offer munus » tuum[2]. » Et per Apostolum admonet, dicens : « Pacem » sectamini cum omnibus, et sanctimoniam : sine qua nemo » videbit Dominum[3]. »

II. Et ne doceat inimicus improbus dicere : « Non tristor de contumelia, qua affectus sum; sed quod in præsentia fratrum me conviciis exceperit. » Hoc te conturbat, servo Domini? Sed ubi arma tua reliquisti, o miles Christi? Dico autem de cruce, quæ crux est humilitas; sicut scriptum habetur : « Humiliavit semetipsum, factus obediens usque » ad mortem, mortem autem crucis[4]. » Vis ostendam tibi, frater, quod cum gratiarum actione debemus omnia sustinere, quæcumque pro Christo nobis illata sunt? Christus est vita nostra, et salus animarum nostrarum. Qui ergo pro Christo patitur, pro sui ipsius salute et vita patitur. Ostendam vero tibi et per similes nobis passibiles homines, quod per humilitatem grati acceptique Deo fuerint. Primumque tibi ab iis, qui secundum carnem ambulant, producam exemplum : deinde ad eos, qui spiritaliter vitam duxerunt, transibimus. Contumelia affectus es? Mente pugilum certamen perpende. Verum omissis illis qui secundum carnem ambulant, veniamus ad eos qui secundum spiritum. Quando fugit David a facie Absalon filii sui, nonne egressus Semeï contumeliis excepit regem David in conspectu omnium, qui comitabantur ipsum[5]? Num scor-

[1] Eccli. I, 28. — [2] Matth. V, 23, 24. — [3] Rom. XII, 18, et Hebr. XII, 14. — [4] Philip. II, 8. — [5] 2 Reg. XVI.

sim maledicebat regi, ut dicere quis posset, quod ea de causa patienter ac longanimiter contumeliam rex tulerit? Et non solum maledicebat; sed etiam execrabatur; ac lapides in regem projiciebat : ita ut quidam ex veris amicis regi diceret : « Quare maledicit canis hic mortuus domino » meo regi? Vadam, et amputabo caput ejus. Rex autem ad » eum : Quid mihi, et vobis, filii Sarviæ? Sinite eum male» dicere mihi : Dominus enim dixit ei, ut malediceret David. » Et quis ei dixerit : Quare sic fecisti? » Rursusque ait : « Si » forte respiciat Dominus humilitatem meam, reddatque » mihi bona pro maledictione ejus in die ista [1]. » Vides, charissime, quod in humilitate servierint justi Domino? Si porro rex et propheta cum esset, tantum studium et humilitatem exhibuit; quales oportet esse mendicos et peccatores? Revolve simul etiam mente, ipsius David oblivionem injuriarum erga Saül.

III. Quare et nos, fratres, longanimitatem colamus, alter alterius onera portantes. Quis enim est miles, qui dum suum aspicit commilitonem ab adversariis comprehensum, non decertet ac pugnet cum adversariis, ut commilitonem suum e manu eorum [2], qui captivum eum ducunt, eximat atque recuperet? Quando autem eximere eum nequierit, tunc plorat et lamentatur, memor sodalis sui atque amici. Nonne multo magis debemus nos pro invicem ponere animas nostras? Cum Dominus et Salvator noster Jesus Christus dicat : « Major hac non est charitas, quam ut animam » quis ponat pro amicis suis [3]. » Ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

[1] 2 Reg. xvi. — [2] Galat. vi. — [2] Joan. xv, 13.

PARÆNESIS XXXII.

De passionibus ac perturbationibus animi.

Vir in torpore ac negligentia dies suos transigens, se ipsum decipit, prorsusque non cogitat de bonis, quæ Dominus justis præparavit, nec supplicia peccatoribus parata considerat; sed se ipsum absque timore ullo pascit. In tali autem omnem concupiscentiam operatur carnalem hostis improbus; nequitque talis intelligere, qua ratione ne porta quidem urbis potest animadvertere, quinam per eam ingrediantur, et exeant. Nam concupiscentia in mentem ejus ingressa, oculos ipsius obvelat. Athletas porro variis modis inimicus oppugnat; et ante quidem consummationem iniquitatis, vehementer eam in oculis ipsorum imminuit; potissimum vero concupiscentiam voluptatis carnalis tantum extenuat, quomodo si quis poculum aquæ frigidæ humi effunderet. Ita prius quam peregatur scelus, in ipsius fratris oculis illud improbus imminuit. Consummato autem jam scelere, usque adeo illud extollit atque exaggerat malignus in manibus ejus, qui in illud incidit, ut nihil supra. Quinetiam desperationis undas adversus eum excitans, sæpe quoque et per parabolas se illi opponit, talia ipsi suggerens, dicensque : « Quid fecisti, inanis et inutilis operarie? Nunc patefaciam tibi, cui labor tuus sit similis. Quemadmodum si quis sibi plantasset vineam, quam studiose coluisset atque custodisset, donec fructum ferret; deinde illa vindemiata, vini cados implesset; tum vero repente surgeret, arreptaque securi dolia frangeret, effusumque vinum periret. Huic simile est opificium tuum. »

Hæc improbus dæmon fratri suggerit, volens ipsum in profundum desperationis deprimere. Quare hasce inimici machinationes prænoscens, charissime, fuge peccatum. Et si forte in delicto aliquo præoccupatus fueris, ne in eodem permaneas errato; verum resurge, et convertere ad Dominum Deum tuum in toto corde tuo, ut salvetur anima tua. Ad improbam porro cogitationem dicito : « Etsi dolia confregi, vinumque deperdidi, vinea tamen adhuc superest, et Dominus longanimis est et misericors, et miserator, et justus; et spero, bonitate ejus mihi cooperante, fore ut iterum ipsius vineam studiose excolam atque custodiam, ac dolia ex ipsa, sicut et prius, compleam. Ait quippe per prophetam Isaïam : « Si fuerint peccata vestra ut phœni» ceum, quasi nivem dealbabo; et si fuerint ut coccinum, » velut lanam dealbabo. Et, si volueritis, et audieritis me, » bona terræ comedetis. Si autem nolueritis, neque exau» dieritis me, gladius devorabit vos; os enim Domini locu» tum est ista [1]. » Ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

PARÆNESIS XXXIII.

Quomodo oporteat consolari pusillanimes.

I. Frater suum quærebat fratrem; illoque invento, dixit ad eum : « Ubinam es, frater? » Ille autem ad eum : « Quidam in angustiis versabatur ex fratribus, et abii consolaturus eum. » Et frater ejus ad ipsum : « Si propter Dominum abiisti, mercedem habebis. Sunt enim nonnulli, qui videntur consolari ac compati; et nesciunt, quod potius affligant, et ad nocendum abeant. » Frater autem : « Et qualis, inquit, ille

[1] Isaï. 1, 18-20.

qui suum sic consolatur fratrem ad nocumentum et damnum? » Respondit illi frater ejus : « Si vir spiritalis fuerit, qui alterum consolatur, non ad nocendum, sed, ut multum prosit, vadit. At qui ea, quæ carnis sunt, sapit, hic nihil proderit. » Frater autem ait : « Vellem scire utriusque verba; ne forte dum prodesse cupio fratri, obsim. » Et frater ad eum : « A Domino miserationes quæramus ambo, ut gratiam suam cordibus nostris immittat; nam sine gratia ipsius, homo recte et cum virtute agere nihil potest. Audi ergo : qui carnalia sapit, ad fratrum consolationem vadens, talia depromit. Quid habes, inquit, mi frater? » Ille vero ad ipsum : « Rem quamdam necessariam ab œconomo postulavi, nec dedit mihi; » vel alium profert fratrem, a quo sit violatus injuria. His auditis, qui scilicet ad consolandum venerat, exclamat dicens : « Et quamobrem iste alios usque adeo dedecore afficit? Nam et mihi alias idem fecit, ignominiæque notam intulit; et honore a nobis afficitur, et non intelligit, neque vult se ipsum ferre : putantque præfecti eorum qui hic sunt, in hoc solum loco licere salvari, et alibi salvari hominem non posse. Recedo et ego a loco isto, et ab istis hominibus liberor. Magisque in verbis hisce fratri nocet. » Si porro et alii reperiantur eidem obnoxii cogitationi, pejus fratris cogitationem dissolvunt atque evertunt. Sæpe vero contingit et vinum in medium proferri; et donec inebriati fuerint, non cessant potitare, et verbis contendere ad invicem. Accidit autem, quod et manibus se invicem adoriantur. Alii porro etiam in ipso loco ex nimia compotatione obdormiscant.

II. Frater autem ait : « Cuperem spiritalium quoque nosse verba, ut optima ex iis mihi ipse deligam. » Ille vero respondit : « Spiritalis quando ad fratris concessurus est adhortationem, imprimis etiam priusquam sua egrediatur cella, in oratione consistit, ut Dominus viam suam pros-

peret : veniensque ad januam fratris, et pulsans, inclinat se, metanœam agens : admissusque ingreditur, ac se ad orationem componit. Postea vero simul in silentio sedent. Deinde ad fratrem dominus cellæ : « Bene, inquit, venisti : advenisti enim benedicturus nobis. » Frater respondet : « A pietate tua ego benedicar. Obsecro igitur te, benedicte a Domino, quid est quod habes ? » At frater cogitationes suas profert, ac fratrem quemdam esse, qui ipsi molestiam exhibuerat. Quibus auditis, frater ait : « Domine, adjuva me : non enim sinit inimicus quemquam quiescere. » Rursus autem sermonem subjungens, dicit : « Verumtamen, charissime, et ubi non est tribulatio ? Ubi non est labor ? Sæculares nonne laborant ? Nautæ per maria discurrentes, nonne periclitantur ? Milites in bello nonne pericula subeunt ? Et quo pacto nos sic pusillanimes sumus, tanquam soli angustiis ac tribulationibus pressi ? Sæculares in mundanis laborant; spiritales in operibus spiritalibus affliclantur. At mundi tristitia mortem operatur; quæ autem secundum Deum est tristitia, pœnitentiam in vitam æternam. Et nos ergo tribulati, ne pusillanimes simus. Scriptum est enim : « Tribulatio vestra convertetur in gaudium [1]. » Et tu quidem ista sustinuisti : nunc autem carne consummaris ? Recordare quod mundo renuntiasti, ac propriæ voluntati; et verbum non toleras ? Propter quod etiam a mansione vis abscedere ? Ita-ne inimicus cogitationem humilitatis deprædatus est ? Et ea de causa perturbationes vehementer in nos insurgunt ? Ne mihi res veras ad te referenti irascaris. Hæc enim tibi compatiens loquor : nam unde causa provenit ? Plana vel ob cibum, aut ob potum, aut quod verbum tolerare nolueris, tantis affectus es damnis. Et reputasti omnia ut stercora, ut Christum lucrifaceres [2] : et iterum antiquis mentem pateris demergi pas-

[1] Joan. XVI, 20. — [2] Philipp. III, 8.

sionibus? Nam nisi continentiam diligamus, nisi nostram voluntatem abscindamus, non est nobis libertas dicendi: « Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te [1]. » Perpende mente, qualis eras, dum primum ad januam monasterii advenisti, spiritu fervens in timore Domini.

III. At forte cupis dicere: « Homines isti cogitationem meam perverterunt. » Vis, ostendam tibi, charissime, ex nostra ignavia id ortum esse? Lot in Sodomis habitabat, et et non cum iis periit [2]. Giezi Elisæo prophetæ serviebat, et peccavit [3]. Similiterque Samuël apud Heli permanebat, et simul cum filiis versatus est [4]; et illi ceciderunt; hic autem salvatus est, quia in veritate dilexit Dominum. Judas porro Iscariotes cum Discipulis sequebatur Dominum [5]: et tradidit magistrum ac dominum gloriæ in manus impiorum. Ne igitur cedamus inim consilio, suggerentis videlicet honestas prima fronte causas, ad animas nostras evertendas. Ex divinis enim Scripturis exempla habemus, quomodo unusquisque sibi ipsi attendere debeat, sive cum justis converselur, sive cum peccatoribus. Inter justos ergo ac bonos dum commoramur, juste et sancte vivamus. At si peccatoribus cohabitemus, demus operam, non ut illorum opera æmulemur, sed ut a nobis illi ad viam pertrahantur salutis, divina adjuvante gratia. Quod si vis dicere debilem te esse et pusillanimem, audiamus sacras Scripturas, et sanctorum Patrum vivendi normam imitemur, ut sanetur anima nostra; et non solum dum audimus compungamur, et paulo post deteriora agamus. Nam qui ita sermonem accipit, nunquam fructum refert, cum radicem tales in se ipsis non habeant. « Omnis autem arbor, » quæ non facit fructum bonum, exciditur, et in ignem » mittitur [6]. » Tanquam infirmi auscultemus admonitiones

[1] Matth. XIX, 27. — [2] Gen. XIX. — [3] 4 Reg. V. — [4] 1 Reg. II. — [5] Matth. XXVI. — [6] Id. III, 10.

virorum timentium Dominum, qui ad sanitatem deducant animam; et ne similes efficiamur illis, qui quæ voluntatis sunt propriæ, audire solum volunt; ut ne miseri simus, insanis ac temerariis cogitationibus adhærentes. Dixit enim quidam Sanctorum : « Si conspexeris adolescentem propria voluntate in cœlum ascendentem, tene ipsum : expedit enim ipsi. » Id vero de illo quoque intellige, qui cum ætate sit senex, mente tamen est junior. Dicit enim in Proverbiis Sapiens : « Viæ insipientum rectæ coram ipsis : qui autem sapiens est, amplectetur consilia [1]. » Audiamus porro et eum qui dicit : « Adolescentes, subditi estote senioribus : omnem autem invicem humilitatem insinuate : quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam [2]. » Sunt enim nonnulli, qui sibi videntur sapientes esse, et non dignantur obedire iis, qui vere sapientes sunt, ac cognitionem Dei habent. Quos etiam Apostolus vaniloquos et seductores denominat dicens : « Sunt enim multi vaniloqui, inobedientes, et seductores [3]. »

IV. Alteri porro sæpe cogitatio suggerit, et ait : « Quid? junior es. Ubi consenueris, resipisces. » Et si ad senium pervenerit, iterum cogitatio sibi objicit : « Nunc consenuisti, et requie indiges. » Unde necessarium, charissime, cum timore ac tremore Domino quotidie inservire. Quis enim nobis dixerit, fore ut consenescamus? Et, si consenuerimus, quod bonam cogitationem inveniemus; siquidem vel jam hinc salutem nostram neglexerimus? Audiamus dicentem Dominum : « Vigilate et orate, quia nescitis diem, neque horam [4]. » At nos ob nostrum torporem atque segnitiem grave reputamus suave jugum Domini. Quot putas, charissime, in mundo diversimode conflictari atque vexari, eorumque filios pro pignore poni? Aliorum vero etiam

[1] Prov. xii, 5. — [2] 1 Petr. v, 5, et Jacob. iv, 6. — [3] Tit. i, 10. — [4] Matth. xxiv, 42.

optimatum filios in captivitatem delabi, et in servitutem divendi, servientes vilioribus ac miserabilioribus hominibus, quam sint ipsi, in terra aliena? Alii vero inopes ac mendici in plateas et vicos civitatis projecti jacent nudi, frigore æstuque afflicti. Nobis vero non satis est habere tectum hoc, quod nobis largitus est Dominus, et mundanarum rerum cura vacuos esse atque solutos. Hæc recolamus memoria; et nos aspernemur gratiam Dei, et beneficia ejus, quia dignatus non est suavi jugo suo. Imo et quæsivimus, inquit, et non dedit nobis. Et quis ignorat non ad commodum et utilitatem nostram id accidisse?

V. Dicamus autem et istud; nonne novit quispiam nostrum sese inobedientem fuisse Domino; et tamen id videns Dominus, patienter ac longanimiter tulit? De præfectis porro, relinquamus Domino. « Omnes enim astabimus » coram tribunali Christi [1]. » Nam Deus personam hominis accipit [2]. Exurge igitur, et præcinge te ipsum, et ne succumbas cogitationibus. Audi dicentem : « Noli vinci a » malo; sed vince in bono malum [3]. » Hei mihi peccatori, charissime! Tot ac tanta Dominus gloriæ pro nobis pertulit; quid poterimus ei æquivalens passionibus proferre, quas propter nos sustinuit? Procidamus ergo coram ipso tota mente, patientiam a bonitate ipsius deposcentes. « Per » multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlo» rum [4]. » Dixit quippe Salvator Discipulis suis : « Vos con» tristabimini; sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Mu» lier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus : » cum autem peperit puerum, jam non meminit horæ illius » propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Et » vos tribulationem habebitis; iterum autem videbo vos, et » gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a

[1] Rom. XIV, 10. — [2] Act. X, 34, et Rom. XXI, 11. — [3] Rom. XII, 21. — [4] Act. XIV.

» vobis [1]. » Et sic confirmans fratrem verbo veritatis secundum donum gratiæ, uterque gratias agit Domino. Si porro etiam gustare inter se cibum contigerit; omni cum honestate ac verecundia comedunt et bibunt, ob macerationem carnis, et ne inebrientur vino, in quo est luxuria. Facto ergo opere Domini, revertitur ad cellam suam, glorificans Deum super conversione fratris. Quoniam Deo gloria in sæculorum sæcula. Amen.

PARÆNESIS XXXIV.

Quod oportet fratrem, dum legit, advertere, ac studiose legere, velut in præsentia Dei.

Charissime, si onus legendi mandatum tibi fuerit in auribus fraternitatis, adverte diligenter, ubi qui auspicatus est, finivit; et resumptis verbis, lectionem incipe; ut sit lectio instar catenæ ex auro contextæ. Nam qui verbum unum contemnit, et versus perdit, hic neque discere vult sicut oportet, neque eos edocere, qui attendunt : solum enim finem sermonis expetit, et quando ad finem perducatur liber. Tu autem, charissime, sobrius esto ac vigilans; ut et tibi prosis per lectionem, ac iis, qui te auscultant. Quod si repente imperetur tibi, ut legas, ex sinistra parte lectionem aggredere. Si autem initium sermonis sit, dic titulum atque inscriptionem : sic enim quod legitur, intelligetur. Sin vero librum bene compunctum recteque descriptum habes, posside ac tene eum, ne in ipso offendiculum legenti reperiatur, aut excribenti.

[1] Joan. XVI, 20-22.

PARÆNESIS XXXV.

De virginitate, et continentia.

I. Fratri sive sorori suggerit dæmon improbus, dicens : « Ecce quotidie fornicationis stimulis concitaris, quousque molestiam eam suffères et patiens eris? » Ad quem frater : « Quousque, inquit, Dominus respexerit in humilitatem et laborem meum, remittatque universa peccata mea. » Cui improbus dæmon : « Verum ut ab hujusmodi pugna atque conflictu libereris, præstiterit semel cupiditati satisfecisse, et mox resipisces, cum neque illud grave aut magni momenti sit peccatum. » Ad quæ frater : « Non indigeo abs te, ait, pœnitentiæ rationem edoceri. Certo enim novi pœnitentiæ locum homini ex magna Dei benignitate ad ultimum usque spiritum concedi. Quod vero leve hoc peccatum facis, quo pacto ergo, si in ista re levi reprobus apparuero in conspectu Dei mei, non magis inveniar reprobus, si me tentatio alia major invaserit? » At diabolus : « Nihil in eo mali est, inquit, et mox ad pœnitentiam reverti poteris. » Cui frater : « Et quis me securum de pœnitentiæ loco inveniendo reddet, si carnem meam corrupero ; ac non potius me una cum operantibus iniquitatem raptum iri? Quandoquidem umbra est vita nostra super terram [1]. Idem enim istud est, ac si arrepto gladio me ipsum abscinderem. »

II. Ad quæ improbus : « At leve, inquit, est illud concupiscentiæ peccatum, ad horam duntaxat durans, et mox præteriens. » Cui frater : « Audi, vitæ hostis et animarum impugnator, quæ apud Deum iis proposita sint præmia, qui

[1] Job. VIII, 9, et Psal. CXLIII, 4.

pie ac sancte vivendo, breve hoc, quod dicis, tempus transigunt : et contra, quæ eos supplicia atque dedecora apud Deum maneant, qui tam brevi temporis spatio se vinci sinunt. Nonne castus ille Joseph, eo quod vitium istud superavit [1], ab omnibus omnium sæculorum hominibus in cœlo et in terra laudatur; contra autem Ægyptiæ illius dedecus perpetuo deridetur? Similiter autem et beata Susanna, quod victrix illius concupiscentiæ extiterit, sempiternis apud omnes gentes præconiis celebratur : non enim suo lapsu confusa est, neque comminationem mortis pertimescens, suam prodidit pudicitiam. Seniores vero illi, ac judices populi, qui gubernare populum videbantur, huic incontinentiæ vitio succumbentes, lapidibus obruti, mortui sunt, cum summa nomini suo ignominiæ nota inusta, ac apud omnes etiam posteros relicta. Nescis, diabole, fera animantia, quæ carnibus vesci consueverunt, difficilius ab ejusmodi vitio posse removeri? Tu vero mihi persuadere conaris me, si semel carnis desiderium perfecero, non amplius a carne tentatum iri. Dominus Deus, qui Spiritum suum sanctum dedit hominibus, increpet te, qui, tanquam leo, mihi insidiaris, quærens per peccatum meam devorare animam [2]. Sed Salvator noster Christus id tibi nequaquam permittet : quia benignus est, ac potens, et misericors. » Subjicit improbus dæmon : « Res nullius prorsus momenti est ita, quid ergo nunc affligeris? » Crucior, inquit frater, quod homines fallas : amara siquidem tua est dulcedo, et dogmata tua profundæ malorum foveæ, et munera tua, morte atque perditione sunt plena. Mihi etenim persuadere vis, ut abjiciam gratiam Domini et contristem Spiritum sanctum, in quo signatus sum in die redemptionis [3]. Et ea in re dicis nihil esse mali, suggerisque mihi, ut membra Christi faciam membra meretricis; unicoque temporis momento divitias

[1] Gen. XXXIX. — [2] I Petr. V, 8. — [3] Ephes. IV, 30.

perdam immortales[1]. Quasi etiam res nihili esset, sanctificationem abjicere, sine qua nemo Dominum videbit. Hæc igitur res nullius est momenti? Hortarisque me, ut irritem atque exacerbem Dominum, quo in die illa tremenda coram formidabili Dei tribunali constitutus, a justo audiam Judice : « Serve nequam, et voluptatis potius quam Dei amator, polluisti terram meam in immunditiis tuis et in peccatis tuis. Et dicis mihi id nihil esse, cum scriptum sit : « Qui etiam Angelis peccantibus non pepercit, sed rudenti» bus tenebrarum detractos in tartarum, tradidit cruciandos » in judicium [2]. » Et primævis mundi hominibus non pepercit, sed octavum Noë justitiæ præconem custodivit, diluvium mundo impiorum inducens [3]. Et civitates Sodomorum et Gomorrhæ in cinerem redigens, eversione damnavit [4], exemplum eorum, qui impie acturi sunt, ponens. Atque hanc tu rem levem facis? Ecquis unquam tibi morigerus, et peccatis mancipatus, in bonis dies suos transegit, sempiternique regni hæres evasit? Qui vero Christi viam sectatur, semper gaudet atque exultat in Spiritu sancto, expectans beatam spem magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi. Novi equidem, si abs te victus fuero, tristitia me affectum iri, teque mea gestientem ruina, ad patrem tuum Satanam cum læto hoc nuntio abiturum. Interim ego in cœlis, id si commisero, pudore suffundar. Quare satius mihi fuerit te, canis instar, mihi allatrare, quam in hoc me abs te irrideri atque subsannari. Miror autem de te, diabole, quod hominibus persuadere conaris, ut momentaneam hanc voluptatem vitæ æternæ præferant. Dominus fortitudo nostra et adjutor noster : Dominus refugium nostrum, et susceptor : Dominus protector noster, et non timebimus te. »

III. Strenue igitur decerta, charissime. Gehennæ timo-

[1] 1 Cor. vi, 4. — [2] 2 Petr. ii, 15. — [3] Gen. vii. — [4] Id. xix.

rem et suppliciorum amaritudinem adversus ipsum tibi propone, ne te sua astutia decipiat. Sed dixerit fortasse quispiam : « Et unde gehennæ timorem addiscere potero ? » Humanum dicam. Numquid aliquando ingressus es balneum ? Numquid ibi aspexisti homines nimio solutos calore ad frigidam transferri aquam ? Verum in illa flamma, quæ peccatores excipiet, nullus dabitur frigidæ aquæ locus : nullæ ibi erunt fores, nullus exitus, nullus splendor, nullusque illic ventus irrorabit ; neque si quis magna voce exclamaverit, præsto erit qui adjuvet, consoleturve ipsum, si propter opera sua condemnatus fuerit. Scriptum est enim : « Judicium sine misericordia illi, qui non facit misericor- » diam, et non est gaudium impiis [1]. » Annon ipsam quoque vidisti fornacem, qua calefit balneum ? In illo autem igne, loco lignorum, papyri, et stipularum, impii ac peccatores divino igne comburuntur : et ipsorum peccata in ipsos exeunt, ac vehementiorem in ipsos flammam accendunt. Quoniam scriptum est : « Ira, et indignatio, tribulatio et » angustia in omnem animam hominis operantis malum, » Judæi primum et Græci : gloria autem, et honor, et pax, » omni operanti bonum, Judæo primum et Græco. Non » enim est acceptio personarum apud Deum [2]. » Quamobrem vigilemus ad Dominum, charissimi, in orationibus et eleemosynis cum omni humilitate, donec tempus nobis reliquum fuerit, ut a malis, quæ diximus, liberemur. Vult enim Dominus nos omnes salvos fieri [3] pro magna bonitate sua. Quoniam ipsi gloria in sæcula. Amen.

[1] Jacob. II, 13. — [2] Rom. II, 9-11. — [3] I Tim. II, 4.

PARÆNESIS XXXVI.

De castitate.

Castitatem, dilecte frater, palmæ similem existima. Siquidem palma, corde cum sit albicante, circumcirca scatet surculis et aculeis, quibus ejus candor muniatur. Oportet igitur erga quoscumque homines exhibere charitatis officia ex puro corde, maxime autem in domesticos fidei [1]: in eos vero, qui adversantur, et voluptatibus indulgent, ita severitas ac tristitia nostra temperanda sit, ut in ea interim scientiam cum temperantia ac pace conservemus : cum dicat Apostolus : « Servum autem Domini non oportet liti» gare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patien» tem, cum mansuetudine corripientem eos, qui resistunt » veritati, ne quando Deus det illis pœnitentiam ad cognos» cendam veritatem, et resipiscant a diaboli laqueis, a quo cap» tivi tenentur ad ipsius voluntatem [2]. » O castitas, cui abominationi sunt deliciæ, luxus, venustas corporis, et ornatus vestium! O castitas, dapibus atque epulis, ebrietatique inimica! O castitas, oculorum frenum, quæ e tenebris ad lucem totum corpus transfers! O castitas, quæ carnem castigas et in servitutem redigis, ac cœlestia celeriter percurris! O castitas, mater dilectionis, et angelicæ vitæ ratio! O castitas, quæ mundo es corde, ac dulci gutture, hilarique ac splendenti aspectu! O castitas, quæ Dei amicum ita exaltasti in terra aliena, ut et eos, qui ipsum emerant, redimeret! O castitas, donum Dei, benignitatis, disciplinæ atque scientiæ plena! O castitas, portus tranquillus in summa pace ac securitate constitutus! O castitas,

[1] Galat. VI, 10. — [2] 2 Tim. II, 24-26.

quæ cor possidentis te lætificas, et animæ ad cœlestia alas adjungis ! O castitas, quæ spiritale gaudium paris, et mœrorem aufers ! O castitas, quæ malum odio habes, et bono adhæres ! O castitas, quæ passiones minuis, et animum a perturbationibus liberum reddis ! O castitas, quæ justos illuminas, et diabolo tenebras offundis, celerique cursu ad bravium supernæ vocationis in Christo contendis ! O castitas, quæ pigritiam depellis, et patientiam affers ! O castitas, onus leve, quod in aquis non submergitur, æternæque divitiæ in anima hominis Christum amantis reconditæ, quas qui possederit, in tempore necessitatis inveniet ! O castitas, pulchra possessio, quæ a feris non vastatur, et ab igne non comburitur ! O castitas, quæ in manibus haud pœnitendas contines divitias, desidiamque fugas ! O castitas, currus spiritalis, possessorem suum in sublime evehens ! O castitas, quæ in mansuetorum et humilium animis habitas, hominesque divinos efficis ! O castitas, quæ rosæ instar, in medio animæ et corporis flores, universamque domum odoris fragrantia reples ! O castitas, præcursor, atque cohabitator Spiritus sancti ! O castitas, quæ Deum placas, ejusque promissa perfers, et apud quoscumque homines gratiam invenis. Hanc Sancti amarunt : hanc sanctus Joannes evangelista amplexus est, amplectendoque super pectus Domini gloriæ recumbere meruit. O castitas, quæ non a semper virginibus solum, sed et ab iis, qui nupsere, possideris atque excoleris ! Hanc ergo nos quoque servi benedicti Salvatoris toto corde diligamus, ut inhabitantem Spiritum Dei in nobis lætificemus. Cui gloria in sæcula. Amen.

[1] Joan, XIII, 21.

PARÆNESIS XXXVII.

Non debere nos huc illucque oculos retorquere; sed potius deorsum aspectum habere, sursum vero animam ad Dominum. Et in quonam fornicationis dæmon funditus profligatur?

I. Non solum per abstinentiam a cibis; verumetiam ut oculos avertamus, ne videant vanitatem[1]. Nam in oculo vago atque distracto adulterium consistit : quod et Dominus testificabatur, dicens : « Amen dico vobis, quia omnis qui » viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus » est eam in corde suo[2]. » Hanc fornicationem eradicat atque evellit qui oculos deorsum deprimit, sursum autem mentem ad Dominum attollit : et qui ventrem domat, aspectum quoque cohibet. Gravis enim ac vehemens est proditor, oculus vagus atque distractus; nam cæteræ affectiones atque perturbationes animi, recentem habent tentationis ardorem : bellum autem oculorum, et præsens, et absens, dolore affligit animam, prava concupiscentia inflammans mentem. Exempli gratia, charissimi, audivit quis suavem musicorum concentum, et præteriit : postea luctus vocem audivit; et planctus dulcem musicorum concentum depulit. Similiter gustavit quis mel; postea vero aliquid etiam amarissimarum degustavit specierum, et amaritudo mellis dulcedinem ex gutture rejecit. Idem de odoratu dicendum. Odoratus est quis suavissimum aliquid; deinde etiam aliquid pessimi odoris olfecit, et fœtor gratum olfactus odorem expulit. Et rursus, tetigit quis aquam frigidam, ac postea

[1] Psal. cxviii, 37. — [2] Matth. v, 28.

ebullientem tetigit, et fervor calidæ frigiditatem aquæ repressit. Cæterum vagi atque distracti oculi bellum, et præsente et absente materia, comburit mentem per concupiscentiam. Quinetiam in somnis corda imaginationibus illudit : nam dæmones tentationem in mente describunt, animumque exercent, efformantes tentationem in oculis hominis. Pro quo et Propheta obsecrat, dicens : « Averte » oculos meos, ne videant vanitatem [1]. » Effrenata namque concupiscentiæ cogitatio mentem etiam puram ac simplicem transfert atque immutat. Nam in oculorum conflictu, dæmonum insidiæ latent, nisi præciderit qui aspectu superatus est.

II. Quando ergo efformare tentationem dæmon incœperit, et in mente tua depingere pulchritudinem mulieris, quam aliquando conspexisti, vel quid similium; in medium tibi adducito timorem Dei, et memineris illorum, qui in sepulcris dormiunt. Cogita diem tui hinc exitus, quando anima tua separanda erit a corpore. Considera formidandam atque tremendam vocem, quam audituri sunt qui justitiam neglexerint, et Christi præcepta non servaverint : « Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus » est diabolo et Angelis ejus, ubi erit fletus et stridor den» tium, in tenebras exteriores [2]. » Considera vermem non dormientem, et tormentum non cessaturum. Horum reminiscaris, ista animo tecum perpende; et exterminabitur e mente tua concupiscentia voluptatis carnalis, sicut dissolvitur cera a facie ignis. Non enim accelerant ut resistant timori Domini. Quicumque enim pravæ concupiscentiæ non resistit, sed evacillat, lascive oculos suos dimittens, prorsus et mentem ad passiones ejusmodi inclinavit : et nisi ob verecundiam omisisset humanam, sæpe etiam corpus corrupisset. Si ergo non se sobrium ac vigilantem talis præ-

[1] Psal. CXVIII, 37. — [2] Matth. XXV, 41.

buerit, timoremque Domini præ oculis suis constituerit, non tardabit etiam corpus corrumpere : nam istum dæmonem, qui oculorum evagationem atque distractionem suggerit, alius dæmon subsequitur, qui naturaliter in carne peccatum operatur.

III. Si enim secundus priorem viderit potuisse animam ad distractionem evelare, continuo consilium suggerere incipit, peccatum carnaliter perficiendi. Incipit enim aliquid ejusmodi suggerere, et ad eum, qui oculorum aspectu victus est, dicere : « Ecce studio et proposito peccasti, et corde jam mœchatus es : jamque præcepto excidisti, et peccatum transgressionis mandati modo reputatum est tibi : nunc ergo tuam perfice concupiscentiam; cum idem sit perficere, et in animo habere. Fruere igitur ipse tua concupiscentia. » At tu ne acquiescas consiliis ipsius : « Non » enim, ut ait Apostolus, ejus cogitationes ignoramus [1] : » nam in istis animam tuam ipse venari cupit. Audi porro et de eo parabolam. » Adolescens quidam erat in regione quadam, et sibi ipse tres virgines desponsavit, peregreque in regionem longinquam est profectus : ubi cum diutius moraretur, una virgo sibi virum accepit : secunda autem elapsa, scortationi se dedit, et uterum tulit. At tertia virgo secum dixit : « Nisi humanus me cohiberet pudor, ego quoque mihi virum caperem. » Et incœpit virgo in ejusmodi versari cogitationibus : ac postea recordata est adolescentis peregre profecti, a quo et arrhabonem acceperat post reliquas virgines : pœnitentiaque ducta flevit, quod etiam permisisset cogitationem improbam in suo corde succrescere. Quando ergo jam reversus est adolescens, qualem putas ex tribus illis virginibus ipsi fuisse magis acceptam? Nonne postremam, quæ cogitavit solum, et non opere perfecit : imo vero et de prava cogitatione pœnitentiam egit? »

[1] 2 Cor. II, 11.

Quapropter necessarium fuerit dicere sollicitanti dæmoni ad actionem iniqui peccati : « Tametsi oculis impegerim, et corde mœchatus sim, ipsum tamen cor meum adulterio obnoxium gemitibus inenarrabilibus conteram, et oculum collapsum lacrymis abluam : quoniam cor contritum et humiliatum Deus non despiciet [1]. Ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

PARÆNESIS XXXVIII.

De mansuetudine.

I. Monache, ita-ne professus es te Christo placere velle; ut tentationes ac tribulationes, quæ ab adversariis tibi ingeruntur, non fortiter sufferas; neque correctiones et admonitiones a tuo præfecto suscipias? Cum Apostolus dicat : « Quod si extra disciplinam estis, cujus participes facti » sunt omnes; ergo adulterini, et non filii estis [2]. » Cæsus es? Gaude te cæsum esse verberibus; verum errata corrige. Injuste verberatus es? Merces tua magna est : nam et Apostoli, qui salutem mundo nuntiabant, oppidatim velut facinorosi atque malefici cædebantur; et non irascebantur, neque ægre ferebant; sed « Gaudebant, quod digni habe» rentur pro nomine ejus contumeliam pati [3]. » Quare tu quoque gaude, quod dignus sis habitus, qui pro ipsius nomine contumelia afficiaris. At forte quis ex negligentioribus dicet : « Doleo hoc mihi accidisse, et quidem post tantos labores. » Istud te angit, serve Domini? Hinc ergo te ipsum cognosce; num revera post tot annos passiones et affectiones tuas eviceris. Num superveniente aliqua ignominia

[1] Hebr. XII, 8. — [2] Act. V, 41. — [3] Galat. VI, 3.

gavisus sis; et non potius superbieris de gloria, quæ tibi obtigit; « Nam si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, » ipse se seducit [1]. » Experimentum enim gubernatoris, in tempore tempestatis apparet. Nam qui se jactitat, et dicit : « Tot jam annos in vita monastica egi; promissi autem sui effectum non ostendit, neque rationes castæ ac religiosæ vitæ suscipit; instrumenta hic circumfert, quorum artificium nondum didicit. Consenuisti in habitu? Tanquam experientiam prædictæ vitæ habens, forma esto juvenibus et inexpertis. Si vero adhuc es novitius, senioribus morem gerito. Etenim terreni regis milites, ducibus atque principibus suis subjiciuntur, parentque. Nonne multo magis nos decet obedire, non solum ob timorem, sed etiam propter conscientiam [2]? Nam si illi, qui secundum carnem militant, omni studio contendunt, ut subditos suos curent, quomodo tu, qui et vitam ipsam abnegasti, pateris te ab ejusmodi distrahi passionibus, effrenis atque inobediens, et Christi disciplinam excutiens atque abjiciens? Laudem quidem et gloriam perfectorum anachoretarum expetimus; verum labores, quibus acquiruntur honores, subterfugimus.

II. Cur tantam tibi quietem et laborem ob diem horamve unicam perire pateris? Si te ipsum peremeris, quis miserebitur tui? Hæc-ne tua laus? ista-ne probatio tua? ut vel modica tibi obveniente tribulatione, et habitum et vitam abneges? ac inimicum contra te propria negligentia armes? Ne frater, ne, quæso, adversariis des terga; verum resiste, atque oppugna eos, et a te profugient. Existimo enim eum, qui tui curam suscepit ac præfecturam, non in tuo gaudere vituperio; quippe qui rationem pro te redditurus est Domino : sed gaudio illum affici, si te perfectum Domino sistat. Ingredere igitur in te ipsum, charissime, et revertere in requiem tuam. Induere thoracem fidei, et tibi galeam sa-

[2] Rom. XIII, 5.

lutis impone [1]. « Assume gladium Spiritus sancti, quod est » verbum Dei [2]. » Esto forma et exemplum mansuetudinis fratribus concordibus. Admirentur etiam superiores tui patientiam tuam. Gaudeat et Spiritus sanctus in te inhabitans de fortitudine tua. Si autem exiguam non feras tentationem, quomodo magnam sufferes? Et si puerum vincere nequeas, virum perfectum in lucta quo pacto superabis? Et si verbum non toleres, verbera quomodo perferes? et si alapas ac verbera non sufferas, crucem tuam quomodo portabis? et si crucem portare nequieris, quo pacto gloriæ consors in cœlis eris, cum iis qui dicunt : « Hæc omnia » venerunt super nos, nec obliti sumus tui, et inique non » egimus in testamento tuo [3]. » Et rursus : « Quoniam propter te mortificamur tota die; æstimati sumus sicut oves » occisionis [4]. »

III. Volebam mihi silentium imponere, charissime, ob confusionem faciei meæ : sed dolor cordis mei in verba me compellit. Ita, frater charissime, obliti sumus eorum, quæ propter nos omnium sustinuit Dominus? Contumeliis affectus est, et contemptui habitus. Audivit : « Dæmonium habes, » et non est ira commotus. Audivit : « Seductor es : » alapis percussus est : pugnis cæsus, et cruci affixus : acetum cum felle gustavit : lanceam in latere accepit. Hæc cuncta propter nostram salutem sustinuit. Hei hei misero mihi ! hei hei infelici mihi et peccatori ! quia inexcusabilis sum. Quid dicam, aut quid eloquar coram te, Domine, qui occulta nosti cordis mei? Propitius esto mihi indigno Deus, qui plane nullam injuriam aut verbum contumeliosum propter te, qui tanta propter nos pertulisti, audire volo. Quis super me non plangat, qui religionem ac pietatem mihi pro operimento malitiæ vindico? Nam verbis monachatum profi-

[1] Isaï. LIX, 17, et I Thess. V, 8. — [2] Ephes. VI, 17. — [3] Psal. XLIII, 18. — [4] Ibid. 22.

tcor; operibus autem ad iracundiam Dominum provoco. Vere refrixit multarum animarum charitas. Resipiscamus, et ad Dominum revertamur, obsecro. Non enim eos, qui salvari cupiunt, rejicit Dominus, sed et cooperatur. Dicamus et nos cum Propheta : « Convertere anima mea in re» quiem tuam : quia Dominus benefecit tibi : quia eripuit » animam meam de morte, oculos meos a lacrymis, et pedes » meos a lapsu. Placebo in conspectu Domini in regione vi» vorum [1]. » Ut nos quoque illud audire mereamur dictum : « Hic filius meus mortuus erat, et revixit : perierat, et in» ventus est [2]. » Quia Deo nostro gloria in sæcula. Amen.

PARÆNESIS XXXIX.

De inobedientibus, et de resurrectione, ac timore Dei, et de futuro judicio.

I. Charissime, si frater aliquis adventans cohortetur te, dicens : « Veni nobiscum : velut sanguine juncti communicemus consilia nostra : in fraternitate et factione conjuncti simus; contradicentes vero reprimamus. Senioribus resistamus, et non revereamur canitiem. Percutiamus œconomos : subsannemus quietis ac silentii cultorem : religiosos ac pios ludibrio excipiamus. Cunctos nobis ipsi subjiciamus, erimusque nominati ac celebres. Reprehensi, ne præbeamus silentium. Una pariter vociferemur, ne nostrum appareat mendacium. Admoniti, fastum retineamus ac tumorem : adhortationibus interpellati, efferamur. Sit nostra vis, lex justitiæ : nam quod infirmum est, velut inutile reprehenditur. » Tu ergo ne cum iis in via ambulaveris; verum

[1] Psal. cxiv, 7-9. — [2] Luc. xv, 32.

ab ipsis declina, et te expedi. Non enim conquiescent, nisi male egerint. Responde autem ei, qui ista dicit : « Nihil mihi tecum est negotii. Ista omnia effugisti, et rursus iisdem servis cupis? Quæ utilitas detonsi capilli? aut cujusmodi utilitatem ac fructum ex hisce rebus quis cupiat? Mente retineamus, quod mundum deseruerimus, ut monachi essemus : et quo pacto tu animas vis fratrum turbare? Audiens autem ista veridica verba, ne succenseas : nam communis est utilitas. Cur non agnoscimus quæ psallimus? Nonne ista canimus : « Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, » et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ » non sedit. Sed in lege Domini voluntas ejus : et in lege » ejus meditabitur die ac nocte [1]. » Et rursum ait : « Quo» niam novit Dominus viam justorum, et iter impiorum pe» ribit [2]. » Et in alio iterum Psalmo dicit : « Quia ecce qui » elongant se a te, peribunt : perdidisti omnem fornicantem » abs te. Mihi autem adhærere Deo bonum est [3]. » Rursusque ait : « Inimici vero Domini mox ut honorificati fuerint et exal» tati, deficientes quemadmodum fumus deficient [4] : man» sueti autem hæreditabunt terram, et delectabuntur in » multitudine pacis [5]. » Dicit porro et in alio Psalmo : « Quid » gloriaris in malitia, qui potens es iniquitate, tota die [6]? » in alio dicit : « Non habitabit in medio domus meæ qui facit » superbiam : qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu » oculorum meorum [7]. » Multos quippe cogitatio decepit superbiæ, inania spirans. Nam scriptum habetur : « Non alta » sapientes, sed humilibus consentientes [8]. »

II. Quiesce igitur, obsecro : ne forte dum ad tempus voluntati tuæ indulges, novissima tua in dolore peragas. An potius insidias struere conaris adversus locum hunc sanc-

[1] Psal. I, 1, 2. — [2] Ibid. 6. — [3] Id. LXXII, 27, 28. — [4] Id. XXXVI, 20. — [5] Ibid. 11. — [6] Id. LI, 3, 4. — [7] Id. C, 7. — [8] Rom. XII, 16.

tum? secundum eum qui dicit: « Qui edebat panes meos, » magnificavit super me supplantationem [1]. » Concedamus ergo ad cellas nostras. Defleamus peccata nostra, ut Deum placatum reddamus: propter quem etiam ex vano hoc sæculo egressi sumus: « Ne quando rapiat, et non sit qui eri» piat [2]. » Consideremus hæc clare atque perspicue: quoniam etsi mille nunc simus, in die tamen mortis singuli hinc soli abibimus. Solum opera quemque sequentur sua, quæcumque egerit sive mala sive bona. Hæc meditare: de istis cogita, ut a ventura fugere possis ira. Non enim nobis est possibile, manus effugere Creatoris nostri, secundum eum, qui dicit: « Quo ibo a spiritu tuo? et quo a facie tua effu» giam [3]? » Nemo ergo se ipsum decipiat [4]. Nam coram tribunali Christi oportet nos præsentari: « Ubi cuncta erunt » nuda et aperta oculis ipsius [5]: » ubi millia millium, et decies centena millia sanctorum Angelorum assistent coram eo, et omnes cœlorum Virtutes movebuntur. Et ubi tunc erit superbia atque inflatio? ubi tunc temulentia et excandescentia? ubi tunc luxus atque lascivia, minæ atque jactantia vana? Quis horribiles Angelorum Dei minas sustinebit? Cogitemus fore, ut qui Christum Dominum expectarunt, eique accepti fuerunt in hoc sæculo, ipsi tunc nos judicent; sicut scriptum est: « An nescitis, quod sancti hunc mun» dum judicabunt [6]? » Ipse enim cum similes nobis passibiles homines fuerint in mundo, gratos atque acceptos se Deo præbuerunt: nos vero malis operibus Deum exacerbamus.

III. Sed forte dixerit quis duplicis animi homo: « Novit Dominus quæ meæ sunt imbecillitatis, et compatitur infirmitati meæ. » Hei mihi! hei mihi! quis hos non deploret? quoniam in opere Domini infirmitatem præteximus: ad pugnas autem, et factiones, ac contradictiones faciendaque

[1] Psal. XL, 10. — [2] Id. XLIX, 22. — [3] Id. CXXXVIII, 7. — [4] 1 Cor. III, 18. — [5] Hebr. IV, 13. — [6] 1 Cor. VI, 2.

mala, potentes sumus. Cur te ipsum decipis, Deum irridere putans? ne semines mala, et mala non metes [1]. Audi eum qui dicit : « Quis durus factus, et ante eum permansit? Qui » in vetustatem perducit montes, et nesciunt : qui subvertit » eos in ira [2]. » Aut potius cor nostrum in crapula et ebrietate, curisque sæcularibus incrassatum est ac impinguatum : ut ordinem nostrum atque institutum intelligere nequeamus. Nam pro eo quod unumquemque nostrum cogitare secum oporteret, et dicere ad animam suam : « Non reperio quo me bene vertam, quin potius omni vento circumferor. Et, quorsum ego aliorum animas in meam damnationem conturbo? Et, nonne magis mihi conveniebat, etiam tale quid conantes, aliqua commonitione et adhortatione ad modestiam revocare, et in officio continere, ne adoptione filiorum excidam? Scriptum est enim : « Beati pacifici, » quoniam ipsi filii Dei vocabuntur [3]. » At nunc quid agam negligens? Quid in die judicii coram horribili tribunali non solum pro anima mea; sed etiam pro illis, quibus scandalo fui, et quos a via veritatis averti, respondebo? Nam cum alius patrem reliquisset et matrem : alius uxorem et filios, et amicos, universamque substantiam propter spem in Christum, quietamque vitam elegisset, ego non cessavi eos divexare atque affligere. Tu vero hisce contraria agis, et tua non conquiescis in cella; verum monachorum cellas obis, pervertens fratrum animas, et fratres inter sese traducens ac calumniis premens, suspicionesque improbas ipsis proferens, et cogitationum pulveres iis excitans, ac perturbationes atque tumultus fraternitati concilians. Nam quia te malæ concupiscentiæ emancipasti, stulta atque inepta ista didicisti.

IV. Quid ita crudeliter tua ipsius vita abuteris? Cur damnum animæ tuæ velut lucrum reputas? Cur in te aliena

[1] Galat. VI, 8. — [2] Job. IX. — [3] Matth. V, 9.

attrahis mala? Nisi deinceps temperate ac modeste te gesseris, vitæque tranquillæ te dederis, etiam ab iis, a quibus laudaris, condemnaberis atque coargueris. Cumque penitus in profundum collapsus fueris malorum, tunc etiam tu veritatis inimicos accusabis. Non enim subsistet impiorum consilium, secundum eum, qui dicit : « Dominus dissipat » consilia gentium : » et quæ sequuntur : « Consilium autem » Domini in æternum manet [1]. » Aut adhuc magis et duritie cordis nostri, et ob corporis nostri vires efferimur? nescientes dictum illud : « Quoniam gigas non salvabitur in » multitudine virtutis suæ [2]. » Et paulo post : « Ecce oculi » Domini super metuentes eum, ut eruat a morte animas » eorum, et alat eos in fame [3]. » Cur renuis admonitus? Video enim inclinationes tuas, ambitionem dominandique libidinem spirantes. Noli suspicere humanam gloriam; sed in consequens periculum respice. Siquidem « Potentes po» tenter tormenta patientur [4]. » Nam si animam unicam, quam nobis credidit Dominus, neglexerimus, permiserimusque eam desolari ac devastari, et spinis impleri, tanquam vineam in sepimento neglectam, quomodo totius paradisi nobis curam committet? « Qui enim in paucis fidelis » est, etiam in multis fidelis erit [5] : » et qui in modico infidelis est, etiam in majori infidelis erit.

V. Oremus igitur pro anima nobis a Deo concredita, ut de ea rationem reddere possimus, quando Dominus universum mundum discutiet. Non enim exiguum sequetur eos periculum, quibus gregis ovium fuerit cura commissa, si præter voluntatem principis pastorum, ovibus fuerint abusi : Nam « Potentes, sicut jam dictum est, potenter tormenta » patientur. » Quare resipiscamus, prius quam hinc nobis emigrandum sit; ubi non erit, qui pro nobis advocati ac


[1] Psal. XXXII, 10. — [2] Ibid. 16. — [3] Ibid. 18. — [4] Sap. VI, 7. — [5] Luc. XVI, 10.

patroni partes suscipiat. Ibi conspiciemus mites et humiles corde, in magna gloria; nos vero, qui inobedientes ac contumaces sumus, in angustiis et suspiriis. Nihil enim propter Deum facimus, nihil ob amorem ipsius, nihil cum humilitate; sed omnia in fastu ac superbia, omnia studio complacendi hominibus, et ob periculosam inanem gloriam. Omnes superbi sumus, omnes iracundi, et excandescentes: invicem enim nobis invidemus, invicem nos mordemus et devoramus. «Cito anticipent nos misericordiæ tuæ, Domine: » quia pauperes facti sumus nimis. Adjuva nos Deus salva» tor noster [1]. » Dicentem audi : « Qui non est mecum, con» tra me est : et qui non colligit mecum, dispergit [2]. » An oblitus es lapidis molaris, in supplicium definiti adversus eos, qui scandala committunt [3]? Ne decipiaris, o homo, impossibile enim est, sine timore Dei, magnaque humilitate proficere. Nam quæ absque his commoda accidunt, damna conciliant. Scriptum quippe est : « Nec quisquam » sibi sumit honorem, sed qui vocatur a Deo [4]. Declina » ergo a malo, et fac bonum : inquire pacem, et persequere » eam, ut assequaris ; quoniam oculi Domini super jus» tos; vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat » de terra memoriam eorum [5]. » Ne simulacris et opinionibus hujus sæculi abstrahamur; nihil enim ab umbra differt. Nam multi cum obdormissent opulenti, surrexerunt pauperes. Et qui hodie princeps, cras magistratu privatur : et qui hodie rex, cras morietur.

VI. Beati autem qui sustinent Dominum et fallaciam sæculi hujus abominantur : nam revera gloriam futuram hæreditate possidebunt. Ille enim dives induebatur bysso et purpura, et quotidie epulabatur splendide; ipsumque


[1] Psal. LXXVIII, 8, 9.— [2] Matth. XII, 30, et Luc. XI, 23.— [3] Matth. XVIII, 6. Marc. IX, 41. Luc. XVII, 2. — [4] Hebr. V, 4. — [5] Psal. XXXIII, 15-17.

7·



prædicabant filii istius sæculi, at non Angeli Dei. Lazarus vero mendicus, ulceribus plenus jacebat ad januam divitis, cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa divitis : sed et canes adventantes lingebant ulcera ejus [1]. Lazarus ergo non cupiebat aliud ab ipso divite, neque ex ferculis mensæ ipsius, sed neque ex quibus comedebat dives, verum tenuia et abjecta petebat, ex quibus vescebantur canes. Et quantum quidem dives suspiciebatur et magnificabatur ab hoc sæculo, propter gloriam de ipso conceptam : tantum ab iis mendicus spernebatur ac respuebatur. Angeli vero Dei patientiam ipsius admirabantur. « Quando autem » utriusque jam advenit finis, factum est, ut deportaretur » mendicus ab Angelis in sinum Abrahæ ; dives autem in » supplicium injectus est, et in inferno suos elevans oculos, » cum esset in tormentis, vidit Abraham a longe, et Lazarum in sinu ejus, et ipse clamans dixit : Pater Abraham, » miserere mei, et mitte Lazarum, ut intingat extremum » digiti sui in aquam, et refrigeret linguam meam, quia » crucior in hac flamma. Dixit autem Abraham : Fili, recordare, quia tu bona tua recepisti in tua vita, et Lazarus » similiter mala : nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris. Et in omnibus his, inter nos et vos chaos magnum » firmatum est, ut qui volunt hinc transire ad vos, non » possint, neque inde ad nos transmeare. Dixit autem : » Rogo te, pater, ut mittas ipsum in domum patris mei, » habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne et ipsi » veniant in hanc flammam. Ait illi Abraham : Habent » Moysem et Prophetas, audiant illos. At ille dixit : Minime, » sed si quis ex mortuis resurgens ad eos ierit, pœnitentiam » agent, Ait autem illi : Si Moysem et Prophetas non audient, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent [2]. » Quid profuerunt diviti illi in hora illa divitiæ, quas ha-

[1] Luc. XVI, 19-21. — [2] Ibid. 22-31.



buit, et oblectatio, qua exhilarabatur quotidie splendide?

VII. Conemur igitur, fratres charissimi, effugere supplicia, contemptoribus et peccatoribus parata, antequam nos in illum tormenti locum tradamur. Et tunc plangemus amare, cum non sit qui pro nobis interpellet, aut nos consoletur, audientes simul et ab iis, qui tormenta inferunt, quod pejora his supplicia promeriti sitis : nam ipsi vobis hæc fecistis. Cum enim per modicum tempus transeuntis sæculi, judicium hoc per pœnitentiam effugere possetis, neglexistis : « Deliciis indulsistis, corda vestra nutrivistis, » velut in die occisionis [1]. » Ubi sunt oblectamenta temporis præteriti? ubi fallacia ejus et risus? nonne ecce illa, umbræ instar, præterierunt? et tanquam nebula gracilis, quæ a procella impellitur, et tanquam fumus, qui a vento diffusus est [2]? nunc ergo quantum tulit desiderium, perfruimini, non enim istis contenti erátis, quoniam non solum in tantorum malorum foveam vos ipsos conjecistis, verum et alios vobiscum pertraxistis. Nec eo contenti fuistis, quod propriam neglexeritis animam; sed aliorum quoque animas pervertistis. Quæ igitur virtus, ac quale præceptum reddet Deum vobis placatum? Animæ enim vestræ amarulenta æmulatione, contentione, invidia, atque omni malitia repletæ erant. Furorem sævarum bestiarum dilexistis; nunc vero universa mala, quæ præterito tempore operati estis, circumdederunt vos. Deum loquentem vobis per sacras Scripturas sprevistis, irrisistis, et in sublime vagati estis. Et quantum in vos benignissimi Dei longanimitas intendebatur; tantum et vestra peccata redundabant. Domino autem dicente : « Nolite diligere mundum, neque quæ in » mundo sunt [3]; » vos de gloria, et avaritia contenditis. Domino dicente : « Beati qui lugent nunc, quoniam ipsi con» solabuntur : Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est

[1] Jacob. v, 5. — [2] Sap. v, 9-12. — [3] 1 Joan. II, 15.

» regnum cœlorum [1] : » vos superbi et arrogantes evasistis, et risui atque fallaciis dediti. Domino dicente : « Beati mi» tes quoniam ipsi terram possidebunt [2] : » vos immanes et immites facti estis. Cum Dominus diceret : « Beati qui esu» riunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur [3] : » vos justitiam odistis, et qui eam colebant, eos persecuti estis. Cum Dominus diceret : « Beati misericordes, quoniam » ipsi misericordiam consequentur [4] : » vos absque misericordia et compassione cum ejusdem conditionis atque naturæ hominibus versati estis. Cum diceret Dominus : « Beati » mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt [5] : » vestra corda avaritiam et concupiscentiam pravam meditata sunt. Cum Dominus diceret : « Beati qui persecutionem patiun» tur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlo» rum [6] : vos et justos afflixistis, et veritatem non custodistis. Nunc ergo quid clamatis? Tempus enim pœnitentiæ jam præteriit. Illic virtutum opus exerceri poterat; at hic compensationum retributio est. Nunc coronam acceperunt justi : vos autem peccatores in gehennam ignis traditi estis. Nunc justi tanquam lux resplendent in regno cœlorum; vos vero peccatores in tenebras traditi estis exteriores. Nunc justi cum Angelis collaudant Deum; vos autem peccatores ploratis e tormentis, dentibusque stridetis, pœnitentes et dolentes, quoniam pœnitentiæ vestræ tempus in negligentia perdidistis. Nonne vos estis, qui a justis vos ipsos segregastis, et peccatorum opera imitati estis? nunc autem et illi, et vos traditi estis in supplicium. Deplorate igitur tormenta, et supplicia utrisque illata. Tunc quoque nos valde ingemiscentes, fletu exclamabimus amaro, dicentes : « Justus es, Domine, et judicia tua recta [7]. » Quando enim in præterito adhuc eramus sæculo, ista nobis per

[1] Matth. v, 3 et 5. — [2] Ibid. 4. — [3] Ibid. 6. — [4] Ibid. 7. — [5] Ibid. 8. — [6] Ibid. 10. — [7] Job. III.

sanctas aperuisti Scripturas, et non credebamus, sed dubitabat cor nostrum; at nunc manifeste cuncta oculis nostris cernimus. Væ nobis, quoniam dies nostros in multa perdidimus negligentia.

VIII. Hæc ergo præcognoscentes, fratres charissimi, studeamus effugere confusionem illam, et supplicium æternum, ut digni gaudio reddamur justorum. Quousque tandem veteris hominis concupiscentias circumferimus? Quousque mentem nostram in vanis sæculi hujus voluptatibus sinimus? Resipiscamus igitur, et evigilemus, tanquam ex vino, ex memoria inanis vitæ istius. Sursum mentem et cor habeamus, ubi pulcherrima sunt bona, ubi vera vita, et lux vera. Detestemur mundum, et quæ in mundo sunt. Corruptibilia propter incorruptibilia, et terrena propter cœlestia contemnamus. Dominum, qui fecit nos, totis viribus diligamus, bonum et benignissimum Dominum. Diligamus et nos invicem propter Dominum. Cerne enim Domini benignitatem, et amorem erga homines, quippe qui ita suos allocutus est Discipulos: « In hoc cognoscent omnes, » quod mei Discipuli estis, si dilexeritis invicem [1]. » Non dixit: « Si vitulos et hircos mihi obtuleritis; » sed dixit: « Si dilec» tionem ad invicem habueritis. » Servemus ergo charitatem, fratres, castitatem, quietem, humilitatem, et quæcumque decent sanctos; detestemur autem impudentiam, et multiloquium. Nam scriptum est: « Vir linguosus non dirigetur » super terram: virum injustum mala venabuntur in inte» ritum. Cognovi quod faciet Dominus judicium inopum, » et causam pauperum. Verumtamen justi confitebuntur » nomini tuo, et habitabunt recti cum vultu tuo [2]. » Rursusque ait: « Super quem respiciam, nisi super mansue» tum, et tranquillum, ac trementem sermones meos [3]? » Ipse porro Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui

[1] Joan. XIII, 35. — [2] Psal. CXXXIX, 12-14. — [3] Isaï. LXVI, 2.

habet potestatem vitæ et mortis, illuminet oculos mentis vestræ, ad recte pieque serviendum ipsi omnibus diebus vestris, et ad misericordiam inveniendam coram ipso in die illa. Recordamini et mei peccatoris in precibus vestris, obsecro, ut et misericordia in me indignum moveatur omnium Dominus. Quoniam ipsi gloria in sæcula. Amen.

PARÆNESIS XL.

De pietate.

I. Charissime, attende vehementer, ne deperdas viam rectam, ut ambules in viis tenebrarum, nequando in novissimis tuis apud Deum et homines inveniaris perversus et obliquus. « Væ enim, inquit, iis, qui derelinquunt vias »rectas, ut ambulent in viis tenebrarum. Væ his, qui læ»tantur in malis, et gaudent in consuetudine mala, quo»rum semitæ obliquæ ac pravæ, et flexuosi cursus eorum, »ut longe abstraharis a via recta, et alieneris a sententia »justa [1]. »Ideo addit, et dicit : « Non enim comprehen»duntur sub annis vitæ ; nam si per semitas bonas ambu»lassent, étiam semitas justitiæ planas ac faciles invenissent. »Qui recti sunt et boni, inhabitatores erunt terræ ; et »simplices atque innocentes remanebunt in ea. Viæ autem »impiorum e terra perdentur, et iniqui expellentur ab »ea [2]. »Necessarium ergo est incedere per viam rectam, secundum eum, qui dicit : « Ne declines ad dexteram, neque »ad sinistram, averte pedem tuum a via mala : vias enim, »quæ a dextris sunt, novit Dominus : quoniam perversæ »sunt quæ a sinistris sunt [3]. »Deum time, et timor ejus

[1] Prov. II, 13-15. — [2] Ibid. 19-22. — [3] Id. IV, 27.

custodiet te. Serva mandata ipsius, et mandata ejus in veritate deducent te. Contumacia vero, aut pestilentia, aut invidia, aut superbia, et his similia, non commorentur in sinu tuo; « Neque ingluvies, vel turpitudo, vel stultiloquium, vel scurrilitas, quæ ad rem non pertinent [1]. » Omnis enim, qui in hisce ambulat, a via veritatis aberrat, se ipsum per loca invia terendo. Qui autem in via ambulat recta, ipse se in mansionem vitæ provehet atque deducet. Ne ergo religionem ac pietatem veram et ab omni simulatione alienam deperdas, frater charissime. Pietas porro est, abstinere ab omni specie mala [2]. Si vero acciderit nos de opere bono contumeliam pati, ne erubescamus opprobrium nobis injuste ab hominibus illatum, et faciamus quæ non oportet. Scriptum est enim : « Populus meus, cujus » nomen meum in corde vestro; nolite timere opprobrium » hominum, et blasphemias eorum ne metuatis : sicut enim » vestimentum, inveterascet tempore, et sicut lana come» detur a tinea. Justitia autem tua in sæculum manebit, et » salus tua in generationes generationum [3]. » Rursusque ait : « Ego autem inobedientem me non præbeo, nec con» tradico. Dorsum meum dedi in flagella, et maxillas meas » in colaphos; faciem autem meam non averti a confusione » sputorum : et Dominus factus est mihi adjutor : ideo non » sum confusus, sed posui faciem meam ut petram durissi» mam, et novi, quod non confundar [4]. » Propterea, licet videatur ex se ipsa imperasse ac superasse, non reformidemus, neque viam rectam deseramus, secundum eum qui dicit : « Si consistant adversum me castra, non timebit cor » meum [5]. » Et denuo ait : « Viriliter agite, et confortetur » cor vestrum, omnes qui speratis in Domino [6]. » Et, « Noli » æmulari gloriam peccatoris [7] : non enim nosti, quid de

[1] Ephes. v, 3-5.— [2] 1 Thess. v, 22.— [3] Isaï. LI, 7, 8.— [4] Id. L, 5-7. — [5] Psal. XXVI, 3. — [6] Id. XXX, 25. — [7] Prov. III, 31, et Psal. XXXVI, 1.

» exitu ipsius erit. » Melius est enim cuncta secundum Deum agere, et laudari ac probari in Domino, quam conversari male, et turpem famam habere : cum Dominus et Salvator noster Jesus Christus dicat : « Sic luceat lux ves» tra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et » glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est [1]. »

II. Ne ergo a via recta divertas in loca invia ; ne forte agrestium ferarum multitudo circumdet te, conturbatioque aquarum multarum : et tunc pœnitentia ducaris, dolore afflictus. Quis enim dolet, nisi quem mala detinent? Deus quippe benignus ac bonus cum sit, malum non vult plasmati atque figmento suo ; secundum eum qui dicit : « Non enim delectatur in perditione vivorum, Justitia enim » est immortalis [2]. » Alioque in loco ait : « Nemo cum ten» tatur, dicat, quoniam a Deo tentatur. Deus enim intenta» tor malorum est, ipse autem neminem tentat. Unusquisque » vero tentatur, a concupiscentia propria abstractus et il» lectus. Deinde concupiscentia cum conceperit, parit pec» catum : peccatum vero cum consummatum fuerit, generat » mortem [3]. » Concupiscentia mater est peccati. Hæc Evam ex paradiso ejecit [4]. » Hæc Caïn fratricidam effecit [5]. Hæc Ægyptiam adversus castum Joseph in rabiem adegit : Juvenis autem Deum timens, hanc dejecit [6]. Hæc populum in eremo prostravit [7]. » Hæc gentes septem in terra Chanaan destruxit, per quam creatorem suum exacerbaverant, quare et exterminati sunt [8]. Hæc corda filiorum Israël ab Altissimo declinare fecit : quemadmodum scriptum habetur : « Equi furentes in fœminas facti sunt, unusquisque » ad uxorem proximi sui hinniebat [9]. » Hæc judices populi in Babylone decepit [10]. Concupiscentia est prava peccati

[1] Matth. v, 16. — [2] Sap. I, 13 et 15. — [3] Jacob. I, 13-15. — [4] Gen. III. — [5] Id. IV. — [6] Id. XXXIX. — [7] Psal. XCIV, 9-11. — [8] Jos. XIV. — [9] Jer. V, 8, et Ezech. XXII, 11. — [10] Dan. XIII.

mater. Hæc bella et tumultus in terra excitat [1]. Hæc Herodiadem ad petendum caput Baptistæ subornavit [2]. Hanc Judas amans, Dominum gloriæ in manus impiorum tradidit [3] : nam aurum appetens, vitam perdidit. Propterea omnem concupiscentiam malam fugiamus, fratres charissimi : hanc a corde nostro depellamus, non parcamus ei : non enim est fructuosa, sed diaboli germen existit. Non est vulnus, non cicatrix, neque percussio tumens atque inflammans, non est cui malagma imponatur, nec oleum infundatur, neque vincula adhibeantur : sed vulnus est animæ, et percussio cordis. Hæc nos a sanctorum cœtu separat. Hæc nos a cœlestibus divellit, et terrenis conjungit. Arbor est folia habens, fructum vero plane nullum. Folia habet, et quidem densa, et in densitate ejus genimina viperarum demorantur. Arborem malitiæ excinde, et pro ea arborem vitæ in anima tua planta; pretiosam, inquam, crucem, spem Salvatoris, passionesque mortis ipsius. Dilectio ejus sit in corde tuo, quemadmodum scopulus in mari propositus, et navigia in pelago tempestatibus exposita ad vitæ portum invitans. Certa tanquam bonus miles, ut coronas assequaris. Dicentem audi : « Pios et abstinentes facite filios Israël [4]. » Quando legitime certaveris, tunc secure Regis dona cognosces. Tunc intelliges bonum, utile, et rectum esse agnoscere et sustinere Dominum, ejusque mandata servare. Tunc senties labores velut per somnium præteriisse, cum remuneratione hic facta. Quemadmodum diadema in capite regis sedentis in suo regno, ita gaudium tibi erit et exultatio : et gaudium tuum nemo a te tollet. Concedat porro nobis Dominus, ut misericordiam inveniamus coram bonitate ipsius, et in præsenti sæculo, et in futuro. Quoniam ipsi gloria in sæcula. Amen.

[1] Jacob. IV. — [2] Marc. VI. — [3] Matth. XXVI. — [4] Levit. XV, 31.

PARÆNESIS XLI.

De his, qui propria excidunt negligentia, excusationesque in peccatis prætexunt.

I. Frater, solitariam desiderasti vitam? bonum appetiisti opus, si ad finem usque servaveris. Advigila igitur, et tibi ipsi attende, ut sapiens, et non tanquam insipiens; ut monachus, et non quasi a monastico instituto vitam alienam duceres. « Non est enim colluctatio nobis adversus sanguinem et carnem : sed adversus principes et potestates, » adversus mundi rectores tenebrarum sæculi hujus, contra » spiritualia nequitiæ in cœlestibus [1]. » Sobrium ergo et vigilantem te præbe usque in finem; ne forte propria superatus negligentia atque segnitie, stulte dicas et insipienter : « Ad monachatum accessi, et nec ibi viam salutis inveni.» Cur igitur, frater, gratiam aspernamur Domini? et cur vitam solitariam calumniaris, cum nolis ipse juvari, neque pro tua anima allaborare? quin potius tuis te abripi sinis concupiscentiis ac cogitationum voluptatibus; et vitam adhuc solitariam accusas? Si enim præcepta Domini custodisses, non sane excidisses : et, si timorem Domini dilexisses, etiam tuam animam conservasses. Primum quidem, solitariæ vitæ canonem non servasti : synaxim tuam neglexisti, oblique incedere amasti, et superbiam potius dilexisti; superiores tuos despexisti : temperantiam non dilexisti, inexplebilem magis edendi voracitatem amasti. Vigilias non est complexus, insatiabilem autem somnum magis amplexus es : castitatem non probasti, sed pollutio-

[1] Ephes. vi, 10.

nem potius amasti : mansuetudinem atque humilitatem non es sectatus, superbiam autem potius dilexisti. Subjectionem atque obedientiam non es sectatus, inobedientiam vero potius es amplexus. Furorem et iracundiam non odisti, contentionem autem et injuriarum memoriam magis probasti. Quietem et orationem respuisti; clamores vero et juramenta potius coluisti. Gravitatem et verecundiam non servasti; scurrilitatem autem cum cachinnis magis comprobasti. Taciturnitatem et rectitudinem sprevisti; multiloquium vero et detractionem maluisti. Cum cordis compunctione in precibus consistere non probasti; at evagari potius ac mente distrahi amasti. Paupertatem non coluisti; avaritiam vero magis amplexatus es. Exercitatione monastica et labore voluntario non es delectatus ; at deliciis et oblectamentis potius gavisus es. Propriis operari manibus, tibi displicuit; quies autem et otium magis placuit. Fraternitatem non amasti; perversione vero improba gaudere potius probasti. Compati tribulatis noluisti; durus autem et commiserationis expers esse maluisti. Tribulationes et improperia propter Dominum perferre detrectasti; primos autem accubitus, laudesque vanas potius affectasti. Timorem Dei, et dilectionem ipsius non servasti; contemptum autem timoris ejus, et odium in proximum magis amasti. Quid multa? Cœlestia odisti, et terrena dilexisti : et adhuc vitam solitariam calumniaris? Non nosti, quia scriptum est : « Perdet Dominus omnes qui loquuntur mendacium. » Et rursus : « Nolite adversus Deum loqui iniquitatem : quo» niam Deus judex est [2]. »

II. Vides, frater, causam ex nobis esse, et non ex aliis? In te ipsum ergo descende, et ad Dominum in toto corde tuo convertere : « Non enim vult mortem peccatoris; sed » magis ut convertatur ipse et vivat [3]. » Cupit enim Dominus

[1] Psal. v, 7. — [2] Id. LXXIV, 6 et 8. — [3] Ezech. XVIII, 23.

omnes salvos fieri : nam bonus est. Vulneratus es? sed curari poteris. Cecidisti? at resurge duntaxat. Ne te ipsum in finem perditioni tradas. Ipse enim Salvator dixit : « Non » indigent qui sani sunt medico, sed qui male habent [1]. » Et, « Non veni vocare justos, verum peccatores [2]. Ideo, frater charissime, patere, et consilium tibi dabo. In quiete ac silentio reside, et præ oculis tuis timorem Domini gerito : colligensque cogitationes tuas, præside illis ut judex; et institutum vitæ temporis præteriti perdisce, ex quo solitariam aggressus es vitam : ut quænam status hujusmodi causa tibi fuerit, intelligas, notesque in corde tuo damnum ac causam, et unde talis damni provenerit causa. Nam si mercator in piratas inciderit, sive etiam submersa fuerit navis, et onera perdiderit; non obliviscitur loci, ubi eorum jacturam fecit; si autem post multum temporis acciderit ipsi eumdem locum adire, magna cum suspicione per illum transit. Quare et nos illorum imitatores simus, aut potius iis prudentiores. Illi, corruptibilibus divitiis deperditis, non obliviscuntur loci; at nos incorruptibilia negligimus bona. In quiete igitur et silentio reside, sicut jam dictum est; tuasque cogitationes recollige, ac spiritum die noctuque scalpe atque scrifica; ut ejusmodi damni et subversionis causam agnoscas : ne forte ab initio fiduciam libertatemque habueris, quæ piam ac religiosam cogitationem tuam inverterit, moresque corruperit, ac te inverecundum impudentemque reddiderit, ne forte damnum ex multiloquio provenerit. Ne forte causa ex gula et crapula extiterit. Ne forte ex inobedientia damnum emanarit. Ne forte ex desiderio et appetitione diversorum locorum; ne forte ex ministerii atque distractionum occasione, maximum sibi malum pararit. Et ubi agnoveris, abscinde libertatem atque impudentiam pietate.

[1] Matth. IX, 12. — [2] Marc. II, 17, et Luc. V, 31.

III. Ne verearis ab hominibus præcepta Domini aspernantibus appellari hypocrita. Perspicuum est enim illos non ad fratris correctionem hypocrisis mentionem facere; sed ut pudore suffundatur frater, impudensque efficiatur, et abhorreat a recta sententia. Nam pios ac religiosos, hypocritas nuncupant. Ad quos ait Dominus : « Hypocrita, ejice » primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere » festucam de oculo fratris tui [1]. » Ne igitur verearis improperia, frater charissime, et disciplinæ ne te subtraxeris : nam indisciplinatos mors comitatur, secundum sacram Scripturam : quemadmodum et alio in loco dicit : « Si cor » nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad » Deum [2]. » Alibique ait : « Si exprobramini in nomine » Christi, beati eritis : quoniam quod est honoris ac gloriæ » et Dei spiritus super vos requiescet. Nemo autem vestrum » patiatur ut homicida, aut fur, aut alienorum appetitor. » Si autem ut Christianus, non erubescat, sed glorificet » Deum in isto nomine. Et si justus vix salvabitur, impius » et peccator ubi parebunt [3]? » Fuge ergo impunitatem, et risum : non enim conducunt animæ tuæ. « Nam quæ pars » fidelibus cum infideli [4]? » Similiter autem et gulam per temperantiam vince; avaritiam, per exercitationem et inopiam voluntariam; multiloquium, per taciturnitatem; sedendi impatientiam, per cellæ tolerantiam; negligentiam, per futurorum bonorum memoriam, et inobedientiam, per humilitatem. Sin vero et sub prætextu detestationis malitiæ tibi quid mali pararit inimicus, mundum ac castum deinceps te ipsum serva, et non communices peccatis alienis.

IV. Mea autem sententia arbitror initium tibi extitisse malorum impunitatem atque licentiam, quæ et te impuden-

[1] Matth. VII, 5, et Luc VI, 42. — [2] 1 Joan. III, 21. — [3] 1 Petr. IV, 14-18. — [4] 2 Cor. VI, 15.

tem effecit. Idcirco ait : « Beatus vir, qui semper est pavidus » propter pietatem [1]. » Quid porro lucri habet mundus? aut quod bonum diligentibus ipsum præbebit? Accepit quis uxorem? initium curarum. Genuit filium? sollicitudo altera. Nascitur alius? Cura abundantior. Moritur filius unus? luctum parentibus suis relinquit. Si porro etiam vivens, improbus evaserit atque perversus; magis de eo, quam de mortuo dolent. At quando jam viro mortis hora obvenerit, graviorem propria ducit morte afflictionem suæ conjugis, eo quod uxorem relinquat viduam, et filios suos orphanos. Ab iis autem omnibus liberum te reddidit jugum Christi, o monache : et quomodo rursus ad antiqua vis reverti? ne ergo tuam ipse salutem desperes; neque dixeris amplius te salvari non posse : imo salvari te posse confide. Timorem Dei tota anima tua cole, et ipse tua sanabit vulnera, teque absque vulneribus deinceps conservabit. Quandiu enim Domini timorem colit anima tua, in laqueum diaboli non incides; sed eris velut aquila in sublimia volitans. Sin autem postea anima torpore correpta, Dei timorem contempserit, tunc ab excelsis deturbata, irridetur ab infimis : qui etiam obvelatis ejus oculis, agunt ipsam in passiones ignominiæ, tanquam bovem jugo constrictum.

V. Ideo, frater dilectisime, demus operam veritati : curemus salutem nostram : meditemur horam mortis : odio prosequamur res mundanas. Istæ enim omnes hic manent : istæ nos non eximent ac liberabunt in hora necessitatis nostræ, quando pœnitentes, nihil proficiemus : quando pro remissione deprecabimur, et nullus erit qui absolvat. Hei mihi! hei mihi! quam tremenda erit mortis hora, quando anima separabitur a corpore! Tunc non comitabitur filium pater, non filiam mater, non uxor maritum, non fratrem frater : sed solum opera, quæ quisque egit, sive

[1] Prov. xxviii, 14.

mala, sive bona. Præmittamus igitur nobis ipsis opera bona, ut cum hinc abierimus, recipiant nos in civitatem sanctorum. Quod si progressum facere velis, regem ipsum abhinc amicum tibi para. Qualem vero putas invenies gloriam, frater charissime, si amicum regem gloriæ posthac tibi vindicaveris? Nam sicut hic ipsum honoras, talem ipse gradum tibi præbebit : et quantum ei hic inservis, tantum et ipse honorabit te ibi. Scriptum est enim : « Sed tantum glorificantes me » glorificabo; et qui contemnunt me, ignominia afficien» tur[1]. » Honora igitur ipsum tota anima tua, ut te honore dignetur sanctorum. At in quo ipsum possidere oportet? Offer illi aurum et argentum, et si nudum videris, cooperi eum. Quod si nihil horum suppetat tibi, alia ipsi genera auro et argento pretiosiora offer, fidem scilicet, charitatem, continentiam, patientiam, longanimitatem, humilitatem. Abstine a detractionibus. « Serva oculos, ne aspiciant vanita» tem[2]; » et manus, ne faciant injustitiam. Averte pedes tuos ab omni via mala. Consolare pusillanimes. Compatere infirmis. Da calicem aquæ frigidæ sitienti[3]. Da fragmentum panis esurienti. Ex quibus habes, ex quibus, inquam, ipse tibi largitus est, offer ei. Etenim duo minuta viduæ non repudiavit Christus[4]. Quid porro etiam Elias postulavit a vidua? nonne modicum aquæ in vase, et buccellam panis? Surgens enim Elias abiit in Sarepta Sidonis[5] : cumque appropinquasset portæ civitatis, ecce apparuit ei mulier vidua, colligens ligna. Et clamans post eam Elias, dixit ei : « Cape nunc mihi, paululum aquæ in vase, ut bibam. » Illaque pergente ut acciperet, clamavit post eam Elias, et dixit : « Cape nunc mihi, obsecro, et buccellam panis in manu tua. » Vides, charissime, quibus alebantur sancti Prophetæ? modica nimirum aqua, et buccella panis, et quidem cum

[1] 1 Reg. II. — [2] Psal. CXVIII, 37. — [3] Matth. X, 42, et Marc. IX, 40. — [4] Marc. XII, et Luc. XXI. — [5] 3 Reg. XVII.

angustia : omne quippe studium ponebant in bonis, quæ ipsis in cœlo reposita erant.

VI. Diligamus igitur et nos viam Sanctorum, fratres charissimi. Dum tempus adhuc nobis suppetit, præstemus in eo fructum pœnitentiæ bonum. Ne tempus pœnitentiæ idoneum deperdamus : nec imaginibus atque simulacris hujus sæculi distrahamur : neque cum viris opera sua absque timore Dei peragentibus nos ipsos conjungamus : neque eorum imitemur opera, qui propriam salutem despiciunt, secundum illud Apostoli effatum : « Corrumpunt mores bonos » colloquia mala [1]. » Alioque in loco dicit Scriptura : « Apprehende disciplinam meam, ne dimittas eam, sed custodi » eam tibi ad vitam tuam. Vias impias ne ingrediaris, neque » æmuleris vias iniquorum. In quocumque loco castrametati fuerint, ne transeas : illac verum declina ab eis, et abscede : non enim somnum capient, nisi malefecerint ; ablatus est enim somnus eorum, et non dormiunt. Comedunt » enim escas impietatis, et vino iniquo inebriantur. Justorum » autem viæ instar lucis fulgent, procedunt, et illuminant, » donec dirigat se dies [2]. » Et rursus ait : « Noli esse sodalis viro » furioso ; neque cum amico iracundo cohabites : ne forte » discas vias ejus, sumasque laqueos animæ tuæ [3]. » Alioque in loco iterum : « Hi sunt fontes sine aqua, et nebulæ turbine exagitatæ, quibus caligo tenebrarum in æternum reservata est. Superba enim vanitatis loquentes, inescant in » desideriis carnis luxuriæ eos, qui sermones rectos effugiunt, » et in errore conversantur, libertatem illis promittentes, » cum ipsi sint servi corruptionis. A quo enim quis superatus est, hujus servus efficitur. Si enim refugientes coinquinationes mundi istius in cognitione Domini nostri Jesu » Christi, his rursus implicati superantur, facta sunt eis

[1] I Cor. xv, 33. — [2] Prov. iv, 13-18. — [3] Id. xii, 24, 25.

» posteriora deteriora prioribus [1]. » Rursusque alibi : « Roga» mus autem vos, ut observetis eos, qui dissensiones et of» fendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt ; » et declinate ab illis. Hujusmodi enim Domino nostro Jesu » Christo non serviunt, sed suo ventri, et per dulces sermones » et benedictiones seducunt corda innocentium [2]. » Fugiamus ergo latam viam, quæ abducit in perditionem ; appetamus autem arctam et angustam, quæ in æternum deducit regnum. Laboremus hic bono et alacri animo, antequam coacte nobis laborandum sit. Mundum perturbationibus ac passionibus obnoxium, vitamque male affectam oderimus. Rectos nobis ipsi cursus faciamus. Studium ac diligentiam amemus, ferventes spiritu erga Dominum. Ploremus hic sponte, atque libenter, ut Deum placatum reddentes, eripiat nos ab æterno igne, et stridore dentium. Diligamus luctum, quoniam Christi præceptum est. Ipse enim dixit : « Beati qui lugent nunc, quia ipsi consolabuntur [3]. »

VII. Consideremus, fratres charissimi, eos qui per mare navigant : qualia subeant pericula, cum fluctibus decertantes, et amplitudinem marium transmeantes. Quando autem quis tempus conductionis suæ impleverit, non reputat pericula, quæ in mari decertans sustinuit, propter gaudium : quia plenam mercedem suam accepit ; quin et alacrior ad navigandum in mari hinc redditur. Illi quidem quando finiunt, tunc incipiunt : at nos, fratres charissimi, si assequamur, ut bene finiamus propositum nobis certamen, non amplius nobis necessitas incumbet iterum eumdem cursum instituendi, cum id sit impossibile. Exiguum certamen est, fratres, et mercedis retributio ineffabilis. Vigilemus igitur, et diligentes simus in opere Domini, charissimi, toto corde ac viribus, donec tempus habemus.

[1] 2 Petr. II, 17-20, et Judæ 12.— [2] Rom. XVI, 17, 18.— [3] Matth. V, 5.

Quemadmodum enim dona ejus, Sanctorumque vocatio non revocantur [1]; ita et contraria contrariis sunt ab initio præparata. Idcirco beatus vir, qui timet Dominum : quoniam ab ipso coronam accipiet, quam præparavit diligentibus se [2]. Ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

PARÆNESIS XLII.

Ad fratrem qui excidit, et de pœnitentia.

I. Sub obedientia Patris spiritualis constitutis suggerit inimicus, dicens : « Discede hinc, et privatim habita, ut quiescas magis. » Et si frater cogitationibus ejusmodi consenserit, a fraternitate recedit. Sin autem viderit inimicus cogitationem fratris paululum attendere sibi, tunc suggerit ipsi, dicens : « Ingredere in interiorem eremum. » Deinde considente fratre per aliquod tempus in eremo, tunc affert ei honestatis inimicus dæmon cogitationem tædii, temporisque productionem, ac rerum necessariarum penuriam, senectutis imbecillitatem, et solitudinis molestiam. Et si inimicus fratrem commovere potuerit, etiam inde ipsum extrahit, transportatque prope castellum, aut civitatem. Tum vero fornicationem ei intentat. Quare frater ab accessu ad civitatem se continet, neque castellis ac vicis appropinquat. Tunc cernens inimicus propositum fratris, incitamenta ac machinamenta excogitat, quibus fratrem dejiciat : ex quibus unum est istud. Quadam die dum frater in cella quiescit, mulierem subornat, quæ januam ejus pulset, prætextu quod a via aberrarit, et metu perculsa sit; vel quod pro eleemosyna venerit : aut etiam prætexit se

[1] Rom. XI, 29. — [2] Jacob. I, 12.

monachum aliquem notum inquirere. Frater itaque ostium aperiens suum, videt mulierem in sua consistentem cella: quæ ait ad illum : « Domine Abba , ubi certus quidam moratur monachus? Et quia inclinata jam est dies, fac charitatem suscipiendi nos intra fores tuas ista nocte, ne forte oberrantibus nobis, comedant nos feræ sylvestres. » Sæpe etiam aliam secum adducit deceptricem mulier. Forte etiam expensas deferunt, et res necessarias, quibus fratrem inescare volunt. Tunc frater cum utrisque pugnat cogitationibus, metuitque, ne velut immitis atque immisericors præcepto excidat, et ne forte etiam boni occasione capiatur ejus anima. Sed ne in longum protrahamus sermonem, si concupiscentia victus fuerit monachus, et post consummatum scelus si emittere eam voluerit, respondet illi dicens : « Quando me humiliasti, ac compressisti, a te dimittis, et ut quo velim abeam? At quo pacto ante conspectum parentum meorum comparebo? An poterit amodo res celari? Certo igitur scias, monache, non amplius me a te abscessuram : quinetiam tecum in tua cella conquiescam, et unde voles, me sustentes. » Tunc se ipsum monachus deflere incipit, quod prorsus januam suæ cellæ aperuisset.

II. Ista igitur sciens, monache, te ipsum custodi. Nam si in ejus laqueos incideris, difficulter te explicare poteris. Laqueis enim, inquit, qui a labiis sunt, pertraxit eum[1]. Quare prænoscens quæ peccati futura sint novissima, qualemque committentibus illud infamiam postea conciliet, fuge voluptatem carnalem : quippe cujus fructus, pudoris atque infamiæ fructus sunt. Et ante voluptatem quidem concupiscentia, post voluptatem autem dolor. Perpende ergo animo, quod voluptatem dolor consequatur, et fuge peccatum, mente complectens hominum infamiam, sed magis timorem Domini. Repelle igitur abs te dæmonem

[1] Prov, VII.

volentem te decipere, et labores tuos abripere; ut absque tristitia permaneas. Novit quippe cordium scrutator Dominus, quod non malitiæ causa, aut humano aliquo odio, mulierem respuas : verum ut non per bonum tibi опереris malum. Si autem quis dicat rem bonam esse hospitalitatem : consentio et ego. At hospitalis vir imitari debet eum, qui aurum in fornace probat, purumque sibi accipit, improbatum vero despicit. Hoc est, mandatum observa; a peccato autem velut ab ore serpentis fuge. Nam qui dixit: « Hospes eram, et collegistis me [1] : » dixit etiam : « Non » fornicaberis [2]. » Sobrium igitur ac vigilantem te præbe in juventute tua. Vigilanter attende, ne forte otio atque torpori indulgens, inveniaris pravis affectionibus serviens a juventute usque ad senectutem. Nam qui in mari naufragium facit, forsitan et vigilavit et decertavit : verum magna fluctuum insultatio ipsum obruit. Qui autem in portu naufragatur, similis est illi, qui mera sua negligentia navem domini sui in profundum deducit ac perdit. Tu ergo in portu versaris, monache, siquidem tibi ipsi attendas. Propterea neque nobis in vicis ac castellis conversari expedit. Sin autem te ad oppidum seu castellum abeundi urserit necessitas, ne colloquiis distraharis mulierum. Quemadmodum enim qui hamum deglutit, ita tua abripietur anima. Vigila igitur, quia non procul abest prolapsio. Cum modestia ac timore Dei adversus tentationem decerta : nam fornicationis mater est impudentia. Quod si te liberius agentem, et accedentem ad ipsas viderint, ad pejus incitantes, dejicient te. Verum etiamsi verecundus sis ac modestus, non confidas tibi : sed advigila, ne forte compunctionis et pietatis prætextu, mentem tuam verbis blandiloquis corrumpant; dixit enim quidam Sanctorum : « Sermones proferunt, affectum animi emollire conantes. » At

[1] Matth. xxv, 35. — [2] Exod. xx, 14.

certe quemadmodum dixit Salvator : « Ecce ego mitto vos, » sicut oves in medio luporum : estote ergo prudentes, sicut » serpentes, et simplices ut columbæ[1] : » Admonet autem et per Apostolum dicens : « Nolite fieri imprudentes, sed » intelligentes, quæ sit voluntas Domini : Et nolite inebriari » vino, in quo est luxuria[2]. » Certo igitur scias, charissime, quod si fueris ut aurum purum in mundo, et ad institutum profectus monasticum, neglexeris te ipsum, non tardabis fieri sicut plumbum. Et si iterum ad monasticum vitæ genus veniens, Dominum in veritate dilexeris, non tardabis fieri ut margarita, non habens maculam, aut rugam, vel quid hujusmodi : sed eris immaculatus omni ex parte.

III. Et istud te rursus nosse volo, quod qui committit peccatum, gravius bellum habet eo qui se continet. Nam sicut qui lutum in aliquem locum infundit, fœtorem reddit abundantiorem : ita et qui non se continet, passionem auget. Intellige quod si te ipsum neglexeris, in fine te pœnitebit, cum dicat Apostolus : « Qui sine uxore est, sollicitus » est quæ Domini sunt, quomodo placeat Domino. Qui au- » tem uxorem habet, sollicitus est quæ sunt mundi, quo- » modo placeat uxori; et divisus est[3]. » Tu vero, monache, non mundanam elegisti sollicitudinem, sed quo pacto placeas Domino; unde te ipsum castrasti propter regnum cœlorum[4]. Rursusque dico, si non continueris, novissime multis modis dolebis, secundum Apostolum dicentem : « Tribulationem vero carnis habebunt hujusmodi[5]. » Nam qui uxorem duxit, inopia virtutis laborat, curis domus, et uxoris, educationisque liberorum distractus. Qui autem absque uxore est, sollicitus est quæ sunt Domini, quomodo placeat Domino. Te ipsum propter regnum cœlorum castrasti, non ferro virilia amputans; quippe quod a virtute

[1] Matth. x, 16, et Luc. x, 3. — [2] Ephes. v, 17, 18. — [3] 1 Cor. vii, 32-34. — [4] Matth. xviii. — [5] 1 Cor. vii, 28.

alienum est; sed pia cogitatione voluptates comprimens. Quare iisdem terminis insiste : quia scriptum est : « Melius » erat te non vovere, quam post votum promissa non red» dere [1]. » Te ipsum igitur ad continentiam compelle : et mundas cogitationes tuas mentemque invenias, tanquam portum serenum tranquillitate plenum. Et futurorum bonorum spes, vires animæ tuæ pinguefaciet, quasi adipe et pinguedine repletas : quibus nos Dominus dignetur justus Judex. Amen.

IV. Neque alio modo templum corrumpas Dei, obsecro : et non contristes inhabitantem in nobis Dei Spiritum [2] : nec sanctos Angelos nostræ deputatos custodiæ die noctuque, qui et dæmones a nobis repellunt invisibiles, dentibus adversus nos stridentes : ne forte ipsi accusatores nostri in die evadant judicii, subjiciamurque eversioni Sodomorum. Nam etiamsi nos muri circumdederint, et licet nos tectum contexerit, et fores occlusæ sint, ac tenebræ existant ; attamen cogitemus, nihil eorum, quæ ad nos pertinent, latere eum, qui tenebras a luce separavit [3]. Fidemque tibi Propheta faciat, dicens : « Intelligite insipientes in populo, et » stulti aliquando sapite. Qui plantavit aurem, non audit? » Qui finxit oculum, non considerat? Qui corripit gentes, » non arguet? Qui docet hominem scientiam? Dominus scit » cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt [4]. » Frater charissime, non solum hominum actiones intuetur Dominus, verumetiam cogitationes.

V. Quod si tibi suggerat inimicus, dicens : « Restat pœnitentia : ideo jam voluntate tua perfruere : » dic ad eum : « Quæ utilitas est, diabole, domum bene extructam diruere, ac de integro rursus ædificare? » Cum dicat Apostolus : « Cum metu ac tremore vestram salutem operamini [5]. »

[1] Eccl. v, 4. — [2] Ephes. iv, 30. — [3] Gen. i. — [4] Psal. xciii, 8-11. — [5] Philip. ii, 12.

Ubi vero metus est ac tremor, perspicuum est nullam adesse voluptatem. Da ergo operam saluti tuæ, dilectissime frater: ac mentem ad tranquillitatem traducens, recollige cogitationes tuas, et dic intra te ipsum : « Tanto jam tempore tuas, o homo, voluptates, et carnis cupiditates exples, et cogitationibus satisfacis tuis? Quod lucrum his perficiendis retulisti? Numquid ad staturam tuam adjecisti cubitum unum[1]? At crassus et pinguis factus es. Aliud igitur tibi ipsi nihil, præter escam vermium, collegisti. Quid ergo inde tibi utilitatis accessit? Cœlestem-ne thesaurum bonis complesti, dum ita sine metu vitam degis? Quid igitur tibi profuerit, reliquisse mundum? »

VI. Heu mihi! o anima, quod ad talem vitæ conditionem, aut potius eversionem deveneris. Ecce fratres mei virtutibus exornati sunt, Deumque in veritate timent : ego autem in tenebris ambulo. Mane resipisco propter ea, quæ ago, ac die consequenti deteriora perficio : et cum Dominus vires mihi et sanitatem donaverit, his ego confisus Creatorem meum exacerbo. Quare negligens es, o anima mea? Cur pro nihilo ducis? Non enim te hinc pellet atque abjiciet Creator, qui te ex non esse ad esse produxit. Ipse mittet Angelum suum, et tu hinc discedes. Agnosce infirmitatem tuam, o anima mea. Quandiu Factori tuo, ac mandatis ipsius reluctaberis? Opprobrium me fecisti, o diabole, et Angelis et hominibus, obediensque factus sum consilio tuo impio. Suggeris enim mihi, dicens : « Semel exple concupiscentiam tuam, et non amplius indulgebis ei, neque cognoscetur peccatum tuum. Ecce parvum illud, magnus mihi factus est hiatus : nec possum improbis variisque concupiscentiis tuis resistere. Nam exiguum foramen aqua invenit, hiatumque magnum ac omnibus manifestum effecit. Vere enim peccatorum consuetudo in deterius agit

[1] Matth. VI. Luc. XII.

eum, qui lapsus est. Mentem quippe meam immundis obscurasti cogitationibus, et in peccati foveam impulisti me. Cui dicam, ut super me plangat misero peccatore? Nudum enim me inimicus reddidit, ob meam pigritiam : verum spe in Deum respiciens, non despero salutem meam in finem : quoniam clementissimus est et optimus Dominus.

VII. Quid porro et ad fraudulentum deceptorem? Quippe qui continentiam meam ob stomachi infirmitatem evertit, et me a vigilia in orationibus alienum fecit. Avaritiam in me prætextu longioris senectutis plantavit : lacrymas meas exsiccavit, cor meum crassum ac stupidum reddidit; ab obedientia in Christo me segregavit, et in distractionibus me defixum tenuit : inobedientem me reddidit, ne quid agerem, et ut curiose ac frustra laborarem effecit. Invidiam et detractionem me docuit. Trabem, quæ in oculo meo est, non permittit mihi ut considerem[1] : festucam autem, quæ in oculo fratris mei est, oculis meis objicit. Quæ in corde meo sunt, occultare suadet : sin autem in aliquod impegerit frater meus delictum, de eo ut garriam, mihi auctor est. Superbum, et iracundum atque excandescentem me reddidit. Ventri et ebrietati, ac voluptatibus me deditum esse fecit. Damna animæ meæ, tanquam lucra comparavit mihi. Pigrum et murmuratorem, atque multiloquum me esse docuit. In lectione et psalmodia distractum me aliis esse docuit. Oro, et non attendo. Captivus abducor, et non considero. Admonitus frequenter a viris Deum timentibus, bonæ ipsorum adhortationi non parebam : nam sicut jacula, illorum verba excipiebam, et commonitus irascebar. Satis sit tibi, diabole. Agedum in te ipsam, o anima mea, revertere. Qua potissimum re freta, tuum Creatorem exacerbas? Quandiu in iisdem versaris malis? Noli aspernari gratiam ejus, qui te protegit atque visitat, ne forte abs te

[1] Matth. VII, Luc. VI.

recedat, et in manus tuorum tradaris inimicorum. Fuge diabolum, o anima mea, et opera ejus : nam odium erga homines gerit, et homicida est ab initio [1]. Si ad eum accesseris, non parcet perditioni tuæ. Relinque malignum, et Deo benignissimo adhære. Erubesce igitur, o anima, et in viam salutis revertere. Vulnerata es? Ne te ipsam desperes : nam sæpe licet athleta ceciderit, tandem adhuc coronam refert. Cecidisti? Resurge. Viriliter age, et dic : « Nunc incœpi. » Et ne perseveres in lapsu tuo, ne forte ut cadaver in avium et bestiarum cibum apponaris, cum Propheta clamet : « Ne tradas bestiis animam confitentem tibi; ani» mas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem [2]. »

VIII. Procide et tu Regi gloriæ, confitens peccata tua : nam multitudinem miserationum continet. Qui terrenum adire regem volunt, a janitoribus prohibentur, a militibus et ministris rejiciuntur : dona principibus afferunt, ut voti compotes fiant. Tu autem ad Regem accedens universorum, nihil horum suspiceris. Non dona requirit : nullus enim est, qui accipiat, neque qui impediat : quoniam statim Rex invenitur, et admittit te. Malitiæ est immemor, et benignus, et de hominum malis dolet. Accede igitur ad ipsum, non in simulatione, neque corde duplici, verum in conscientia pura. Nam prius quam tu exiguum aut magnum quid loquaris, prævidet de quibus locuturus sis : et ante quam tuum aperturus sis os, quæ in tuo sunt corde præcognoscit. Ne ergo vacilles, neque morbum tuum occultes; non enim durus est medicus, sed compatiens, solo verbo curat. Solum dixit, et facta sunt. Hocque ex ipsis crede rebus. Dixit paralytico : « Tibi dico, surge, tolle grabatum tuum, » et vade in domum tuam [3]. » Et e vestigio sanus factus est homo, et bajulans suum, quo portabatur, lectum, ambulabat

[1] Joan. VIII, 44. — [2] Psal. LXXIII, 19. — [3] Matth. II, 11, et Joan. V, 24.

sanus. Dixit et leproso : « Volo. Mundare : et illico mundata est ejus lepra [1]. » Quin et Lazarum quoque quatriduanum a mortuis excitavit Dominus [2]. Et ne sigillatim recensentes, videamur in longum protrahere sermonem; (nam opera illius innumerabilia sunt :) illius etiam, quæ pedes ejus lacrymis irrigavit, et capillis suis abstersit, peccata verbo dimisit, dicens : « Confide filia, fides tua te salvam fecit [3]. » Nam fons est indeficiens medicamenta hominibus producens. Ne ergo hæsites : non enim te salvari volentem rejiciet, qui ait : « Si vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris : quanto magis Pater vester qui in cœlis est, dabit bona petentibus se [4]? » Accede igitur ad Patrem misericordiarum, et confitere peccata tua, cum lacrymis dicens :

IX. « Peccavi in cœlum, et coram te, Domine Deus omnipotens, et non sum amplius dignus vocari filius tuus [5], neque sursum aspectum tollere, et cernere altitudinem cœlorum, præ multitudine iniquitatum mearum, neque nomen tuum gloriosum nuncupare labiis mei peccatoris. Nam cœlo et terra indignum me reddidi, te optimum Dominum exacerbans. Precor, obtestorque te, Domine, ne me a facie tua abjicias, neque recedas a me, ne peream. Nisi enim me manus tua protexisset, jam ego periissem, et essem instar pulveris ante faciem venti, et quasi nunquam in hac vita apparuissem. Nam ex quo viam tuam dereliqui, nullus mihi bonus occurrit dies; qui enim in peccatis bonus visus est dies, acerbissimorum extitit acerbissimus. Verum deinceps spero ut, gratia tua me confortante, saluti meæ consulas. Nuncque ad te supplex recurro, obsecrans, ut me a justitiæ aberrantem via suscipias. Effunde in me miserationum tuarum multitudinem, sicut in filium olim effudisti

[1] Matth. VIII, 3. — [2] Joan. XI, 39. — [3] Matth. IX, 22. — [4] Id. VII, 11. — [5] Luc. XV.

prodigum [1] : quia vitam meam dedecoravi, dissipatis divitiis gratiæ tuæ. Miserere mei, et ne vitæ memineris meæ quæ ad extremam redacta est vilitatem. Miserere mei, sicut olim Peccatricis [2], et Publicani es misertus [3]. Miserere mei, sicut Latronis es misertus : nam is in terra cum esset, ab omnibus reprobatus est : at tu eum suscepisti, et deliciarum paradisi incolam fecisti [4]. Quare et meam inutilis tui servi pœnitentiam suscipe : nam et ego a cunctis spretus sum, atque rejectus. Advenisti enim, Domine, non ut justos salvares, sed ut peccatores ad pœnitentiam vocares. »

X. Deprecare, et confitere : verum actio orationi cooperetur atque confessioni, ut oratio tua sicut incensum dirigatur in conspectu Dei : audiasque, o homo, « Magna » est fides tua, fiat tibi sicut vis [5]. » Deus autem, qui aberrantium dux est, et collapsorum erector, donet nobis, ut vitam peragamus irreprehensibilem, statuatque nos a dextris suis in illa die justus Judex. Quoniam ipsi convenit gloria, honor, et adoratio, Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, in omnes sæculorum generationes. Amen.

PARÆNESIS XLIII.

Quod non oporteat jurare, neque blasphemare.

I. Cum dicat Dominus et Salvator noster Jesus Christus : « Iterum audistis, quia dictum est antiquis : Non per» jurabis : reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem » dico vobis, non jurare omnino, neque per cœlum, quia

[1] Luc. xv. — [2] Id. vii, 37. — [3] Matth. ix, 9, et Marc. ii, 14. — [4] Luc. xxiii, 43. — [5] Matth. xv, 28.

» thronus Dei est : neque per terram, quia scabellum est » pedum ejus : neque per Jerosolymam, quia civitas est » magni Regis : neque per caput tuum juraveris, quia non » potes unum capillum album facere, aut nigrum. Sit autem » sermo vester : Est, est : Non, non; quod autem his abun- » dantius est, a diabolo est [1]. » Et quomodo nos præcepta Creatoris nostri transgredi audemus? Secundum eum, qui dicit : « Et posuerunt in cœlum os suum, et lingua eorum » pertransivit in terra [2]. » Et audes aperire audacter os tuum, et in cœlum verba emittere, juramenta, atque blasphemias? Nec times, ne forte falx ignea, quam Propheta vidit, demoretur in domo tua, donec ex ea, quæ sub cœlo est, te excidat ac deleat [3]? Dum sic audes os aperire adversus Deum omnipotentem, in quem Angeli, Archangeli, Cherubim, et Seraphim non audent oculos conjicere : sed cum timore ac tremore assistunt, collaudantes formidabili et gloriosum atque honorabile nomen ejus; sicut scriptum est : « Audaces, sibi placentes, sectas non metuunt intro- » ducere, blasphemantes [4]. » Ubi Angeli, fortitudine et virtute cum sint majores, non portant adversum se execrabile judicium. « Hi vero velut irrationabilia animalia, naturaliter » in captionem et in corruptionem, in his quæ ignorant » blasphemantes, in corruptione sua peribunt, percipientes » mercedem iniquitatis [5]. » At tu homo cum sis, non agnoscis te ipsum? An putas, quod probitatem præbeat res ista? Non, inquam : verum in perniciem atque exitium ea tibi res accidet; quia et aliorum animas coinquinas, Satanæ administer effectus; cum dicat Apostolus : « Docentes et » commonentes vosmetipsos in psalmis, et hymnis, ac can- » ticis spiritualibus, cantantes in cordibus vestris Domino [6]. » Tu vero pro hisce contraria doces, blasphemias et jura-

[1] Matth. v, 33-37. — [2] Psal. LXXII, 9. — [3] Zachar. v, et Apoc. XIV. — [4] 2 Petr. II, 1. — [5] Judæ X. — [6] Coloss. III, 16.

menta : teque ipsum atque insipientiæ tuæ imitatores, filios gehennæ efficis : quoniam os, quod ad glorificationem suam procreavit Deus, illud tu amaritudine imples. Desine igitur, o homo, ne forte idem sermo, quem contemnis, flamma fiat in ore tuo, et tuam linguam comburat. Nam si homo homini pugnam suscitans, etiam pace jam facta, in conspectum ejus prodire erubescit, quomodo tu hodie in mundo constitutus, et cras tribunali ipsius præsentandus, audes talia eloqui? Et non metuis, ne forte ignis e cœlo descendat, et devoret te, dum tu sic os adversus Omnipotentem aperis? Neque vereris, ne forte terra sub te repente disrumpatur, teque absorbeat? Ne decipiaris, o homo : impossibile est enim manus effugere Creatoris nostri. Audi eum, qui dicit : « Blasphemantes, qui rationem reddent Deo, qui » judicaturus est vivos et mortuos [1]. » Quousque tandem exacerbamus eum, qui tanta nobis bona donavit? Qui pulverem e terra capiens, formavit hominem, et inspiravit in eum spiritum vitæ [2] : qui cuncta subjecit sub pedibus ejus : et nos dormientes custodit, et excitatos protegit, et esurientes nutrit, ac nudos vestit; pusillanimes consolatur, corripit, et miseretur : qui etiam Filium suum unigenitum pro omnium vita tradidit. Nos autem pro beneficiis ejus, spinas et tribulos proferimus, quorum consummatio in combustionem.

II. Accede ergo ad benignissimum, et malorum atque injuriarum plane immemorem Deum : petens ab eo custodiam ori tuo, et ostium circumstantiæ labiis tuis [3]. Cernis enim Prophetam, quomodo tremore ac metu perculsus, et per puram cum Deo precationem sermocinans, exclamabat, dicens : « Domine, audivi auditionem tuam, et timui : » consideravi opera tua, et expavi [4]. » Ac rursus : « Obser-

[1] 1 Petr. IV, 4, 5. — [2] Gen. II, 7. — [3] Psal. CXL, 3. — [4] Habac. III, 2.

» vavi, ut conturbatum est cor meum, a voce precationis » labiorum meorum : et ingressus est tremor in ossa mea, » et subter me conturbata est virtus mea [1]. » Quod si adhuc pergimus justum contemnere Judicem, audiamus Apostolum dicentem : « An divitias bonitatis ejus, et patientiæ, et » longanimitatis contemnis : ignorans, quoniam benignitas » Dei ad pœnitentiam te adducit ? Secundum autem duri» tiam tuam, et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in » die iræ, et revelationis, et justi judicii Dei, qui reddet » unicuique secundum opera ejus [2]. » Propterea et alibi dicit : « Si peccans peccaverit homo in hominem, etiam ora» bunt pro eo ad Dominum. Si autem in Dominum pecca» verit, quis orabit pro eo [3]? » Idcirco pœnitentiam agamus, fratres. Quousque Creatorem nostrum exacerbamus? Si portum perdiderimus, ubi tempestatis ac perturbationis tempore salvabimur ? Si Dominum exacerbaverimus, ad quem, tribulationis tempore, et in hora necessitatis confugiemus ?

III. Ego quidem, dilectissimi, non tanquam opere veritatem demonstrans, ista vobis conscripsi : verum uti frater, consilium præbens. « Nisi quia Dominus adjuvit me, » paulominus in inferno habitasset anima mea [4]. » Quocirca et vos ego miserrimus hominum obsecro : precemini pro me ad Dominum, ut multitudo peccatorum meorum ante finem meum deleatur, ne confundar ab expectatione mea, et in hora mortis, me respiciat secundum multitudinem miserationum suarum, et tunc per fideles illuminatosque Angelos animam meam peccatricem cum vestris animabus ad requiem justorum deducat. Qualem enim putatis terrorem atque tremorem habet anima in hora illa ? Nam si is, qui in regionem longinquam proficiscitur, sub-

[1] Habac. III, 16. — [2] Rom. II, 4-6. — [3] I Reg. II. — [4] Psal. XCIII, 17.

sistit et admiratur, populum cernens peregrinum, et terram alterius linguæ, quam nunquam vidit : quo putatis terrore percelli animam, quando ex hoc sæculo ad futurum emigrarit; dum cernit tunc quæ nunquam aspexit? Satagamus igitur eorum, quæ ibi contingent, charissimi, tota anima et corde. Serviamus Deo totis viribus nostris. Custodiamus mandata ejus omni contentione. Diligamus formidabile et omni honore dignissimum nomen ejus, et proximum sicut nos ipsos, ut audire promereamur benedictam illam vocem : « Venite benedicti Patris mei : possidete paratum » vobis regnum a constitutione mundi [1]. » Benedictus Deus, qui nos sua implet benedictione : quoniam in omnia sæcula misericordia ejus. Amen.

PARÆNESIS XLIV.

Ad fratrem quemdam sermo in illud : Melius est nubere, quam uri.

I. Apostolum audi dicentem : « Volo omnes homines » esse sicut et me ipsum : sed unusquisque proprium donum » habet ex Deo; alius quidem sic, alius vero sic [2]. » Perspicuum scilicet hinc, inter sæculares, illosque qui sæculo renuntiarunt, eum fecisse discrimen, cum diceret : « Unus- » quisque proprium donum habet ex Deo; alius quidem sic, » alius vero sic. » Etenim neque sæculares vetat legitime matrimonium contrahere, neque eos, qui se sæculo abdicarunt, a continentiæ lege liberat, dicens : « Unusquisque » proprium donum habet ex Deo; alius quidem sic, alius » vero sic. » Sæcularibus siquidem concedit, dicens : « Prop-

[1] Matth. xxv, 34. — [2] 1 Cor. vii, 7.

» ter fornicationem autem unusquisque suam uxorem ha-» beat [1]. » Et rursus : « Honorabile connubium in omnibus : » fornicatores autem et adulteros judicabit Deus [2]. » Iis autem, qui sæculo renuntiarunt, præcepit continentiam, dicens : « Omnis autem, qui in agone contendit, ab omni-» bus se abstinet [3]. » Duo igitur hisce verbis ostenduntur ordines, uti supra dictum est. Quare tu, monache, nosce atque considera, in utro sis ordine constitutus : tum quo signo, quave nota sis insignitus; quæque pacta cum Deo feceris constitueris que : quoniam secundum illa abs te rationem reposcet, quemadmodum ait Salvator : « Ex ore tuo » judicabo te [4]. » Sæcularibus igitur, sicut ante diximus, permisit legitime matrimonio conjungi; at qui sæculo se abdicarunt, hos continere se voluit. Quandoquidem si quosvis verba illa concernerent : « Melius est nubere, quam uri [5] : » nemo hanc ipsam virtutem unquam excoluisset : non Elias Thesbites, non Elisæus, non Joannes, non quicumque se castraverunt propter regnum cœlorum, castamque suam carnem servarunt Deo; sed neque ipse continens fuisset Apostolus, nisi respexisset in retributionem mercedis.

II. Ne igitur dixerimus, sicut nonnulli prætexunt, dicentes : « At illi justi fuerunt, ego vero peccator sum. » Justi siquidem illi evaserunt, quod juste sancteque suam hanc præsentem transegerint vitam. Quid igitur dicemus? An-ne quod justi illi corporis expertes fuerint? Nonne et illi corpore circumamicti erant? Apostolum audi dicentem : « In » carne ambulantes, non secundum carnem militamus : arma » enim militiæ nostræ, non carnalia, sed potentia Deo, ad des-» tructionem munitionum [6]. » Clarum itaque, quod et ipsi oppugnati sint, tanquam carnem circumferentes, verum res-

[1] 1 Cor. VII, 2. — [2] Hebr. XIII, 4. — [3] 1 Cor. IX, 25. — [4] Luc. XIX, 22. — [5] 1 Cor. VII, 9. — [6] 2 Cor. X, 3, 4.

literunt strenue. Unde rursus Apostolus ait : « Castigo » corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte cum aliis » prædicaverim, ipse reprobus efficiar [1]. » Manuducens autem nos ad virtutem : « Imitatores, inquit, mei estote, sicut » et ego Christi [2]. » Quare attendamus, dilectissimi fratres, ne quando concupiscentiam nostram implere volumus, in apostolicum effatum culpam rejiciamus, sermonis istius vim non intelligentes. Quoniam scriptum est : « Animæ » dolosæ errant in peccatis [3]. » Et rursus : « Peccantem vi» rum involvet laqueus : justus autem in gaudio et exulta» tione erit [4]. » Quid vero audis, « Melius est nubere quam » uri [5]; » et non audis quod adjungit, dicens : « Tempus » breve est : reliquum est, ut et qui habent uxores, sint » tanquam non habentes : et qui flent, tanquam non flentes : » et qui gaudent, tanquam non gaudentes : et qui emunt, » tanquam non possidentes : et qui utuntur hoc mundo, tan» quam non utantur : præterit enim figura mundi hujus [6]. » Quapropter cave, monache, spreveris illum, qui hanc tibi impertitus est gratiam, oscitanterve audias eum, te per Apostolum compellantem : « Noli negligere gratiam, quæ » in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum imposi» tione manuum presbyterii [7]. » ne te forte prævaricatorem constituas, rursus ædificans quæ destruxisti [8] : sed « Redde » Domino vota tua [9], » quoniam scriptum est : « Melius erat » te non vovere, quam cum voveris, non reddere [10]. » Contende igitur et elabora, ut cursum tuum legitime perficias, ut libere dicere possis cum Apostolo : « Bonum certamen » certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo » reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Do-

[1] I Cor. IX, 27. — [2] Id. IV, 16, et XI, 1. — [3] Prov. XIII, 13. — [4] Id. XXIX, 6. — [5] I Cor. VII, 9. — [6] Ibid. 29-31. — [7] I Tim. IV, 14. — [8] Galat. II, 18. — [9] Psal. XLIX, 14. — [10] Eccl. V, 4.

» minus in illa die justus Judex : non solum autem mihi, sed » et omnibus, qui diligunt revelationem ejus [1]. » Amen.

PARÆNESIS XLV.

De timore Dei.

I. Attende tibi ipsi, charissime, ne forte in negligentia atque distractione perdas tempus tuum. Attendamus his, quæ dicuntur per Dominum. Vineam plantasti tibi ; circumda illi maceriam [2]. Amœnum hortum comparasti tibi : fructus ejus serva, ut læteris in novissimis tuis : et non dimittas porcos tuos in labores tuos, ne devastent eos. Quid enim prodest, fratres, si hodie vitam quietam in cella degamus : cras autem in civitate, ac vicis moremur, ea agentes quæ non placent Deo? Quid prodest, fratres, si uno die ædificemus, duobus autem destruamus? Sic enim operantibus nobis, quomodo perfici poterit opus? Quid nobis et sæculo? Quid nobis et negotiationibus hujus vitæ, qui mortui sumus mundo? At de alimentis fit sermo? Manus ad carnis ministerium sufficiunt, maxime adjuvante nos Domino. « Nemo enim militans, ut ait Apostolus, implicat » se negotiis sæcularibus, ut ei placeat, qui ipsum ad mili- » tiam elegit [3]. » Ac rursus : « Nocte et die operantes, ne » quem vestrum graveremus [4]. » Quid nobis cum vicorum viis, o monache? Si enim dum in nostra residemus atque quiescimus cella, vitiorum cogitationibus rerumque adumbrationibus obsistere nequimus; quomodo non magis faciliusque capiemur, si in alienigenarum manubias nos ipsos

[1] 2 Tim. IV, 7, 8. — [2] Matth. XXVIII, et Marc. XI. — [3] 2 Tim. II, 4. — [4] 1 Thess. II, 9, et 2 Thess. III, 8.

conjecerimus? At frequenter vis dicere, ex præfectorum commissione te necessario vicos adire. Quod si eorum permissu et propter obedientiam id agas, extra culpam es, dummodo quod tibi mandatum est, cum timore Dei egeris. At sunt nonnulli, qui prætextu obedientiæ, propriam quoque perficere concupiscentiam quærunt secundum hominem veterem. Vide igitur ut prudens, ne pro auro et argento, testam ac lutum inferas: et pro obedientia inobedientiam opereris. Quid enim profecerunt, qui cum Jesu filio Nave, et Chaleb profecti sunt ad explorandam terram [1]? Quippe qui prætextu obedientiæ, inobedientiam exercuerunt veritatem deserentes, et a Domino recedentes, atque ab ipso corda filiorum Israël avertentes. Quocirca si quando in ministerium mittaris, cum timore Dei cuncta gerito, tanquam Deo præsente et jugiter opera tua spectante. Si enim missus, vadis ministraturus sanctis, ipsoque ministerio spreto contraria agas, ac Deo contempto delicias quæras, concupiscentiamque expleas; nequaquam obedientiæ opus implevisti, sed inobedientiæ crimen commisisti. Scire autem te volo, quod quemadmodum hi, qui te in monasterio quiete ac tranquille viventem et Domino Christo servientem vident, in te Deum glorificant: ita qui te in civitate aut castello facientem quæ displicent Deo, aspexerint, in te scandalizabuntur. Atqui obsecro, quæ tibi merces manet, si conscientiam proximi vulneres?

II. Quod si consilio acquiescas meo, ut Dominum timeas, et quietam vitam ducas, in te glorificabitur Dominus, eritque tibi ad omnem virtutem capessendam robur. Cæterum suggerit tibi crebro inimicus, dicens: «Interea dum juvenis es, tuis fruere concupiscentiis.» Quot enim putas in sæculo deliciis deditos, et tamen cœlesti regno non privatos? Tu ergo dum junior adhuc es, comede, bibe, sæculi volupta-

[1] Num. XIII.

tibus fruere : quando autem ad senium perveneris, tum demum pœnitentiam agas. Quid enim ab ejusmodi ætatis flore corpus tuum affligere quæris? Vide ne forte in ægritudinem incidas. Dic ergo tu illi, talia tibi suggerenti : « Quod si in juventute deprehensus fuero, et ad senectutem non pervenero, quidnam ante tribunal Christi respondebo? » Videmus enim juvenes quamplurimos in ætate juvenili morientes, senes vero longævos : sunt enim impervestigabilia opera Domini [1]. Et quomodo tu me decipere tentas, admonens, ut senectutis tempore pœnitentiam agam? Dicere-ne tunc mihi licebit ad Judicem : « Junior deprehensus ex hac vita excessi : quare dimitte me modo, ut pœnitentiam agam? » Nonne plane tunc quoque ipse mihi respondebit : « Per tot jam annos dimisi te, sæpiusque peccantem in me patienter tuli, neque confestim te occidi, concedens tempora, momenta, et loca, quibus pœnitentiæ semina jactare posses : at tu tempus, quod tibi ad pœnitentiam permisi, in peccatis consumpsisti ac voluptatibus. Certo igitur noveris, frater, quod si timorem Dei spreveris, et peccatis te ipsum dederis, condemnaberis. Nam qui deliciis ac voluptatibus sua membra tradidit, non in futuro duntaxat sæculo, dolore afficietur : verumetiam in præsenti, nisi cito pœnitentiam egerit. Similis enim vili atque abjecto erit panno, quo ubi omnes abusi fuerint, ad extremum abjiciunt illum atque proculcant. Cæterum si tu ab hisce te omnibus exemeris, et Christo placere volueris, servans corporis tui castitatem in charitate Dei, quæ virtutum omnium columna est; similis eris purpuræ regiæ, et fulgebis instar luminaris magni in medio fratrum, insurgentesque in te avertet atque prosternet Dominus. Nam timor Dei, quem amasti, loco muri erit tibi, inveniesque gratiam coram Deo et hominibus. Advigila igitur, et attende tibi ipsi, hoc sciens, quod non

[1] Rom. XI, 33.

ignorat inimicus etiam intra claustra atque repagula captare animas torpori et negligentiæ deditas.

III. Sed dicet fortasse insipientium aliquis : « Non sum idoneus ad resistendum cuiquam, verum statim perturbatione abducor, et in pravam affectionem trahor. » Ne in eo glorieris ; non enim est ista religio, sed ignavia atque dementia, cum dicat Sapientia : « Ne acceptor sis personæ » contra animam tuam, neque confundaris in casu tuo [1]. » Numquid, si furem senseris effringentem domus tuæ parietem, jacere te sustinebis, et domum ab eo spoliari ? Nonne surgens, latronem persequeris? Et quomodo non est tibi curæ, castitas corporis tui, sed Dei prodis templum, illudque corruptelæ exponis? Cernimus quippe, quanto eos dignetur honore Dominus, qui a diebus juventutis suæ usque ad senectutem serviunt sibi. Ait enim ad Jeremiam prophetam : « Memoratus sum misericordiæ juventis tuæ, » et charitatis perfectionis tuæ, ut sequereris post sanctum » Israël [2]. » Illum porro, qui a juventute usque ad senectutem cogitationem sequitur erroris, ita reprehendit Propheta dicens : « Inveterate dierum malorum, nunc venerunt » peccata tua, quæ fecisti prius [3]. » Ideoque beatificat eos Spiritus sanctus, qui jugum Christi super se tulerunt a juventute sua, dicens : « Bonum est viro, cum portaverit » jugum ab adolescentia sua [4]. » Evigilemus igitur, charissimi, ne forte summa Dei longanimitas nobis in judicium sit, dum agere pœnitentiam nolumus, sed singulis diebus peccata peccatis accumulamus.

IV. Quis, putas, diem judicii mente revolvit, et non perhorrescit? Perpendamus quæ dicuntur, dilectissimi. Cum venerit æstas, et calores incaluerint, dicere solemus : « Duo alii supersunt menses, et æstas cessabit. » Quid age-

[1] Eccli. IV, 26, 27. — [2] Jer. II, 2. — [3] Dan. XIII, 52. — [4] Thren. III, 27.

mus, charissimi, si æterno ignis supplicio damnemur? Et dum rursus hyems obvenerit, dicimus : « Alii duo tres restant menses, et magna vis frigoris se remittet. » Quid agemus, fratres, si in inferioribus partibus terræ post mortem damnati fuerimus? Quod si quis etiam in adversam inciderit valetudinem, et nocturno somno privatus fuerit, continenter et assidue oculos in fenestras domus defigit, lucem videre desiderans : nos autem quid faciemus, fratres, si in exterioribus condemnemur tenebris, ubi fletus est et stridor dentium [1] : ubi nulla spes est aspiciendæ unquam lucis in sempiterna sæcula? Similiter autem et qui in exilium ejectus est, dies et noctes et annos enumerat, præfiniti temporis finem expectans : at qui in futuro sæculo condemnatus fuerit, neque dies numerare poterit, neque noctes, neque menses, neque temporum momenta. Sunt enim sine termino et sine fine sæcula, in quibus, qui nunc lugent ac plorant, tunc consolabuntur; qui vero nunc negligentes vanisque sæculi rebus distracti sunt, tunc condemnabuntur. Nam « Quæ in deliciis est vidua, inquit » Apostolus, vivens mortua est [2]. » Et rursus Salvator : « Væ » qui ridetis nunc; quoniam lugebitis [3]. » Evigilemus ergo ab hac vita, charissimi. Lugeamus modo, ut consolemur. Vitam quietam atque tranquillam cum humilitate in cellis nostris degamus : ut respiciat humilitatem nostram et laborem Dominus, remittatque nobis cuncta peccata nostra. Scriptum est enim : « Quia in humilitate nostra memor fuit » nostri Dominus [4]. » Et iterum : « Quemadmodum pater » miseretur filiorum, misertus est Dominus timentium se [5]. » Det porro nobis Dominus irreprehensibilem peragere vitam. Quoniam ipsi gloria in sæcula. Amen.

[1] Matth. XXII, et Luc. XIII. — [2] I Tim. V, 6. — [3] Luc. VI, 25. — [4] Psal. CXXXV, 23. — [5] Id. CII, 13.

PARÆNESIS XLVI.

De charitate.

Si tibi, charissime, donum scientiæ et discretionis, sive curationum concessum sit, vide ne forte his confisus muneribus, permaneas infructuosus : ut non dicas : « Miserere : » et responsum audias cum his, qui a sinistris erunt, quando justos Rex a peccatoribus separabit : « Non novi » vos [1]. » Scriptum quippe est : « Non omnis, qui dicit mihi, » Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum : sed qui » facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est. Multi enim » dicent mihi in illa die : Domine, Domine, nonne in no» mine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejeci» mus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc » confitebor illis, quia nunquam novi vos. Discedite a me, » qui operamini iniquitatem [2]. » Cur ita? Quia charitatem non servaverunt. Nam scriptum est. « Qui fratrem suum, » quem vidit, non diligit ; Deum, quem non novit, quomodo » potest diligere [3]? » Et rursus scriptum est : « Servus ille, » qui novit voluntatem Domini sui, et non fecit, vapulabit » multis : qui autem non cognovit, et fecit digna plagis, vapu» labit paucis [4]. » Aitque Apostolus : « Et adhuc excellentio» rem vobis viam demonstro [5]. Si linguis hominum loquar et » Angelorum, charitatem autem non habeam ; factus sum » velut æs sonans, et cymbalum tinniens : et si habuero » prophetiam, et noverim mysteria omnia, et omnem scien» tiam : et si habuero omnem fidem, ita ut montes transfe» ram ; charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si

[1] Matth. xxv, 12.— [2] Id. vii, 21-23. — [3] 1 Joan. iv, 20.— [4] Luc. xii, 47, 48. — [5] 1 Cor, xii, 31.

» impendam in cibos pauperum omnes facultates meas : et » si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem au- » tem non habuero, nihil mihi prodest. Charitas patiens » est, benigna est ; charitas non æmulatur, non agit perpe- » ram, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua » sunt, non irritatur, non cogitat malum : non gaudet super » iniquitate, congaudet autem veritati : omnia suffert, omnia » credit, omnia sperat, omnia sustinet. Charitas nunquam » excidit [1]. » Ecce audisti, charissime, vim charitatis. Hanc tibi in cunctis operibus tuis vindica, ut quantum duce gratia fieri potest, laudem a Deo referas. Obtestor autem vos, fratres charissimi, ut mei servi inutilis in precibus vestris memineritis : ne sermones mei sint contra me in adventu Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi. « Nihil mihi conscius » sum [2] ; » at judicii successus terribilis, et flammæ zelus, qui adversarios consumpturus est, horrorem mihi incutiunt. Cæterum Dominus per suam misericordiam, mihi quoque quamvis indigno introitum vobiscum, et cum aliis electis suis in suum regnum concedat : diffundatque Dominus charitatem suam in cordibus nostris. Quia ipsi gloria in sæculorum sæcula. Amen.

PARÆNESIS XLVII.

Ad Eulogium,

I. Ad fructum obedientiæ respiciens, frater, tibi de quibus mihi imperaveras, perscribere studui. Principium optimum est, timere Dominum. Senectus vero honorabilis, in anima Christo devota. Qui sibi ipsi attendit, in omni

[1] 1 Cor. XIII, 1-8. — [2] Id. IV, 4.

loco salutem consequi poterit. Qui conversationibus gaudet mundanis, sæculum nondum se odisse ostendit. Nam sicut qui ignem excitat, flammam suscitat : ita et mundana colloquia, passiones atque affectiones pravas in corde monachi commovent. Utinam, frater, adventantes colloquendi causa, nihil tibi nocerent. Qui mulierum familiaritatem amat, adversus se ipsum fornicationis dæmonem excitat. Cum bonam de te famam acceperint parentes tui, plus quam vino et epulis lætabuntur. Qui delectatur ebrietate, multis damnis afficietur. Dicit enim et agit quæ non decent, deprædaturque proprias divitias, et velut alienas distribuit etiam inimicis; nam ebrietas mentem atque intellectum ipsius excæcavit. Modestum ac gravem te gere, frater : modestia enim et gravitas, pacificum ac tranquillum vitæ statum parit; porro tranquillus vitæ status, vitam perturbationibus liberam efficit. Sit tua modestia cum humilitate conjuncta, ut verus monachus reddaris, et charitatem atque temperantiam possideas. Multiloquium, frater, mentem obtenebrat : mens autem tenebris obducta ad impudentiam trahit; impudentia vero fornicationis est mater. Qui silentio gaudet, absque perturbationibus vivit : quinetiam ne proximum quidem irritat. Risus porro, et fiducia, instar veneni, novitio obest, ac monacho quoque est inutilis : nam illos, qui nunc lugent ac plorant, beatos prædicavit Dominus [1]. Jactura est monacho, auditus. In mensa maxime tacendum. Ama silentium, charissime, ut tecum gravitas, atque modestia maneat. Conserva modestiam et gravitatem, ut te a fornicatione custodiat. Qui contradicit, et immorigerus suo est præfecto, non tardabit prolabi in mala : at qui morem superiori gerit, cum justis gaudebit. Qui in propriis gloriatur viribus, ipse a se divinum auxilium repellit : « Qui vero gloriatur, in Domino glorietur [2]. » Qui dis-

[1] Matth. v. — [2] 2 Cor. x, 17, et 1 Cor. 1, 31.

tractiones amat, et quietem odit, sæpe multumque tribulabitur : at qui in humilitate quietem sectatur, in Domino lætabitur. Qui patienter in synaxe consistere recusat, haud leve damnum subibit : at qui cum modestia et patientia persliterit, exaudietur. Qui tempore synaxis, verbis intentus est otiosis, in duplicem reprehensionem incurret : propterea quod a precatione atque psalmodia eum retrahit quo cum loquitur; tum etiam quod damnum iis conciliat, qui proxime astant. Qui exercitationem diligit, robustior evadet : qui vero ebrietatem amat, in nullo sibi temperabit. Cui operari molestum est, in otium incidet : multa autem mala otium docuit : at cui operari jucundum est, sine molestia erit. Qui in splendido parentum gloriatur amictu, probatus non erit; non enim in acie belli proderant ipsi. Honora, frater, parvos et magnos, ut te exaltet Dominus; « Qui » enim se ipsum humiliat, exaltabitur [1]. » Humilia caput superiori tuo, et præfectis fraternitatis in Domino subjectus esto. Fructus enim timoris Domini est humilitas. Humilitas porro non solum in submissione erga majores exhibetur : sed etiam in attribuendo honore erga minores atque inferiores. Scriptum quippe est : « Verum quicumque honori» ficaverint me, glorificabo eos : qui autem contemnit me, » ignominia afficietur [2]. » Nos ergo glorificemus Deum, ut et ipse nos glorificet cum omnibus sanctis suis. At in quo glorificabimus ipsum? In observatione mandatorum ejus. Nam scriptum est : « Non in sermone est regnum Dei, sed » in virtute [3]. » Et rursus : « Non omnis qui dicit mihi, Do» mine, Domine, intrabit in regnum cœlorum : sed qui fa» cit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est [4].

II. Ante omnia, frater, Deum in veritate time, et timor ejus illuminabit oculos mentis tuæ. Dilige autem humilita-

[1] Matth. XXIII, 12, et Luc. XIV, 11, et XVIII, 14. — [2] 1 Reg. II. — [3] 1 Cor. IV, 20. — [4] Matth. VII, 21.

tem : nam quæ secundum Deum est humilitas, murus firmus et inexpugnabilis est a facie inimici, ac petra ex opposito percutiens atque confringens machinas, et tela nequissimi ignita. Si tecum mente constitueris, quasvis contumelias, damna, atque contemptiones propter Dominum sufferre; eris tanquam generosus ac strenuus bellator, contra adversarios semper armatus : tuncque inimici viso tanto tuo studio, concident a facie tua. Si velis currere, et nihil fatigari, quæ, obsecro, utilitas? Castitatem corporis tui custodi. Charitas mater virtutum est : castitas autem lucerna ac firmamentum : lumen porro istorum, quies atque tranquillitas : murus vero eorum, timor Domini. Servemus, fratres, castitatem corporis nostri in charitate Dei, ut cum sanctis Angelis suis nos Dominus connumeret. Nam his, qui castitatem diligunt, delectatur Spiritus sanctus, et patientiam ipsis donat. Quare perfecte exercetur castitas per temperantiam, mansuetudinem, et tranquillitatem, quæ est cum charitate conjuncta. Quocirca subtrahere nos debemus ab omni fratre ambulante inordinate [1] : ne forte suspicionem demus his, qui nos vident. Ait enim Apostolus : « Providentes bona coram Deo et hominibus [2]. Si » quis autem contentiosus est, nos talem consuetudinem » non habemus, neque Ecclesiæ Dei [4]. » Rursusque eum dicentem audi : « Tu quidem recte gratias agis sed alius » non ædificatur [4]. Ut quid enim, inquit, libertas mea ju» dicatur ab aliena conscientia [5]? » Quamobrem necessarium est adhortationes hominum timentium Dominum suscipere, et non sibi ipsis placere, secundum eum, qui dicit : « Unusquisque vestrum proximo suo placeat ad ædi» ficationem [6]. » Et iterum : « Ut is, qui ex adverso est, ve» reatur, nihil habens malum dicere [7]. » Ait enim Dominus

[1] 2 Thess. III, 6. — [2] Rom. XII, 17. — [3] 1 Cor. XI, 16. — [4] Id. XIV, 17. — [5] Id. X, 29. — [6] Rom. XV, 2. — [7] Tit. II, 8.

gloriæ : « Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, » qui in cœlis est [1]. » Cavendum est, ne occasione communicationis, sanctificationem perdamus : usitatum quippe inimico est, per bonum operari malum. Nam qui peccat, et sibi occultare videtur, decipitur : « Nihil enim occultum, quod non revelabitur [2]. » Si tibi inimicus concupiscentiam carnalem suggesserit, responde ipsi : « Absit a me, ut amplius contristem Spiritum sanctum Dei, in quo signatus sum in diem redemptionis [3] : » sufficit enim tempus præteritum. Nam scriptum est : « Omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est : qui autem fornicatur, in corpus suum peccat [4]. »

III. De pugna autem mentis ac cogitationis, ex parte didici. Nam frater ab alio interrogatus fratre, dicente : « Cogitationes sordidæ conturbant me, » respondit : « Sancti senes quibusdam permittebant, ut intus sinerent cogitationes ingredi, et tunc bellum cum iis gererent. Imbecillioribus autem, ne ullo quidem modo cum iis agerent, interdicebant ; ne forte dum mens atque memoria iis immoratur, morbus incurabilior reddatur. » Tunc frater : « Ecquid est, inquit, permittere cogitationes intus ingredi, et tunc bellum cum iis gerere? » Cui ille : « Audi, inquit ; quando inimicus cogitationem alicui turpem, considerationesque impuras adduxerit, mox formosi aspectus mulierem menti ejus objicit, aut quid similium ad corruptionem pellicientium. Quæ dum cernit coram se constituta qui mente pugnat, non turbatur cogitationibus ejusmodi, sed fortiter se opponit, easque vehementer impugnat. Deinde aperit ipsis, et occludit eas. Et ubi jam ipsæ intus fuerint, simul cum materia, per quam pugnabant, dicit ad eas : « Hæc est, quæ

[1] Matth. v, 16. — [2] Id. x, 26. — [3] Luc. viii, 17, et xii, 2. — [4] Ephes. iv, 30. — [5] 1 Cor. vi, 18.

vobiscum consistit, cujus causa me turbatis ac molestatis quotidie, mentemque meam phantasmate informatis. Cupio igitur perfecte nosse, quis ipsius sit usus? » Imperatque ensem sibi deferri cogitatione ac mente : quo accepto, aperit eam in ventre, imaginatione mentis, et dicit : « Volo cognoscere quid tandem in ipsa reperiam ; pulchritudinemne, an putredinem? » Apertoque ventre ejus, invenit intus quæ omnes novimus : manifestatur enim ex parte turpitudo concupiscentiæ. Quare adversariæ cogitationes cernentes cladem sibi illatam, tumultuari incipiunt, volentes fratris cogitationem diripere atque reprobare, ut mente ab aliis cogitationibus turbata, destruant præsens certamen ; metuentes ne forte prorsus ipsarum appareat turpitudo atque confusio. Qui autem ex adverso cum iis pugnabat, ait : « Cur alia pro aliis adducere vultis? Non enim vos egredi sinam, donec accurate quidquid est in hac re, penitus indagavero, et utrum revera sit amore dignum, quod vos laudatis. » Tunc frater ad tres vel quatuor usque dies in interiore cubiculo cadaver recludit ; ac postea aperit, cupiens cadaver videre. Et prius quam ipse intus ingrediatur, occurrit ei intolerabilis ille fœtor ; manuque os sibi cum naribus obstruens, nutu demonstrat adversariis cogitationibus, ac sociis cooperatricibus peccati, finem rei. Deinde ait ad ipsas : « Quid respondetis ad ista? » Illæ autem rubore suffusæ, instar fumi dissolvebantur per aëra. Sicque frater morbidas pertubationes divina cooperante gratia superavit : unde etiam confitens Domino dicebat : « Gratias ago tibi Domine Deus meus, quod non tradidisti me in manus inimicorum meorum : sed salvasti me de laqueo venantium ; et gratia tua, Domine, illuminavit mentem meam ad intelligendum ista : non enim per meam sapientiam ab earum liberatus sum laqueo. »

IV. Semper ergo, fratres, timorem Dei ante oculos ha-

beamus, ut ipse nos protegat : nam absque Dei protectione, homo nihil est. Magna quippe inimicorum nostrorum est fraudulentia atque malignitas : sed divinum auxilium circumdans hominem, longe præstat ac superat : verum oculis nostris illud cernere non permittitur. Diligamus ergo totis viribus Deum auxiliantem nobis et salvantem nos ; et proximum, sicut nos ipsos. Perpende mente diem obitus tui, frater charissime, quando obrigescens in tua jacebis storea. Heu mihi ! heu mihi ! qualis animam meam detinebit timor ac tremor in hora illa, frater charissime ! Si quid igitur boni fecerit in vita ista, dum in ea instar advenæ et peregrini habitat ; si tribulationes et opprobria propter Dominum sustinuerit, ac beneplacita coram ipso fecerit, magno cum gaudio in cœlos sustolletur, a sanctis Angelis deducta. Quemadmodum enim operator laborum, ac per totum laborans diem, expectat duodecimam horam, ut post laborem accepta sua mercede respiret : sic et justorum animæ illam præstolantur diem ; peccatorum autem, timore atque tremore in illa die, ac hora corripientur. Et sicut reus quispiam a ministris comprehensus, et ab ipsis ad judicii locum deductus : ita quoque in illa contremiscent hora injustorum animæ in sempiterna tormenta æternæ caliginis respicientes. Quod si quis dixerit : « Permitte me in illum proficisci mundum, ut deinceps pœnitentiam agam : » non erit qui dimittat. Audiet enim talis : « Quando suppetebat tempus, non egisti pœnitentiam, et nunc vis ire ad agendam pœnitentiam ? quando jam stadium omnibus est apertum, non decertasti, et modo decertare cupis, quando cunctæ fores clausæ sunt, tempusque certaminis præteriit ? Nonne dicentem audisti : « Vigilate, quia nesci- » tis diem, neque horam [1]. » Ista autem prænoscens, frater charissime, dum tempus habemus, pœnitentiam agamus,

[1] Matth. XXIV, 42, et XXV, 13.

ut eruat nos Deus ab ira super filios diffidentiæ ventura, nosque in partem Sanctorum ascribere dignetur. Ora etiam pro me peccatore, dicente et non faciente. Nam scriptum est : « Confitemini alterutrum peccata vestra, et orate pro » invicem, ut sanemini [1] » in nomine Domini nostri Jesu Christi, cui gloria in sæcula. Amen.

PARÆNESIS XLVIII.

Ad monachum acediæ deditum, qui dicebat : « Monachatum dimitto, et ad sæculum revertor. »

I. Dixit Dominus gloriæ : « Intrate per angustam portam, » quoniam lata et spatiosa est via, quæ ducit ad perditio- » nem, et multi sunt, qui inveniunt eam [2]. » Quid sibi vult angusta et arcta via, quæ ducit in vitam æternam ; et pauci sunt, qui inveniunt eam? Et quis est, qui invenit ipsam, annuntiatque nobis viam ipsius ? Sancti omnes : per quam vas electionis Paulus cucurrit, et consummans cursum, coronam reportavit : ideoque viam ejus annuntiat nobis, dicens : « In omnibus exhibentes nosmetipsos sicut Dei ministri, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, » in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scien- » tia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu sancto, in » verbo veritatis, in virtute Dei, per arma justitiæ a dex- » tris et a sinistris, per gloriam et ignobilitatem, per in- » famiam et bonam famam : ut seductores et veraces ; sicut » qui ignoti, et cogniti : quasi morientes, et ecce vivimus : » ut castigati, et non mortificati : quasi tristes, semper au-

[1] Jacob. v, 16. — [2] Matth. vii, 13, et Luc. xiii, 24.

» tem gaudentes : sicut egentes, multos autem locupletantes :
» tanquam nihil habentes, et omnia possidentes [1]. Et spes
» nostra firma est pro vobis : scientes, quod sicut socii
» passionum estis, sic eritis et consolationis [2]. Quare et
nos, fratres, debitores sumus ut eamdem teneamus viam usque ad finem, in quam etiam militavimus. Vitam quietam in solitudine agis? Recordare eorum, qui in carceribus conclusi detinentur; qui non solum ibi inclusi sunt, sed etiam ferro circumdatum est ipsis collum : alii vero etiam in compedes conjecti sunt. Eremiticam vitam degis? Cogita pastores ovium, qualia in solitudinibus et montibus pericula subeant : et hyeme quidem frigore obrigescunt; æstate vero solis radiis exardescunt. In cœnobio vivis? Cogita id quod scriptum est : « Multitudinis autem credentium
» erat cor unum et anima una [3]. » Nec quisquam eorum, qui possidebat aliquid, suum esse dicebat; sed erant illis omnia communia. Funiculos efficis? In mente habeto illos, qui per mare navigant : nam hi cum mari pugnantes, eamdem artem tractant. Sportulas exiguas operaris, quæ dicuntur malacia? Cogita brencarios. Pulchre et eleganter scribis? Ædium fabricatores et operis tessellati atque exquisiti effectores cogita : verumtamen divinos sermones in fide et veritate conscriptos ne depravaveris. Quid enim eo majus peccatum est; reddere id, quod est dulce, amarum et quod amarum, dulce; lucem tenebras, et tenebras lucem, in subversionem legentium? Væ facienti ista : nam animarum scandala ponit. Punctis distributum opus efficis? Cogita eos, qui marmora secant. Chartam coccineam operaris? Coriarios cogita. Thecas ac peras operaris? Canabarios cogita. Canistra operaris? Cogita sæculares eamdem artem tractantes. Scolacim aut antennam facis? Scrinifices et vascularios cogita. Linum operaris? Linifices cogita. Ves-

[1] 2 Cor. VI, 4-10. — [2] Id. I, 7. — [3] Act. IV, 32.

tes lineas facis? Sericarios cogita. In pistrino te constituerunt? Lictores atque tortores cogita. In hortum te redegerunt? Fullones cogita, qui hyemem atque æstatem peragunt, in aquis suum opus facientes. In culina te posuerunt? Tinctores, fabrosve ærarios cogita, qui quidem die noctuque laborant, cum igne pugnantes et alienæ potestati subjecti, turbatique, sustinent; et a principibus frequenter coacti, suum opus non negligunt. Janitorem te statuerunt? Servos terrenorum principum cogita. Ministrum, sive œconomum, vel præfectum aliorum te constituerunt? Dicentem cogita : « Seniores ergo, qui in » vobis sunt, obsecro tanquam consenior, et testis Christi » passionum; pascite qui in vobis est, gregem Dei; provi- » dentes non coacte, sed spontanee secundum Deum; » neque turpis lucri gratia, sed voluntarie; neque ut domi- » nantes in clero, sed forma facti gregis. Et cum appa- » ruerit Princeps pastorum Christus, percipietis immarces- » cibilem coronam [1]. » Et ne cuncta singillatim recensentes, in longum protrahere videamur sermonem : omne quod operatus fueris, et tædii atque pigritiæ tibi spiritum inimicus in opere intulerit; ad simile aliquod opificium referas animum, ut contradicas adversario. Quodcumque vero feceris, sive in opere, sive in sermone, testem tibi propriam adhibe conscientiam, illud nimirum secundum Deum esse, quod efficitur et salvaberis.

II. Dic autem et ipse mihi, obsecro : quod si abnegaveris gratiam ejus, qui te in æternum suum vocavit regnum et gloriam, et ad sæculum redieris; quid facturus eris, ut putat cogitatio tua? Aut potius, quid tibi suggerit hostis animarum nostrarum? Nempe si datam tibi gratiam rejeceris, te esse regnaturum? Et si vero regnaveris, nonne et mors te excipiet? Si porro etiam facultates multas possederis, divitias-

[1] 1 Petr, v, 1-4.

que in copia congregaveris, nonne aliis eas relinquens, nudus hinc abibis? Secundum dictum illud Apostoli : « Nihil » enim, inquit, intulimus in mundum; nec quid etiam » auferre poterimus [1]. Qui autem seminat in spiritu, de » spiritu metet vitam æternam [2]. » Secundum hominem loquor. Si abnegaveris gratiam Domini, non erit apud alios ea de te quæ fuit opinio, prius quam vitam monasticam institueres; sed apud propinquos, amicos, familiares, et consanguineos tanquam transgressor habereris. Quis enim te auspicari coëgit opus, quod implere nequires? Annon et lex istud dicit? Scriptum quippe habetur in lege : « Si » quis est vir formidolosus ac meticulosus corde, non egre- » diatur ad bellum : sed revertatur in domum suam : ne » pavere faciat cor fratris sui [3]. » Nunc igitur quod exorsus es, etiam perficito.

III. Quod si etiam in peccato aliquo præventus fueris, ne in eo permaneas: sed ad Dominum in veritate convertere: est enim in cœlo, qui peccata eorum, qui ad ipsum convertuntur, delet. Solum cogitationibus temerariis ne consenseris. Neque enim leones, neque dracones, neque barbari tantum nocere poterunt, quantum temeritas, morem ipsi gerentibus. Nam multi initio hanc propulsantes, sententiisque ejus communicare nolentes, etiam a barbaris in pretio sunt habiti; leonesque cum draconibus hos reveriti sunt. Flamma ignis non valuit capillos capitis eorum exurere : neque enim inventa in ipsis est materia malitiæ, sed bonitatis. Temeritas vero suos crudeliter cædit amatores : non enim est malitia, cujus non sit mater temeritas. Nam palam est avaritiam esse omnium malorum radicem, secundum illud Apostoli dictum : « Radix omnium malorum avaritia [4]. » In ipsa vero radix germinavit : nam ipsa malitiæ caudicibus

[1] 1 Tim. VI, 7. — [2] Galat. VI, 8. — [3] Deut. XX, 8. — [4] 1 Tim. VI, 10.

ac ramis nutrimentum incrementumque præbet. Quid ea in mundo sævius atque atrocius? Quippe quæ suos amatores hostibus tradit, et profugos reddit. « Fugit enim impius, » nemine persequente : justus autem tanquam leo confidit » in magna sua libertate atque fiducia [1]. » A temeritate porro qui detentus est, non barbarorum cruciabitur manibus; non in regione externa, verum intus gignitur, intus alitur, et a propriis contribulibus verberatur : nullusque pro eo, qui roget, invenitur : quamvis non occulte, sed aperte tormenta ipsi inferantur, non ob facinus egregium, sed propter temeritatem. Cuncti eos, qui labuntur per illam, condemnant; cuncti istos accusant : nullus est, qui succurrat, nullus qui liberet. Si temeritatem secutus fueris, in inferorum penuaria deducet te. Hæc etiam potentatus subvertit, et familias desolavit, reges concussit, et in ruinam tradidit. Recede ergo, recede ab ea, frater charissime, ne constringaris vinculis ejus : nam vincula ipsius sunt ferrea, et pedicæ ejus æneæ. Hæc suos amatores funditus evertit, et in hac vita ruinam iis infaustam parit, et post mortem exitium. Et quod ipsius est nomen, nisi temeritas? Odit veritatem, mendacium diligit, disciplinam non admittit, insolentia et contumacia gaudet, admonitiones aversatur ac rejicit, reprehensiones non suscipit, voluptates nutrit, Deum contemnit, homines non reveretur. Initium ejus, privatio divini timoris : finis vero ipsius, pernicies, et exitii hæreditas. Domine, Domine, qui oculos cæci a nativitate aperuisti [2], oculos quoque mentis nostræ resera, ne in laqueos ejus incidamus. Ne ergo divinam repellamus gratiam, charissime. An ignoras, quod gaudium in cœlo erit majus super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem, qui non erraverunt, et pœnitentia non indigent [3]?

[1] Prov. XXVIII, 1. — [2] Joan. IX. — [3] Luc. XV, 7 et 10.

IV. Quid porro est tribulatio hujus sæculi, pariter et gaudium in hoc mundo, charissime? Melius igitur est, tribulationes occurrentes ferre, quam deceptiones. Nam similis est gloria mundi hujus, atque fallacia ejus, flammæ ignis, quæ apposita ligna devoravit, et mox extincta est, talisque flamma in cinerem ac pulverem abiit. Qui vero tribulationes propter Dominum sustinet, similis est ei, qui domum suam super petram ædificat. Propterea, frater, resipisce, ad Dominum conversus, obsecro. Meminerimus inevitabilis tribunalis Dei, et judicii æterni, infirmæque naturæ nostræ. Quid culice minus ac vilius? Et hujus minas sufferre nequimus. Quid ergo adversus venenatum et non quiescentem vermem faciemus? Vespera porro facta, dicet quispiam : « Lucernam accende, quia tenebræ sunt. » At quid in tenebris illis caliginosis atque obscuris? Quod si quis a solaribus uritur radiis, ad umbram confugit. Quid contra inextinguibilem gehennam ignis præstabimus? Sumamus exemplum, charissimi, a rebus, quæ videntur, de judicio futuro in sæculo isto. Si malum quis egerit, et sciatur, et in custodiam a mundi hujus principe missus fuerit; in qua, putas, anxietate atque pudore erit in eo anima ipsius? Et licet sæpe a domesticis atque familiaribus ei obsequia præstentur, et a consanguineis curetur, et ab amicis consoletur, atque a sibi notis assidue visitetur, et hisce omnibus sic perfruatur, non tamen ab ipso dolor recedit. Denique post multa verba, sive per amicorum consolationem, circumcursationem, atque obsecrationem : sive etiam per pecuniarum donationem, forte spem concepit se suo aliquando tempore e custodia liberatum iri. At ibi, qui a propriis condemnatus est operibus, non habet consolatores : non circumcursat pater, non assidens consolatur mater : non ibi uxoris et amicorum condolentia, non annuntiatio bona, non fama atque auditio pacis, nec lux, nec sono-

rus avium concentus : non solstitiorum vicissitudo, temporumque permutationes, neque vocis musicorum ac gaudii : nam cuncta ista ab impiis sublata sunt ; pars autem eorum contraria, sicut scriptum est : « Pluet super peccatores la» queos ; ignis, et sulphur, et spiritus procellarum, pars ca» licis eorum. Quoniam justus Dominus, et justitias dilexit : » æquitatem vidit vultus ejus [1]. »

V. Deprecemur igitur Dominum ex tota anima, ut nos protegat. Nam in iis, qui salvantur, gaudet : quippe quibus præparavit « Quæ oculus non vidit, nec auris audivit, et in » cor hominis non ascenderunt [2]. Hæc mente revolve, et ad Dominum convertere. Noli esse instar securis in manu diaboli, quæ plantas excindit fructiferas : neque sicut ventus exæstuans, ac fructus bonos corrumpens. Non nosti, charissime, si vir quispiam in acie belli vulneratus, e castris ceciderit, eum timiditatis materiam suis commilitonibus præbiturum ? At tu quid dicatur intellige. Si quis autem se ipsum viriliter contra adversarios armaverit, etiam segniores atque ignaviores corde sua excitabit alacritate. Non recordaris, charissime, quali prius fueris compunctione præditus, quando solitariam vitam exorsus es ? Ubi igitur illa compunctio, lacrymarum plena ? Ubi cœleste desiderium, et non simulata modestia, morumque gravitas ? Ubi quæ ad cœlum sustollit humilitas ? Ubi silentium plenum intus orationibus ? Ubi oculorum custodia, quæ puras cogitationes parit ? Ubi charitas Deum flectens ? His porro spretis atque remotis, quidnam tibi comparasti ? iracundiam, excandescentiam, clamorem et blasphemiam, intemperantiam et impudentiam, et os effrenatum ? Hei mihi ! quomodo « Fructifera terra conversa est in salsuginem, a ma» litia habitantium in ea [3] ? » Hæccine sunt verba, quibus pactus es servire Deo, et expectare salutare ejus ? Istæ sunt

[1] Psal. x, 7, 8. — [2] 1 Cor. ii, 9. — [3] Id. cvi, 34.

orationes, quibus precatus es Deum in tribulationibus tuis? Caveto, charissime, ne forte qui molestia te afficit, studetque te a fraternitate abrumpere, ipse mortem tibi acerbam turpemque conciliet. Vera narro. Novi ego unum, atque alterum, ac tertium fratrem a vita monastica recessisse, et ad vitam sæcularem rediisse, qui non durarunt in vita, sed amara atque indecenti morte suam vitam finierunt. Quare iis ut resistas, te rogo, frater, concupiscentiamque reprimas : et non consentias illis, qui te captivare volunt. At sursum mentem, frater charissime, habeamus : sursum manus cum Moyse tendamus : et Dominus cæcitate ipsos pro nobis pugnabit. Ne ergo timeas a facie eorum : nam sæpe tibi suggerunt infirmitatem carnis inappetentiam stomachi, suspicionem superioris, timorem præfecti, prolixitatem temporis, ac priorem vivendi rationem, et carnalium parentum memoriam : cunctaque ista excitant, ut animam tuam obsideant et circumveniant. Non animo versas, quod si quis filium facinorosum habeat, eum leges in conspectu parentum puniant; et non sit, qui ipsum ex tortorum manibus eripere possit? Quanto ergo magis, putas, timore omnia plena erunt in judicio illo futuro? Ubi reges atque tyranni, divites et pauperes, gravi tremore detenti assistent.

VI. Descende ergo in te ipsum, frater charissime, et ne contemnas justum atque infallibilem judicem, neque inextinguibilem unquam flammam. Quod si parvipendas, vel hinc experire, an ignis asperitatem et tormentum sustinere possis; lucernam accende, et extremitatem saltem digiti impone : et si ferre queas dolores, fortasse poteris te ipsum etiam ibi juvare. Sin autem totum corpus tuum extra ignem sit, et exigui hujus membri dolores perferre nequeas, quid, obsecro, faciemus, quando totum corpus cum anima in gehennam ignis projicietur? Sed dicet fortasse insipien-

tium aliquis : « Ego quoque sustinere vellem, verum quid agam? infirmus enim sum, et negligens. Nam si me salvari vellet Deus, etiam patientiam mihi præberet. » Venite, videte, fratres, animam captam, non a barbaris et gladio, verum a temeritate atque malitia. Deum cupientem omnem hominem salvari, et ad veritatis agnitionem venire, accusas et culpas, qui propter nos peccatores etiam crucem sustinuit? Ipse invitat, et dicit : « Venite ad me omnes, qui » laboratis, et onerati estis; et ego reficiam vos. Tollite » jugum meum super vos, et discite a me, quoniam mitis » sum, et humilis corde : et invenietis requiem animabus » vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum » leve [1]. » Rursusque ait : « Petite, et dabitur vobis : pul- » sate, et aperietur vobis. Omnis enim, qui petit, accipit; » et qui quærit, invenit; et pulsanti aperietur [2]. » Quo igitur pacto dicis : « Si me Deus salvari vellet, patientiam mihi tribueret? » Cur sic te fallit inimicus, ut ejus acquiescas consiliis? Cur tantum tibi concupiscis damnum, ut exuta stola gloriæ, te ipsum ab Angelorum conversatione segreges, voluterisque in passionibus ignominiæ? Quorsum tibi hoc probrum, ut audias dici te apostatam? dicaturque de te : « Ecce qui Domini sui ac Dei gratiam aspernatur. » Cur hac te enecas morte, ut sciens volens projiciaris in tenebras exteriores, possidens fructum ignominiæ : alios vero fratres, qui expectant salutare Domini, videas coronari, et in gaudium Domini sui introduci? At quo fugere poteris? Aut quis te locus excipiet fugientem a conspectu Domini, quem repellere cupis? Propterea sustineamus, obsecro, ne forte in te veniat quod scriptum est : « Melius enim erat il- » lis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem, » retrorsum converti ab eo, quod traditum est illis sancto

[1] Matth. xi, 28-30. — [2] Id. vii, 7, 8. Marc. xi, 24, et Luc. xi, 9.

» mandato. Contigit enim eis illud veri proverbii : Canis » reversus ad suum vomitum, et sus lota in volutabro luti [1]. » Alicque in loco ait Scriptura : « Sed æstimaverunt lusum » esse vitam nostram, et conversationem vitæ compositam » ad lucrum [2]. »

VII. Cogitemus, frater charissime, nos peregrinos et advenas esse in hoc sæculo : nam multi, qui mane surrexerunt, non pervenerunt ad vesperam : alii autem, qui cubitum vesperi concesserunt, non pervenerunt ad tempus matutinum. Dicentem audi : « Homo vanitati similis factus » est, dies ejus sicut umbra prætereunt [3]. » Adhuc modicum præstolare, ac sustine, oro, frater dilectissime : nam « Qui » perseveraverit usque in finem, hic salvus erit [4]. » Nemo enim novit an fortasse tempus resolutionis nostræ immineat : et hanc ob causam nostræ insolescunt et abundant tentationes. Ne ergo pusillanimes simus, neque convertamur retrorsum : at potius retro actorum obliti, ad ea, quæ ante sunt, extendamur [5] : ut simul cum sponso ingrediamur, prius quam fores occludantur. Ait enim Salvator : « Vigilate et orate, quia nescitis diem, neque horam [6]. » Et rursus : « Sicut factum est in diebus Noë, ita erit et in » adventu Filii hominis. Sicut enim erant in diebus diluvii, » comedentes, et bibentes, nubentes, et nuptui tradentes, » usque ad eum diem, quo intravit Noë in arcam, et venit » diluvium, et perdidit omnes [7]. Similiter sicut factum est » in diebus Lot : edebant, et bibebant, emebant et vende- » bant, plantabant et ædificabant; qua die autem exiit Lot » a Sodomis, pluit ignem et sulphur de cœlo, et omnes » perdidit [8] : secundum hæc erit, qua die Filius hominis » veniet [9]. »

[1] Prov. XXVI, 11, et 2 Petr. II, 21, 22. — [2] Sap. XV, 12. — [3] Psal. CXLIII, 4. — [4] Matth. X, 22. — [5] Philip. III, 13. — [6] Marc. XXIV, 42, et XXV, 13. — [7] Gen. VII, 5. — [8] Id. XIX, 25. — [9] Luc. XVII, 26-30.

VIII. Quare nostram salutem non negligamus, charissimi. Ecce enim divinæ nobis Scripturæ diem illum indicant : ut per pœnitentiam a ventura salvemur ira, vitamque possideamus æternam, grata et accepta operantes Domino. Si autem in priori tua perseveres inobedientia, et in cogitatione turpis securitatis atque ignaviæ verseris, scias non ita multo post fore, ut excindaris. Verax quippe est, qui ait : « Jam securis ad radicem arborum posita est. » Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur [1]. » Audi porro et fici parabolam. « Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua; » et venit quærens fructum in ea, et non invenit. Dixit autem ad cultorem vineæ : Ecce anni tres sunt, ex quo » venio quærens fructum, et non invenio. Succide ergo » illam : ut quid enim terram absque fructu occupat? At » ille respondens, dicit illi : Domine, dimitte illam et hoc » anno, usque dum fodiam circa illam, et mittam stercora : » et siquidem fecerit fructum; sin autem in futurum succides illam [2]. » Vide igitur, charissime, ne forte præscriptum tempus impleatur, aliudque tempus non inveniamus. « Venite ergo, adoremus ac procidamus ipsi, et ploremus » coram Domino, qui fecit nos [3]. » Manus ad eum tuas attolle toto corde, lacrymansque ad ipsum accede, clamans ad eum cum Propheta : « Salva me de luto fæcis, ut non » infigar; libera me ab iis, qui oderunt me, et de profundis aquarum. Non me demergat tempestas aquæ, neque » absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus » os suum. Exaudi me, Domine, quoniam benigna est misericordia tua. Secundum multitudinem miserationum » tuarum respice in me. Et ne avertas faciem tuam a puero » tuo : quoniam tribulor, velociter exaudi me. Intende

[1] Matth. III, 10, et Luc. III, 9. — [2] Id. XIII, 6-9. — [3] Psal. XCIV, 6.

» animæ meæ, et libera eam, propter inimicos meos eripe » me [1]. » Ut et ipse vicissim dicat quod scriptum est : « Vi» riliter age, et confortetur cor tuum, et sustine Domi» num [2]. » Tuque gratias bonitati ejus agens, dicas : « Ex» pectans expectavi Dominum, et intendit mihi : et exaudivit » deprecationem meam, et eduxit me de lacu miseriæ, et » de luto fæcis, et statuit super petram pedes meos, et di» rexit gressus meos, et immisit in os meum canticum no» vum, carmen Deo nostro. Videbunt multi, et timebunt, » et sperabunt in Domino. Beatus vir, cujus est nomen » Domini spes ejus, et non respexit in vanitates et insanias » falsas [3]. » Benedictus Dominus, qui virtutem ac potentiam dat populo suo : et benedictus Deus noster in sæcula sæculorum. Amen. Deus propitius esto peccatis nostris : quia tua est gloria in sæculorum sæcula. Amen.

PARÆNESIS XLIX.

De morum perversitate.

Quemadmodum gladius nervos incidit equo, et equitem dejicit : ita perversis moribus prædita mens vigorem animæ succidit, et tristitiam affert, tristitia vero sibi obvios destruit ac perimit. Quis enim cupidus adeundi civitatem triginta stadiis distantem, et ubi viginti novem confecerit, uno adhuc restante et non confecto, dicet se eo pervenisse? Hic quippe ex propriis exiit, et ad civitatem, quo pergebat, non pervenit; nam sicut qui ad undecimam horam venit, plenam mercedem accepit, velut etiam cæteri, qui pondus diei portarunt : ita et qui ad undecimam usque horam

[1] Psal. LXVIII, 15-19. — [2] Id. XXVI, 14. — [3] Id. XXXIX, 2-5.

operatus est; circa porro duodecimam horam, si incœperit evertere, et quæ plantata sunt evellere, mercedem nullam percipiet [1] : cum Dominus et Salvator noster Jesus Christus dicat : « Qui autem perseveraverit usque in finem, hic » salvus erit [2]. » Et iterum : « Nemo mittens manum suam » ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei [3]. » Nam uxor Lot, quod retro respexerit, in statuam salis versa est [4]. Quare etiam Apostolus eorum quidem, quæ retro sunt, obliviscens, ad ea, quæ priora, se ipsum extendebat [5]. Et tu ergo, charissime, sustine ac persevera; « Nam « mundus iste transit, et concupiscentia ejus; qui autem » facit voluntatem Dei, manet in æternum [6]. » Peregrini enim sumus, et advenæ in hoc sæculo. Si autem dum tempus habuerimus, in illo grata et accepta Domino operati fuerimus, mercedem referemus. Patientiam igitur posside, frater dilecte; nam scriptum est : « In patientia ves» tra possidebitis animas vestras [7]. » Enoch ducentis annis placuit Deo, postquam genuit Mathusalem [8] : et nos in brevi hoc vitæ tempore negligentes sumus? Resiste, charissime, cogitationibus noxiis, et dic cum eo, qui ait ac clamat : « Christo confixus sum cruci; vivo autem, jam non » ego, vivit vero in me Christus [9]. Quid enim proderit ho» mini, si mundum lucretur universum, animæ vero suæ » detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commuta» tionem pro anima sua [10]? Declinate a me maligni, et scru» tabor mandata Dei mei [11] : » Ecclesiaste quoque proclamante : « Vanitas vanitatum, et omnia vanitas [12]. » Post tantam opulentiam ac gloriam, non amplius vanitati labores meos offeram, ne eas alii post meum hinc exitum

[1] Matth. xx, 1-16. — [2] Id. x, 22. — [3] Luc. ix, 62. — [4] Gen. xix, 26. — [5] Philip. iii, 13. — [6] 1 Joan. ii, 17. — [7] Luc. xxi, 19. — [8] Gen. v. [9] Galat. ii, 19, 20. — [10] Matth. xvi, 26. Marc. viii, 36, 37, et Luc. ix, 25. — [11] Psal. cxviii, 115. — [12] Eccle. i, 2, et xii, 8.

possideant, et ego interim pœnas pendam : verum optimo et misericordissimo Deo labores meos offeram, præbenti post mortem vitam æternam, et paranti diligentibus ipsum, « Quæ oculus non vidit, nec auris audivit, neque in cor » hominis ascenderunt [1]. » Etiam, charissime, « Viriliter » age, et confortetur cor tuum, et sustine Dominum [2] : » eritque in pace exitus tuus. Ibi justos gaudentes videbis ob salutem tuam. Ibi in sinu Abrahæ cum Lazaro demoraberis [4] : paupertatem enim et inopiam elegisti, tribulationem et angustiam sustinuisti, contumelias passus es, contemptiones non es aversatus. Propterea cum lætitia in æterna tabernacula suscipient te, ubi exulat luctus atque tristitia ac gemitus. Ibi vitam cernes, et lucem veram, ac spem omnis creaturæ Redemptorem animarum nostrarum Jesum Christum Regem gloriæ : et gaudebit cor tuum, et gaudium tuum nemo tollet a te. Ipse porro Dominus et Deus noster irreprehensibiles nos tueatur atque custodiat. Quoniam ipsius est gloria in sæcula. Amen.

PARÆNESIS L.

De differentia vitæ monasticæ, et vitæ sæcularis.

Frater charissime, si abdicata vita sæculari factus sis monachus, sobrium ac vigilantem te præbe : quia multæ sunt insidiæ inimici : ne forte locum ac spatium inveniens, tibi suggerat res hujusmodi : « Ecce, inquiens, renuntiasti sæculo, ac propriis. » Annon etiam feræ in suis conquiescunt antris ? Tu ergo increpa eum, dicens : « Dominus te delebit, profligabitque, diabole ; » quia hominem, quem ad ima-

[1] 1 Cor. II, 9. — [2] Psal. XXVI, 14. — [3] Luc. XVI.

ginem ac similitudinem suam fecit, tu feris ratione carentibus comparas. Non desinis subvertere vias Domini rectas ac planas? De differentia vero hujus et illius audi. Primum quidem qui cupit fieri monachus, renuntiat sæculo, renuntiat propriæ voluntati, accipit crucem suam, et Salvatorem nostrum Christum sequitur. Non contentiose agit, non maledicit, non pejerat, non blasphemat, non meditatur verba mendacia per loquacem et nugacem philosophiam : temperans est, non deliciatur; cunctos Dei Angelos sibi amicos habet, inimicum autem diabolum; non affligit agricolam, non vim affert viduæ, non rapit quæ inopis sunt, non sævit in orphanos, non furit in divitiis : contentus vivit præsentibus : non cogitat stipendia facere suismet filiis, aut quo pacto filias nuptui tradat. Non est constrictus distractionum vinculis, verum suæ dat operam saluti : non est elatus, verum humiliter sentit, et benignus est et mansuetus; psallit, et non tragœdias canit : precatur, et non mente vagatur. Non fluctibus et undis negotiorum hujus vitæ agitatur : non curat quomodo gloriam atque existimationem sibi terrenam comparet. Pro tibiis, ac tympanis, aliisque instrumentis musicis, Domino psallit et orat. Plangit et lacrymatur in intimis penetralibus, et domus, et animæ, remissionem peccatorum deposcens. Dum orat, etiam pro universo precatur mundo : non ad vana accedit spectacula, sed ad viros sanctos; pro aula solitudinem consectatur. Declinat juramenta, et animas eorum, qui illis delectantur. Manus extendit ad res utiles, ad opificia, ad lectionem divinarum Scripturarum. Non est sollicitus de parentibus, neque de rebus terrenis. Promissiones Salvatoris mente perpendit, et in eo recreatur spiritus ejus, doloremque levat ac fugat. Corporalis occurrit infirmitas? Gaudet, quia prope est corona. Tædium atque acedia ingruit? Succedit a Domino patientia. Damnum

aliquod terrenum emergit? Diem sui obitus mente recolit, quia omnia hic remanent. A voluptate vexatur carnali? Acerbitatem tormentorum animo versat. Accidit in eum calumnia? Patienter fert, quia prope est, qui justificet ipsum. Infertur ei injuria et cruciatus? Passiones Salvatoris cogitat. Contingit superbia? Recordatur, quod per ignem transiturus est. Ista gratiæ sunt dona, recte a Domino servientibus concessa, et quæcumque decent sanctos. Te porro diabolum, re infecta, avertet Dominus. Etiam, charissime, dicentem audi : « Resistite diabolo, et fugiet a vo» bis : appropinquate Deo, et appropinquabit vobis [1]. » Simul et pro me misero deprecare : quia « Iniquitates meæ » supergressæ sunt caput meum [2] : » ut bonus et misericors Dominus custodiat, et salvet nos in suo regno ac gloria, qui desperatorum spes est. Quoniam ipsi gloria et fortitudo, atque potentia et regnum, Patris, et Filii, et Spiritus sancti, in sæcula sæculorum. Amen.

ADHORTATIO.

sive catechesis ad monachos.

I. Venite, dilecti mei : venite patres fratresque mei, grex Salvatoris electe; operemur bonum, donec hæc duret celebritas. Oculos vestros adimplete lacrymis, et confestim oculi cordis vestri aperientur. Verba vitæ loquimini ad invicem, et e vestigio cordis compunctionem sentietis. Bene sentite de regno ac paradiso, et mox res terrenas contemnetis. Nullus per socordiam atque negligentiam animo percellatur : neque in pusillanimitatem veniat; neque pavore quis

[1] Jacob. IV, 7, 8. — [2] Psal. XXXVII, 5.

perfundatur, aut sopore obruatur. Sed audacter Deum imploremus, et Salvatori nostro deserviamus. Corda quoque nostra studiose Spiritus sancti ope emundemus. Simul conspiremus in bono, nos inter nos cohortemur, et confirmemus. Ignoscamus nobis mutuo, ex toto corde : siquidem servi sumus Dei, omnis mendacii expertis, qui dixit : « Amen » amen dico vobis, nisi ex toto corde remiseritis peccata » vestra alterutrum, nec Pater vester cœlestis remittet vo» bis peccata vestra [1]. » Quin et per sanctos suos Apostolos designavit nobis, quoties fratri ignoscendum sit. Dicente enim Petro : « Domine, quoties peccabit in me frater meus, » et dimittam ei? usque septies? Ait illi Dominus : Non dico » tibi usque septies : sed usque septuagies septies [2]. » At nos subinde ne tertio quidem in die nobis mutuo ignoscimus. Quamobrem vos obsecro, charissimi mei, supplexque oro, o amici mei : « Sobrii estote ac vigilate, » hoc tempore exiguo, et ad undecimam hanc horam contendite. Appropinquavit jam vespera, et Retributor mercedis cum gloria adveniet, redditurus unicuique secundum opera sua.

II. Attendite vobis ipsis; ne quis vestrum honeste atque ex virtute vivens, nimium de se præsumat : negligensque immensam ejus remunerationem deperdat. Similis enim est monachus agro seminato, qui pluvia ac rore rigatus incrementum capit, lætitiæque fructum fructificat : sed cum jam ad ipsum fructum pervenerit, majorem sollicitudinem bono agricolæ ingerit : sollicitus namque pervigilat, timens ne vel repentina grandine, vel a pecoribus campi, sua sata destruantur. Sic et monachus donec in hoc corpore vitam duxerit, quotidie de immortali vita curet sollicitusque sit, necesse est : ne per segnitiem in vanum cucurrisse reperiatur. Gloriatur exultatque agricola, quando suam messem jam congregarit, et compensationem laborum receperit :

[1] Matth. XVIII, 35. — [2] Ibid. 21, 22, et Luc. XVII, 4.


eumdem in modum gaudebunt exultabuntque Angeli Dei in cœlis, quando quis timens Deum, consummaverit cursum suum. Agricola, horreis suis repletis, et in securitate jam positus, genio indulget, et gloriatur : monachus quoque in suo constitutus horreo, hoc est, in monumento, confestimque divitiis ejus in cœlum perlatis, exultat.

III. Sobrii igitur simus et vigilemus, charissimi; vigilemus, inquam, quandiu in prælio adversus hostem constituti erimus. Illius quidem pugna semper est præsto : sed ipse debilis est atque infirmus. Noster vero Dominus fortis præliator, his qui alacriter certaverint, virtutem largitur, et coronam immarcescibilem. Sicut enim a vehementi vento pulvis impellitur, et submovetur : ita etiam adversarius noster diabolus impugnatur fugaturque, quando nostris vocibus divinas laudes personamus, ac preces lacrymasque Deo exhibemus. Quocirca nemo hic sit segnis, metuve frangatur : sed qui fortem se sentit, infirmiorem suscipiat. Qui alacritate valet, pusillanimem consoletur. Qui vigil est, somno gravatum excitet. Qui per se modestus est, immodestum admoneat. Qui continens est, inordinatum increpet. Hoc namque modo simul conspirantes, pariterque victoriam de adversario nostro reportantes; eum confundimus et Deum nostrum gloriosa celebratione colimus. Sancti quoque super nos gaudebunt Angeli : et qui nos vident, audiuntque de nobis, ædificabuntur. Paradisus refertus fructibus lætitiæ, et floribus diversi generis, est multitudo monachorum, in idipsum in charitate Dei exornata atque ordinata. Fons pulcher, et aquis scatens, quibus multitudo irrigatur plantarum, est multitudo monachorum, suam psalmodiam irrigantium. Civitas muris circumdata atque munita, est multitudo monachorum, in idipsum invicem conspirantes charitate Christi. Diadema pretiosum ex pretiosis lapillis, speciosisque margaritis contextum, est mo-

nachorum multitudo, in idipsum ad omne opus bonum pulchrumque adornata. Navis plena regalibus divitiis, est monachorum multitudo, in idipsum dilectione referta. Oliva splendida atque fructifera, est multitudo monachorum in idipsum circumornata, et confirmata in dilectione Christi. Imago regalis, admirabilem aspectum quorumcumque selectissimorum colorum ac florum continens, est multitudo monachorum, in idipsum varietate virtutum decorata.

IV. Castra sanctorum Angelorum multitudo est monachorum in idipsum bene ordinata, mentem suam ad Deum semper elevatam habentium. Sicut mel et favus in ore : ita responsio fratris ad proximum suum, cum dilectione et humilitate. Quamadmodum aqua frigida æstu nimio est sitienti : ita consolationis verbum est fratri in tribulatione ipsius. Quemadmodum qui cadenti manum dat, erigit illum ; ita et animam segnem atque pusillanimem excitat verbum vitæ et consolationis. Quemadmodum semen bonum atque electum in terra bona et optima : ita bonæ cogitationes in mente monachi. Quemadmodum lucida lampas in obscuro loco relucens : ita monachus sobrietati mentis et cordis avcans, tempore suæ psalmodiæ. Quemadmodum connexio bona ac fortis in ædificio : ita longanimitas in corde monachi. Quemadmodum onus intolerabile, viro debili atque infirmo : ita et monachi somnus, tempore suæ psalmodiæ. Quemadmodum vincula et catenæ, aquilæ : ita et monacho, sollicitudines mundi. Quemadmodum spinæ, et tribuli inter sata optima : ita malæ et sordidæ cogitationes, in anima monachi. Quemadmodum cancer, dum curatur, et putrescit, et nunquam curationem absolutam admittit : ita injuriarum memoria, in anima monachi Quemadmodum a verme corrumpitur lignum : ita et ab inimicitia labefactatur animus monachi. Quemadmodum a tinea corrumpitur vestimentum : ita a detractione mens monachi.

Quemadmodum lignum altum ac speciosum, sed infructuosum : ita superbus et insolens monachus. Quemadmodum fructus pulcher quidem et delectabilis exterius, putridus autem interius : ita monachus invidus ac æmulus. Quemadmodum quis lapidem jactans in limpidissimum fontem, conturbat eum : ita iracundi monachi responsio commovet mentem proximi sui. Quemadmodum quis coram rege astans, et cum eo colloquens ; a conservo autem suo vocatus, rege relicto, cum illo sermones miscet : ita monachus, qui in sua psalmodia cum Deo colloquitur, intentione interim mentis suæ alio reflexa. Intelligamus igitur ac consideremus, dilectissimi, coram quo constituti simus. Quamadmodum enim Angeli Dei, cum timore et tremore collaudantes Dominum, coram eo assistunt : ita et nos puro corde, et cum reverentia, atque timore coram Deo consistere oportet, ut in die judicii misericordiam consequamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum : cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.



ADHORTATIO

Ad fratres.

I. Fratres, assuescamus benedictionibus, ut benedictiones possideamus. Judæi a gente perversa procedentes, deicidæ evaserunt : et nos, si fuerimus maledici, erimus quoque diffamatores. Non subito morbi redduntur incurabiles : sed malum capientes principium, ex negligentia etiam ad infinitam miseriam proserpunt. Et passiones in anima ex minima causa generantur ; sed non exterminatæ, infinitam quamdam pariunt despicientiam. Cernis in ære nævum vi-

ridem, quemadmodum in profundum deprimatur? Intelligis, quid efficiat in anima passio neglecta? nisi evaseris rubiginem, non auferes maculam, et nisi carnis naturam attriveris, fugare passiones non poteris. Quemadmodum æri cognata est rubigo : ita etiam passiones roborantur adversus naturam. Si quis ferrum tergat ac poliat, antequam rubiginem contrahat, nihil est deinde cur metuat. Et si quis virtutibus animam vestiat ac ornet, non se labore franget, neque occultam injuriam sustinebit. Poterit quispiam etiam post rubiginem vas æneum curare : sed tamen non absque labore ac detrimento. Nam quo tempore se ad copias et opes parandas exercere potuisset, in curando peccato cogitur occupari. Et anima retardatur ac ducitur, ut passionem auferat, cum res maximas lucrari potuisset. Si æs negligatur, etiam serius expurgabitur, et rubiginem contrahet : et posteaquam rubigine amissa resplenduerit, periculo furum exponetur. Anima quoque si se ipsa in virtutis exercitio neglexerit, facile capietur. Æs, operimenti instar, obscurat splendorem : et si vivo candentique adjiciatur æri, plurimum ad usum valebit. Si autem bene junctum non fuerit, quia debile efficitur instrumentum, citius a jam corrupto dissolvitur. Sic quoque anima, si corruptæ nunc virtuti inhæreat, confusionem sustinebit, et corruptionem a confusione. Æris instar est natura humana, multa cura indigens. Eam si illustrare nolueris, hoc age, ne saltem despicias temperamentum. Quod si æs humidum ac molle reliqueris, detrimentum patietur. Naturamque si humidam reddideris, jam locum corruptioni parasti. Quin et Salvator affirmat, spiritus immundos humiditatem requirere [1]. Et Apostolus ait : « Carnis curam ne feceritis in desideriis [2]. » Unde scilicet palam fit, humiditatem animæ causam existere desideriorum carnis. Ipsumque Evangelium interpretatur dic-

[1] Matth. XII, 43. — [2] Rom. XIII, 14.

tum Apostoli: «Veniens, inquit, spiritus immundus, invenit »hominem mundatum, et scopis purgatum [1]. » Nonne mundities corporis desideria ipsi animæ conciliat? Perambulavit per loca inaquosa immundus spiritus; et quia cognovit semen suum deficere, nisi funderetur in humidum locum, veniens in eo seminavit, et postremo veniens in ipso permansit : cum scilicet post sedem mutatam rediens, invenit semen protulisse fructum. Si enim fructum non fecisset mollis homo, ut qui non haberet quid comederet inimicus, in ipso non commoraretur.

II. Quomodo autem comedat, et nutriatur immundis spiritus, discere debemus. Dicit Dominus, suum cibum esse, facere voluntatem Patris sui [2]. Ita et inimicus a faciente voluntatem ipsius nutritur. Voluntas Dei est fides, quæ ad bonum ducit. Igitur inimici voluntas est infidelitas. Dei voluntas est virtus bonarum actionum : at diaboli contraria omnia. Si quis ergo voluntatem ejus fecerit, cibat ipsum. Sed amplius adhuc quod dico, clarum reddam de utriusque voluntate. Quomodo Christus cibus fiat ob salutem Samaritanæ, ipse dixit Discipulis, quod comederit, et voluntatem Patris sui perfecerit [3]. Si quis igitur salvet animam, cibat Deum. Sic si quis animam perdat, pascit diabolum. Quæ ergo sit seminatio inimici, et quæ ejus peregre profectio, et qui accessus, perspiciamus : et cur primum repulsus, novissime remanserit. Rursus ex sacris Scripturis hoc vobis proverbium demonstrabitur ad fidem adhibendam. Si quis perfectus fuerit in sanctitate, templum Dei est, sicut ait Apostolus. Ita quoque in impietate si perfectus quispiam existat, domus diaboli efficitur, et in eo requiescit. Igitur seminat primum in imperfectis, et recedit : ac post tempus videt, numquid perfecti evaserint : et sic in iis remanet.

[1] Matth. XII, 44, et Luc. XI, 25. — [2] Joan. IV, 34. — [3] Ibid.

III. Porro differentia perfectionis rursus ex pia comparabitur doctrina. Nam quemadmodum qui animas salvant, perfecti sunt apud Deum; sic et qui deperdunt eas, apud diabolum. Dicit Evangelium, secundum quam similitudinem perfecti sint. Siquidem ad Discipulos : « Estote per» fecti, inquit, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est[1] : » quoniam animas salvat, et corpora : supra corpora quidem oriri facit solem, et dat pluviam : animabus autem legem tribuit, et scientiam, tolerans, ut corrigantur. Numquid de inimico reperimus dictum in Scriptura proverbium? Imo ipsum de eo affirmat Evangelium, quod ab initio diabolus homicida erat[2]. Si quis ergo occidit animas, jam perfectus evasit secundum diabolum. Sed consentaneum fuerit jam dicere, quinam in eo perfecti evaserint? Pharisæi videlicet. Ipse enim de iis asserit Christus, quod patrem habeant diabolum[3]. Multas quippe illi occiderunt animas, perfidiam in Deum et Christum docentes. Ego vero ostendam etiam ab eis ipsum fuisse diabolum superatum. Nam non solum docuerunt, sed etiam coëgerunt facere malum. Si quis enim credidisset in Christum, extra Synagogam pellebatur, ut inimicum ipsum perfectione superarent. Ille enim per timorem cogit recedere a Deo : nam mortem comminatur, multosque a pietate divellit. Seminat et Deus, verum in aridis desertisque corporibus; quoniam cœlestia per incorruptionem augentur. Non primum corrumpit, et corrumpitur semen Dei : sed in ariditate imminutum crescit. Igitur quis sit locus aridus; novimus; quid enim est, nisi incorruptio? In castis ac continentibus corporibus augetur semen ejus : eo quod in carne nunquam conjunctionem agat, sed in anima. At quomodo istud? Rursus expendamus Evangelium : « Ani» mam, inquit, nemo occidere potest[4]. » Quare hujus sæculi bonis non indiget. Verum potest, cum non egeat, incorrupta

[1] Matth. v, 48. — [2] Joan. VIII, 44. — [3] Ibid. — [4] Matth. x, 28.

permanere. Cibum enim ad corporis duntaxat subsistentiam atque sustentationem capit. Quando igitur non se ipsa submiserit corpori, sed ipsum sibi subjecerit, incorruptum semen Dei suscipiens : etiam corpus efficit, ut quasi lumine reddatur incorruptionis particeps, efficiaturque aridum in augmentum gracilitatis. Nam sicut accessiones rerum corporearum crassitudinem augent : ita crassitudinis imminutio augmentum fit extenuationis; eademque attenuatio si crescat etiam atque etiam, carnem tandem efficit quodammodo atque transformat in spiritum : atque ita caro cum spiritu copulatur et unitur, incorruptionis fructum proferens, perfectaque redditur ad suscipiendum Deum. Dicit quoque Evangelium, de mansione Christi in perfectis loquens : « Ego, inquit, et Pater meus veniemus : et mansio» nem faciemus apud eum [1]. »

IV. Sed fortasse adhuc idem probari vobis, et confirmari cupitis; an corruptibilis caro incorruptioni commisceri queat? oportebit nos ista rursum breviter percurrere, nec gravate id fecero. Si enim ostensum est animam esse immortalem, perspicuum est eamdem quoque incorruptibilem esse. At quemadmodum humidiorum corporum permixtione redditur carnalis : sic etiam corpus per incorruptibilitatem animæ, divino unitum semini efficitur spiritale. Idcirco et Paulus internoscebat spiritales, et carnales homines. Noverat etiam quod carnales animam haberent, et corpora spiritales. Verum per temperamentum atque imperium plurium nomina præstantiorum universo attribuit homini : adeo ut si caro superaverit, carnalis sit homo ille : sin vicerit anima, spiritalis. Et alibi hæc ipsa demonstrans : « Caro, inquit, resistit spiritui, et spiritus carni, ut non » quæ velint faciant [2]. » Cæterum Evangelium quæstionem dirimit, affirmans violentorum esse regnum cœleste [3]. Co-

[1] Joan. XIV, 23. — [2] Galat. V, 17. — [3] Matth. XI, 12.

git enim spiritus naturam in diviniora, quando a carne natura trahitur ad terrena. Violentia ejus est bellum. Nam duobus accidit modis : in incipientibus quidem, ut non commisceantur carni : in perfectis vero, ut et carnem ipsam efficiant spiritalem. Propterea in principio dat semen; et in fine post augmentum vinum et escam perfectos efficit, quemadmodum de contrariis diximus. Quo pacto autem cibus, et potus Dei efficiamur, ipse dicit : « Ego, inquiens, » sum vitis, et vos palmites [1]. » Apostolus quoque ad Corinthios ait : « Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis [2]. » Et hoc dixit ad insipientes : ad perfectos vero, quid? « Cujus, » inquit, domus sumus nos. » Si initium igitur subsistentiæ stabile ad extremum usque servaverimus, in aridis sane corporibus, etiam semen incorruptibilitatis coalescet. Non enim idcirco caro spiritui resistit, quod natura subjici, et parere non possit : sed ex concupiscentia et impetu voluntatis. Nam si caput in homine est anima immortalis, non facit injuriam homini Deus, cum ad incorruptionem adhortatur illum, nullamque vim affert mixtæ naturæ; sed ad incorruptionem ac pudicitiam colendam hortatur, qua caro tanquam ancilla, quæ per peccatum corrumpitur, præservatur. Quemadmodum enim in fornace ignis, æs figuram ignis capit et formam : ita etiam spiritui efficitur simile, et cum illo quodammodo conformatur, si cum pudicitia, atque incorruptione jungatur. Idemque æs cum funditur, fimo simile redditur et terræ, cum cinere aspergitur; rubiginique, cum situ, carieque corrumpitur : ita quoque caro, si perturbationibus demergatur.

V. Volo autem vobis de violentia Sanctorum commemorare, quomodo per eam regnum cœlorum percipiant. Carnis natura quietem postulat : ipsi vero contritionem potius sibi assumunt vendicantque : afflicti, lætantur : et

[1] Joan. xv, 5. — [2] I Cor. III, 9.

cum minus valent corpore, se ipsi non curant. Natura delectatur gloria : at ipsi gaudent maledictis lacessiti. Cumque ipsi aliis benigne fecerint, id celant; pietatemque exercentes, latere student. Natura carnis comedere optat : ipsi autem jejuniis eam consumunt, exercitiisque piis tabefaciunt. Natura placide ad nuptias fertur : at ipsi continentiæ freno eam cohibent, et causas occasionesque peccatorum removent. Facultates, ac opes consectatur natura : at Sancti etiam injuria affecti, patientes sunt atque longanimes. Omnem igitur prope dicam, carnis vitam respuunt. Hoc enim est : « Tolle crucem tuam, et sequere me [1]. » Ob id etiam scribit Apostolus : « Mortificate membra vestra, quæ sunt » super terram [2] : » quoniam per piam ac religiosam ista fieri queunt violentiam. Nemo occidit quemquam cum misericordia : sed qui vult mortificare carnalia, vim sibi affert, inquit. Verum quænam sunt membra super terram? Non enim divinum arguit opificium. Neque dixit : « Mortificate membra corporis : » sed « Quæ sunt super terram. » Cujusmodi sunt fornicatio, invidia, fraus, malitia, avaritia, et ejusmodi. Omnia enim jam dicta, per ea, quæ sunt super terram, fiunt; quod in iis quamdam caro affinitatem habeat; propter divitias enim, injuriæ : propter gloriam, insidiæ; propter amorem sui ipsius, dolus : propter delicias, fornicatio. Quare in hujusmodi rebus deprehenditur et agnoscitur homo carnalis, qui in rebus naturalibus ad ea, quæ sunt præter naturam, progreditur. Cumque ad peccatum natura sit proclivis, rapitur ipsa a rerum sufficientia ad insatiabilitatem, a potatione ad ebrietatem, a nuptiis ad fornicationem, a justo ad iniquum, et a charitate ad confusam quamdam vilemque familiaritatem, et ad hospitalitatem repellendam ac violandam. Huic igitur naturæ vis offerenda : ut recte instituta, plus quam par est, sibi usurpare non

[1] Matth. XVI, 24. — [2] Coloss. III, 5.

possit. Oportet mortificare naturam : ne terrenis institutis ac legibus obsequi valeat. Quoniam et Salvator ait melius esse uno pede, aut una manu certantem, pervenire ad cœleste regnum, quam duas manus, aut duos pedes habentem, mitti in ignem æternum [1]. Non quidem omnino membra, quæ fecit ipse, abscindenda mandavit : verum, ut discamus naturam non habere causam peccati. Mortificetur manus, et excæcetur oculus tuus : ut cum ad cædem nequeat cooperari manus, non faciat aliud malum. Facile persuadere licet amicis non insidiantibus, nisi congrediamur cum insidiatoribus. Non prohibuit Scriptura liberos legitime gignere, atque suscipere : sed eos occidere. Assidua enim copula omnem mentis tranquillitatem impedit, bella suscitat, cædes docet, dolos et indignationes suggerit.

VI. Intelligite quæ dico, ne multis digressionibus utamur. Ipse quod satis sit præcepit. At dixit : « Quod vidua, » quæ in deliciis est, vivens mortua sit [2]. » Ipse docuit cum externis honeste versandum : sed carnis prudentiam facere vetuit ad mundi complacentiam. Non adversatur necessario rerum usui voluntaria paupertas : « Sufficit enim diei » malitia sua [3]. » Nec contrariatur crux cibo : quod qui in agone contendit, ab hominibus se abstineat [4]. Non adversatur nuptiis, violentia et mortificatio naturæ : quoniam mortem ex fornicatione manantem tollit. Nuptiæ officina sunt vitæ : at fornicatio mortis, quod filiorum propagationem corrumpat. Mortuum igitur peccatum efficere, quod occidit ; non est cujuscumque violentiæ, sed sufficientis, et exquisitæ. Intelligite virtutem Evangelii : quo pacto in homine mortuo velit vincere ac mortificare peccatum : et in morte carnis, perimere mortem animæ. Studet in corpore infirmo, passionum impetum evertere ? Hortatur vim

[1] Matth. XVIII, 8. — [2] 1 Tim. V, 6. — [3] Matth. VI, 34. — [4] 1 Cor. IX, 25.

inferre naturæ, ne mortalitatis violentiam sustineat. Docet mortis partem contemnere, ne immortalitatis caput deperdat. Ex sententia virorum sapientum nos agere admonet : ut quod corrumpit, nos destruamus. Dumque ab aliis non sustinemus; voluntariis nos pœnis carnem edomare cupit, eamque per jejunia corrumpere, ne peccando ipsam perdamus, in corruptione [1]. Carnem nostram alteramus : ut in se voluntatem Dei admittat.

VII. Nam et medici asperioribus locis, atque tumoribus laborantes exsiccant, vel suppurant, aut adurunt, et sic curant. Corruptio peccati in perditionem vergit, cum occulte in profundum prorepens incurabilem reddit suppurationem naturæ. Parva esse videtur, et fit infinita; quoniam instar fermenti, a calce ad caput usque se diffundit. Unius generis ac formæ corruptio putatur; sed vim continet multiplicem. In escis corrumpit, dum corpus impinguat. Nam sicut infirmitas immutat corpus; ita quoque non sinunt deliciæ eum, qui ipsis indulget, agnoscere naturæ legem violari deliciis. Corruptio est quoque gracilitas, quæ ex deliciis nascitur; quoniam carnes corruptibiles addit. Corrumpit quoque per cupiditatem, peccatum; quia in mortem, sollicitum esse docet; corpus conficit domatque laboribus, et animam malitia contaminat. Corrumpit quoque inani gloria, quoniam invidiam et odium in proximos suadet. Corrumpit etiam in virtute; quoniam per eam vane gloriari docet. Corrumpit et in occultantibus virtutem; quoniam ad contemptum incitat; et ex præclaris virtutibus introducit, quæ in morbis animi videntur minima, quibus totam postea eorum naturam labefactat. Laqueos in iis, quæ a nobis geruntur, constituit; quoniam ex consuetudine habitum nobis generat pestiferum, quo alas configimus, virtutes dico, in passione licet exigua, per

[1] 2 Petr. II, 12.

assuefactionem; neque solum alas, ac pennas, sed et corpus, ac animam damno ignominiaque afficimus.

VIII. Acriter attendamus ad astutiam ejus; ne tanquam insipientibus nobis illudat. Caveamus ejus insidias; quoniam per eas adversum nos decertat : ne dum nos velut ex omni parte securos ducimus, ipse sibi ingrediendi locum inveniat. Si enim tanquam leonem, firma murorum communitione ipsum arceamus; tanquam canis efficitur; ut propter vilitatem, eum minime devitemus. Si ut canem excludamus; volucris instar per fenestram ingreditur. Metuimus eum, dum aquilam se exhibet; et mox passerculus apparet. Ejicimus ut corvum; et velut apis insilit. Quumque in omnibus cognoverimus eum; tunc in culicem sese transformans, non exigua nos injuria afficit. Culices recentia vina mustumque corrumpunt; quoniam illorum multitudo sterquilinio commiscetur, sicut cum farina fermentum; et sæpe mortiferum, vel certe morbidum vinum reddunt, si vel morticiniis insederint, aut venenata gustaverint. Talis quoque est, quæ in parvis prævalet consuetudo; nam animæ detrimentum affert, ad omnem draconis dispositionem. Talis est subtilitas inimici, inducens etiam iis, qui sibi videbantur securi, perniciem. Dicitque Ecclesiastes muscas morientes perdere suavitatem unguenti [1] : ut Sancti quidem ipsius intelligant vilitatem, et impuritatem; negligentes autem insidias ipsius, atque subtilitates. In Regum quoque libris, Elias Deum Accaron, muscam Baal appellavit [2]; insidet enim in mentibus impiorum, tanquam in rufis et candentibus pascuis, hoc est, marcescentibus; exprimitque immundam actionem ipsorum, et ut ebullitionibus temulentiæ eorum delectetur. Patitur se draco in muscam transformari, ut impietatis sanie miseros oblectet. Inter improbos versatur ut draco; at inter luxu

[1] Eccli. x, 1. — [2] 4 Reg. 1.

diffluentes, ut musca. Perspicuum est igitur eum inter securos culicem fieri, ut noceat. Vasa quidem communire, ne a muscis illudantur; animam vero non munitam relinquere, absurdum est; sicut et præter rationem existit, de rebus, quæ sub sensus cadunt, tuendis sollicitos nos esse; at de mente munienda atque servanda non laborare.

IX. Jubet in Proverbiis Sapientia pigrum ad formicas ire [1], et ab iis sapientiam addiscere. Monet et Evangelium nos prudentes fieri sicut serpentes [2]; neque enim illi capta sunt faciles, licet miserrimi. Pro columba evangelica, apem nobis Proverbium proponit : et pro serpente formicam. Videamus ergo, utilitatis gratia, ipsam similitudinem. Serpens serpit, et insidiatur multis; sed proverbia, quia etiam subtilis draco efficitur in perditionem, formicam eum appellant. Quando ut formica visus fuerit ac vicerit : tunc draconis audaciam assumit. Quando vero ut serpens, et victus, formicæ humilitatem induit, ne ipsi noceatur. Sic quoque nos decet transfigurari, ne damnum ab insidiis ejus patiamur. Serpit formica sicut serpens; sed pedes ipsius non ferunt corpus; verum terram pro gressus directione apprehendunt. Escas terræ recondit, ne ab hyeme detrimentum accipiant. Semina recludit, quibus persistat, ne tempore necessitatis sua esca destituatur; atque hæc omnia etiam serpens agit. Orandum quoque præcipit Evangelium, ut non fiat fuga nostra in hyeme, vel sabbato [3]. Per hyemem tempus necessitatis significans; per sabbatum autem ætatem senilem, quando vita nostra propter otium atque segnitiem, sabbatum efficitur. Operemur ergo æstate, quandiu non urget necessitas, ut habeamus quo vivere liceat in sabbatum. Idemque ad labores in diebus juventutis perferendos hortatur Salomon : « Antequam veniat » tempus, de quo dicas; Mon mihi placet [4]. »

[1] Prov. VI, 6. — [2] Matth. X, 16. — [3] Id. XXIV, 20. — [4] Eccl. XII, 1.

X. Quæ est igitur necessitas, aut tentatio illa mutabilis, quæ ignorantiam prætexit? est autem tentatio, de qua ait Dominus : « Orate, ne intretis in tentationem [1]. » Affirmatque Paulus Dominum non passurum vos tentari, supra id quod potestis [2]; ostendens non ad malum, sed ad bonum Deum permittere tentationes, sciens nos eas superaturos. Permittit autem ad coronam : in succumbentibus vero non ipse tanquam auctor concedit; sed uniuscujusque voluntas, et actio, causa constituitur. Neque novit inimicus sanctos victuros; nam cum sit perversæ voluntatis, non moliretur certamen victoriam reportaturis; bonum enim spectaret. Si sciret, et si bonum spectat, cur cadentes evertit? neque erigit ab actione perversa desistens? Per illud ergo, quo dicitur, orandum esse, ne fiat fuga nostra hyeme, intelligimus duplicem contineri tentationem; unam, quæ fit inquirendo, et examinando; alteram vero, ex proposito ac voluntate persecutionis. Simileque est istud de sabbato; quoniam acerbum continet finem fugæ laborum, quos aut ultra vires subeundo, vehementer torquemur; aut non sufferendo, errantes atque offendentes, magnum animæ detrimentum inferimus. Alterum ergo finem dicit infructuosum; quoniam in fuga citra fructum moriendo, mercedem æternam deperdimus. Videamus deinceps de ape et columba, an in iis quoque invenire liceat similitudinem sicut in serpente, et formica. Magna quippe illis propter hyemem est diligentia. Apis labores fertilitatis tempore fiunt. Columba communitatem amat, similiter et apes. Labor apis cunctis est utilis; et species columbæ omnibus valde amabilis. Sicut apes, ita et columba absque dolo. Captu facilis est species columbæ serpentibus. Similiterque apis reptilibus. Illis sunt similes, qui cum simulatione vivunt; et istis qui in simplicitate. Ideoque Ecclesiastes dicit : « In die bono, aspice

[1] Matth. xxvj, 41. — [2] 1 Cor. x, 13.

» bonum; et custodi innocentiam, ut videas æquitatem [1]. » Sed primum dixit Dominus : « Estote prudentes sicut ser» pentes, et simplices sicut columbæ [2]; » nam sequitur post tentationem requies. Hinc quoque David : « Transivimus, » inquit, per ignem et aquam et eduxisti nos in refrige» rium [3]. » Quin et post formicam, apis. Dicit etiam Paulus primum quidem carnalia, sicque deinde jungit spiritalia [4]. Post labores enim procreatur gloria. Dicitque de ape, quod cunctis sit expetibilis, et in æstimatione.

XI. Videtis ergo, quod in laboribus primum exercitari oporteat, et per certamen coronari; ut sic divina detur gratia perfrui? Acerbitatem laboris, dulcedo quietis excipit; et asperitatem vitæ, gaudium. Nisi odio habiti fuerimus sicut serpentes; quasi columbæ non reddemur amabiles. Nisi viles atque abjecti formicarum instar extiterimus; ut apes non erimus industrii. Primum passus est Christus, ac velut serpens Moysis in ligno suspensus; et sic postea tanquam columba, e mortuis resurgens, evolavit ad cœlestia. Primum comedit lactucas agrestes paschæ; sicque resurgens, favis se mellis refecit. Intelligite quæ dico, fratres; quoniam si quis securus reddi velit, laborare debet; et postea fructum laborum percipiet. Si ex parvis aberrare nolueritis; per labores discite a patribus nostris. Estote filii obedientiæ laborando; ut patres evadatis in requie. Laboribus intenti, ab improborum consuetudine non decipiemini; quoniam labor ægram perversamque consuetudinem fugat. Dixi ergo vobis : « Nolite malis assuefieri moribus, ne in profundum malitiæ decidatis. » Dixi etiam, quo pacto istud obtinere queatis; ne me ut medicum de morbis disserentem, et de eorum cura experientiam non habentem, reprehendatis. Facite ergo quæ decent promissiones ves-

[1] Eccl. VII, 15. — [2] Matth. X, 16. — [3] Psal. LXV, 12. — [4] Colos. III, per totum.

tras, ut Dei quoque promissionibus potiamini in Christo Jesu. Amen.

ADHORTATIO

De panoplia ad monachos.

I. Panopliam, sive armaturam ejusmodi possidere debet, qui viriliter pro Christo decertare constituit; ut possit diabolo resistere, et in conspectu Salvatoris nostri placere. Quæ autem talis sit armatura, ausculta, monache, et dicam. Pro thorace, fidem assume, ut granum sinapis; credens in consubstantialem atque individuam Trinitatem; nam sinapis granum rotundum prorsus est, nullam habens scissuram, nullum angulum; sed omnino rotundum est; fervoremque habet insignem. Ea fretus princeps apostolici ordinis Petrus, cum filium Dei vivi esse Christum confessus esset, claves regni cœlestis accepit, potestatemque cœlestium, ac terrenorum obtinuit. Hanc igitur perfectam panopliam, atque armaturam tibi vindica, frater; ut et tu gratiam a Deo accipias. Qui enim ejusmodi charitatem perfectam, consummatamque fidem habet, plane aliquam gratiam promerebitur. Quod etiam Dominus insinuans, dicebat : « Si habueritis fidem, sicut granum sinapis, di» cetis monti huic : Tollere, et mittere in mare; et fiet » vobis[1]. » Vides, quod gratiam promereatur fides? Datur ei spiritus intelligentiæ, munus profecto singulare; cum enim quis credit, tunc etiam intelligit. Datur ei, ut non judicet proximum; deinde sermo sapientiæ, postea gratia curationum; curat enim infirmos fides, et erigit lapsos corde;

[1] Matth. XVII, 19, et Luc. XVII, 6.

hæc enim omnia operatur unus atque idem spiritus. Cæterum sunt plerique fidem habentes, operibus destituti; sed ista non est fides, mortua est enim : « Fides enim sine » operibus mortua est [1]. » Qui ergo fidem habet, et operatur opera ipsius, ipse fidem habet, ut granum sinapis ferventem. Hanc tu posside, mi frater; et esto sanus ac integer fide, fervensque proposito ad mandata Salvatoris nostri exequenda, ut et tu ab illo vocem illam audire merearis : « Euge serve bone et fidelis; intra in gaudium Domini tui [2]. » Bonum quippe propter opera; fidelem autem propter fidem, Dominus appellat.

II. Assume quoque pro galea spem futurorum bonorum, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, in quæ desiderant Angeli prospicere. Hæc enim spes potentissimam tibi consolationem præbebit inter afflictionum, ac molestiarum tuarum aculeos, ejusque memoria te lætitia implebit. Huic intenti beatissimi Martyres Christi, inter aculeos, et horrenda variaque tormenta, inter ignium globos, hanc præ oculis habebant desideratam spem; ac libentissime tolerabant, ut illam possiderent. Hanc sibi Moyses remunerationem ante oculos constituens, renuit se reginæ filium dici; cunctis illam Ægyptiorum thesauris præferens, et præstantiorem esse decernens; quare etiam affligi maluit cum populo Dei, quam temporalem peccati perfruitionem habere. Hanc sibi spem, frater, assidue ante oculos pone, ut illius affectus nihil te labentium rerum quidquam existimare permittat; neque id solum, sed et promptiorem ad omne opus bonum assurgere faciat.

III. Balthei porro vice accingere, perfecta in Deum charitate, atque in proximum. Hæc enim te absque ullo impedimento currere faciet. Nam qui baltheo accinctus est, omnia facile, et absque ullo impedimento transiliet; quanto

[1] Jacob. II, 26. — [2] Matth. XXV, 21 et 23, et Luc. XIX, 17.

magis, qui se divina charitate præcinxit, cuncta facile superabit? Charitas enim omnia tolerat, omnia sustinet. Ideo plenitudo legis est charitas. Hanc quippe beatissimus possidens Paulus, dicebat : « Quis infirmatur, et ego non »infirmor? Quis scandalizatur et ego non uror [1]? » Vidisti indulgentiam atque compassionem charitatis? O beate Paule, cur, obsecro, ita pro me angeris! Numquid tu pro me supplicia passurus es? Tu semel cursum consummasti, tibique reposita est justitiæ corona; quid igitur amplius quæris? cur te ipsum affligis? et propter me cur infirmaris? Ita sane, inquit, urget me charitas. Vidisti ergo charitatis eminentiam? Is, qui per eam impleverat legem, mortali adhuc, et corruptibili indutus corpore, usque ad tertium cœlum ascendere meruit, et audire verba, quæ non licet homini loqui.

IV. Jam pro calceamento sume tibi humilitatem : nam quemadmodum calceamentum calcatur; ita et quem sancta repleverit humilitas, studet ab omnibus conculcari. Et tu igitur, frater, humilitatem posside; hæc siquidem calceamentum est, non carnale, sed spiritale; custodietque te, ne unquam offendas ad lapidem pedem tuum; lapis enim Christus est; humilitas tua custodiet te, ne offendas Christum. Nam et beatus hanc David possidebat, cum diceret : « Ego sum vermis, et non homo [2]. » Vides Regis ac Prophetæ humilitatem? aspiciebat coram se Deum semper; quoniam a dextris ejus erat custodiens eum, ne commoveretur, hoc est, ne in peccatum laberetur. Vides hinc, dilectissime, quantum Deus humilitatem diligat, qui sic appropinquat possidenti illam, semperque in illam contuetur, sicut scriptum est : « Qui in altis habitat, et hu»milia respicit [3]. » Et rursus : « Oculi ejus in pauperem

[1] 2 Cor. XI, 29. — [2] Psal. XXI, 7. — [3] Ps. CXII, 6.

» respiciunt [1]. » Pauperem vero dum audis, charissime, noli pecuniis pauperem intelligere; nam et reges plurimi placuerunt Deo, ac multi pauperes perierunt; sed inopem hic dicit, spiritu pauperem, secundum quod scriptum est : « Beati » pauperes spiritu; quoniam ipsorum est regnum cœlo- » rum [2]. » Ita, dilectissime, humiliare sub potenti manu Dei; ut te exaltet in regno cœlorum, quod Salvator noster repromisit humilibus.

V. Cæterum vice scuti, pretioso crucis signo te ipsum muni, signans eo membra tua omnia : neque vero sola manu te signes, sed etiam animo; et studia tua, et ingressum et exitum tuum in omni tempore : sessionem quoque tuam, et resurrectionem tuam, et lectulum tuum, et quæcumque pertransis, signa primum in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Validissima quippe ejusmodi armatura est, nullusque tibi unquam nocere poterit, si ea munitus fueris. Nam si quis terreni regis signaculum defert, eum lædere nullus audet : quanto magis nos, qui tale cœlestis Regis signum ferimus, neminem metuere possumus? Hisce ergo armis, mi frater, affatim utere : sunt enim vehementer contraria telis inimici; imo et ipsius gladio, amarissimæ scilicet, gravissimæque iracundiæ. Hujusmodi quippe velut anceps gladius, uno momento perimit eum quem percutit : sicut scriptum est : « Momentum » enim furoris ruina illius [3]. » Ideo, mi frater, nunquam signari negligas, et laqueos destrues, quos tibi tendit diabolus. Scriptum quippe est : « In via hac, qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi [4]. » Hoc igitur te signo assiduo munias, et malum non appropinquabit spiritui tuo.

VI. Pro arcu, ad orationem manus tuas extende; sicut scriptum est : « Et posuisti ut arcum æreum brachia mea [5]. »

[1] Psal. x, H. 9, et L. x, 5. — [2] Matth. v, 3. — [3] Eccl. I, 32. — [4] Psal. CXXXIX, 6. — [5] Id. XVII, 35.

Vere enim arcus æreus est contra inimicos, expansæ in oratione manus in scientia; sicut etiam sagitta directe emissa ab eo, qui arcum vibrat. Nam si animum vagari permittas, eris velut qui tenet quidem arcum : verum sagittam contra adversarium dirigere nequit, illam in vanum nulla certa intentione emittens : atque interdum quidem hosti terrorem incutit hujusmodi vulneris metus, dum te arcum vibrare considerat : cæterum sagitta non adversus eum, sed in incertum emittitur. Ejusmodi quoque est quod dico. Cum quis in scientia orat, nec sinit evagari cogitationes suas : sed intelligit quem interpellet, quem alloquatur : tunc oratio illius Deo appropinquat. Et tunc vehementer contristatur inimicus veluti acerrimo spiculo in corde percussus. Nam quanto per gratiam anima amplius proficit : tanto ipse tanquam pulvis ante faciem venti effectus, magis profugit : persequitur enim illum Angelus Dei. Ecce qua in re illum acriter vulnerat : quia scilicet orat in scientia : roboraturque, quia cogitationem captivat, nec evagari permittit. Et tu ergo, mi frater, etiam in scientia orationes funde. Quod si dum oras, mens tua distrahatur, sive per oculos, aut per quamcumque aliam causam : scito hoc ipsius esse opus. Neque nimium etiam festines tuam implere orationem; cæterum te ipsum paululum coargue, rursusque animum tuum collige, atque ita demum in scientia ora, ut scias pro quibus Deum postules, et cur ipsum ores : ne perperam superflua, ac multa verba effundas. Etenim illud Satanæ opus est, ut cogitationem in infinita jaculetur, nec sinat hominem in ea persistere postulatione, quam impetrarit contende. Novit quippe, quod si perseveret homo deprecans, exaudiet eum, qui fecit illum, etiamsi innumerabilia peccata commiserit. Propterea ergo multiloquium verbaque otiosa ac superflua suggerit : ut mens ab intentione repulsa, per infinita dis-

trahatur, et evagetur. Sic enim jam alia respicimus, atque cogitamus, et loquimur in mente nostra, expansis manibus.

VII. Quapropter, mi frater, quod urget magis, quæque in omni tempore tibi magis necessaria sunt, ea a Deo postula. Considera enim duos illos cæcos ad eum accedentes atque clamantes : « Miserere nostri, fili David [1]. » Et quid ad illos Dominus? « Quid vultis, inquit, ut vobis faciam [2]? » At illi, secundum dolorem et affectum cordis sui, petierunt, ut aperirentur ipsis oculi. Numquid petierunt sibi donari aliquid etiam earum rerum, quibus revera indigebant? Numquid dixerunt : « Da nobis vestimentum, quoniam » pauperes sumus? » Minime vero : sed illud postularunt potius, quod magis urgebat. Respice et Chananæam, post Dominum clamantem atque dicentem : « Miserere mei, Domine, filia mea male a dæmonio vexatur [6]. » Nihilque aliud protulit, quam dolorem et affectum cordis sui. Similiter et omnes quicumque ad eum accesserunt, quid aliud, quam sui cordis angores ei exponebant? Illa quoque hæmorroïssa, sive quæ sanguinis fluxum patiebatur, nonne sistendi maxime fluxus ipsius causa, illum adiit? Quis, obsecro, infirmus accedit ad Medicum, et non vulnus suum mox illi aperit? Et tu igitur, mi frater, offer illi dolorem animæ tuæ, ac intuere illum intellectualibus fidei oculis, secundum quod scriptum est : « Sedentem super thronum » excelsum et elevatum, exercitusque Angelorum, et Archan- » gelorum illi in circuitu assistentes : » et projiciens te ipsum ante conspectum bonitatis ipsius, effunde coram illo preces tuas, primum peccata tua confitens, et sic jam in conspectu ejus verba tua enuntians, sive etiam tribulationem tuam, ut in bonitate sua misereatur tui, effundatque super te miserationes suas, dicens : « O anima magna est fides tua;

[1] Matth. IX, 27, et XX, 31. — [2] Ibid. 32. — [3] Id. XV, 22.

» fiat tibi, sicut vis. » Audi, mi frater, etiam si tardaverit largiri tibi petitionem tuam, noli desistere clamare ad ipsum, neque etiam quasi non exauditus, languore atque torpore deficias. Memento Chananææ, et imitare perseverantiam illius : nam et ipsa dilationem passa est, ne cito sua potiretur petitione; ita ut et Discipuli ad Dominum accederent, et pro illa interpellantes, dicerent : « Dimitte illam, quia clamat post nos [1]. » Numquid abjecit illam in finem ? Nonne paululum distulit eam, et dedit illi postea petitionem suam? Illius ergo et nos exemplo discamus, nisi cito accipiamus, in precatione persistere. Etsi enim peccatores sumus, plane tamen accipiemus : etenim hæc mulier alienigena Chananæa erat.

VII. Sicque Dominus mandavit, dicens : « Quis ex vobis » habebit amicum; et ibit ad eum media nocte, et dicet illi : » Amice, commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus » venit ex via ad me, et non habeo quod ponam ante illum? » Et ille interius respondens, dicat : Noli mihi molestus » esse : jam enim ostium clausum est, et pueri mei mecum » sunt in cubili; non possum surgere, et dare tibi. Dico » vobis, etsi non dabit illi surgens, eo quod amicus ejus sit, » propter improbitatem tamen ejus surget, et dabit illi » quotquot habet necessarios. Et ego dico vobis : Petite, et » dabitur vobis [2]. » Ita quoque in Psalmo dicitur : « Expec» tans expectavi Dominum, et attendit mihi : et exaudivit » preces meas [3]. » Quocirca, mi frater, noli flaccescere atque obtorpescere ; sed expecta, et accipies quantum opus habes. Ausculta, mi frater, et amplectere consilium meum. Si a Domino aliquid postulaveris, noli abrupte, ac diffinite ut accipias, petere; sed totum ipsi relinque atque ipsius voluntati. Exempli gratia : sæpe divexant te turpes cogitationes, contristarisque propterea : pergis deprecari

[1] Matth. xv, 23. — [2] Luc. xi, 5-9. — [3] Psal. xxxix, 1.

Deum, ut ejusmodi eximaris pugna. At sæpe, mi frater, id expedit tibi. Sæpe, inquam, tibi hoc accidit, ne extollaris, sed humiliter sentias. Intuere autem columnam Apostolorum adeo insignem : quomodo pro utilitate sua datus est ei stimulus carnis angelus Satanæ, qui eum colaphis cæderet : quid ita? ut non extolleretur. Si ergo qui tantus ac talis erat, accepit eam disciplinam, ne extolleretur : quanto magis nos imbecilles, qui esse nosmetipsos aliquid existimamus, opus habemus colaphizari, ne mente extollamur?

IX. Quod si rursus etiam tribulatio aliqua tibi supervenerit, atque angustia, ne ab his quidem præcise ac diffinite liberari postules. Sæpe enim et illud, mi frater, sic expedit tibi : nam sit sæpe, inquam, dum oras, ut tuam parvipendas salutem, sicut et Israël passus est. « Comedit enim, » inquit, Israël, et satiatus est, et recalcitravit dilectus : » incrassatus est, impinguatus est, dilatatus est, et dereliquit Deum factorem suum [1]. » Si vero rursus, ut rem aliquam obstineas, oraveris : ne hanc quidem præcise accipere postules. Fit enim, inquam, plerumque, ut tu homo cum sis, aliquid tibi expedire existimes, quod frequenter non expedit. Si porro, relicta voluntate tua, voluntati ipsius morem gerere malueris, et secundum eam pergere, securus eris. Ipse enim, qui omnia præscivit ante quam fierent, pro benignitate sua, ac mansuetudine nos disponit et dirigit. Latet enim nos, an expediat nobis, quod postulamus sæpe. Nam sæpe plurimi cum jam consecuti essent quæ petierant, postea pœnituit eos, crebroque in clades plurimas et maxima mala inciderunt : cum non quæsissent sedulo, an secundum voluntatem Dei esset quod postulabant, sed id bonum esse arbitrantes, sæpe a diabolo illusi sunt, sub justitiæ cujusdam specie atque prætextu seducti, et in pericula ingentia præcipitati. Atque ejusmodi plerumque

[1] Deut. XXXII, 15.

rebus etiam pœnitentia adjuncta est ac dolor, dum quisque ita cordis concupiscentiam atque desiderium sequitur. Audi denique Apostolum dicentem : « Nam quid oremus, » sicut oportet, nescimus [1]. » Et rursus : « Omnia mihi li- » cent, sed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, sed » non omnia ædificant [2]. »

X. Quid igitur nobis expediat, et unumquemque nostrum ædificet, ipse novit. Hoc autem ideo voluntati ejus relinquendum committendumque statuo, non ut te postulare ab eo prohibeam quæ cupias ; imo precor, commoneoque, ut a minimis usque ad maxima a Deo tuo postules; verum ut cum oraveris et coram eo quæ sunt in corde tuo exposueris, dicas ei : « Verumtamen non mea voluntas, sed » tua fiat [3]. » Si quod peto expedit, fac sicut ipse nosti : Sic enim scriptum est : « Revela, inquit, Domino viam » tuam, et spera in eo, et ipse faciet [4]. » Videte autem et Dominum nostrum Jesum Christum sub dispensatione assumptæ carnis orantem et dicentem : « Pater, si possibile » est, transeat a me calix iste : verumtamen non sicut ego » volo, sed sicut tu [5]. »

XI. Idcirco, mi frater, si ab eo aliquid deposcas, persiste in petitione tua, revelans ipsi, ac dicens : « Domine, si voluntas est, ut fiat hæc res, tu eam fac. Sin autem tua non est voluntas, ne fieri permittas Deus meus. Ne propriæ me tradas concupiscentiæ meæ. Tu enim scis insipientiam meam. Ne ergo tradas me consilio meo et insipientiæ meæ, verum sicut tu optime nosti, pro tua mansuetudine me rege ac dirige. » Si autem pro tribulatione et pro cogitationibus oraveris, dicito : « Domine, ne in furore tuo arguas me, » neque in ira tua corripias me. Miserere mei, Domine, » quoniam infirmus sum [6]. » Vide quid ait Propheta : « Sed

[1] Rom. VIII, 26. — [2] 1 Cor. VI, 12, et X, 22. — [3] Matth. XXVI, 39 et 42. — [4] Psal. XXXVI, 5. — [5] Matth. XXVI, 39. — [6] Psal. VI, 2.

» respice, Domine, et vide : quia terra sum ac pulvis, et » cinis, nihilque sustinere valeo [1]. » « Ne tradas me, Domine, » peccatis meis, et ne sileas a me, et assimilabor descen- » dentibus in lacum [2] : sed da gloriam nomini tuo [3], » im- » memor malorum, et ne, obsecro, memineris peccatorum » meorum : sed tuarum recordare miserationum, et exaudi » me [4]. Et, si possibile est, transeat a me tribulatio ista : » verumtamen non sicut ego volo, Domine, sed sicut tu vis. » Tantummodo confirma animam meam atque tuere, ut sustinere queam, gratiamque coram te inveniam, et in præsenti et in futuro sæculo. » Et jacta super ipsum curam tuam, et ipse faciet quod expedit tibi. Hoc enim scito, quia bonus benignusque cum sit, omnia vult, quæ sunt salutis nostræ. Ideo quippe animam suam posuit pastor bonus pro ovibus suis. Ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO

De quibusdam interrogationibus.

I. Quæ discendi cupidi interrogastis, breviter ac compendiose dicturus sum : quoniam absque timore Dei, perfectaque patientia præclare aliquid geri, et ad optatum finem deduci, impossibile est. Apostolo dicente : « Patientia » vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, repor- » tetis promissionem [5]. » Ipseque Dominus Discipulos suos instruens, sic ait : « In patientia vestra, possidebitis animas » vestras [6]. » Et rursus : « Qui autem perseveraverit usque in

[1] Psal. xxiv, 16. — [2] Id. xxvii, 1. — [3] Id cxiv, II, 1. — [4] Id. lxxviii et lxxx. — [5] Hebr. x, 36. — [6] Luc. xxi, 19.

» finem, hic salvus erit [1]. » Non enim definivit, ad hoc vel ad illud usque tempus : sed, qui in finem perseveraverit, hic salvabitur. Neque enim in principio cognoscitur finis, sed in ipso fine fructus invenitur. Quamobrem fini principium conjungite : ut in fine invenientes victoriam, reportetis promissiones. Sanctificatio etiam nobis sit curæ : siquidem hoc potissimum requiretur a vitæ monasticæ sectatoribus. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi; ne et nobis dicatur a Domino : « Omnia sua opera faciunt, ut vi- » deantur ab hominibus : dilatant enim phylacteria sua, et » magnificant suas fimbrias. Amant autem primos recubitus » in cœnis, et primas cathedras in synagogis. Et saluta- » tiones in foro, et vocari ad hominibus, Rabbi [2]. » Simus itaque humiles, in verbo, in opere, in conversatione, ut gratiam inveniamus apud Dominum; quandoquidem humilitas grata est Deo.

II. Novi fratrem in Domino, qui quodam in loco quietam ducebat vitam, sub magna obedientia. Acciditque illo in loco fratrem divexari ab impurissimo dæmone : atque hic quietum illum, atque optimum monachum appellans, exclamare cœpit, ac dicere. Erat autem in conventu, sub custodia juniorum. Ille vero, adversus quem vociferabatur dæmonium, in sua cella desidebat. Ut autem præfectus multam cacodæmonis agitationem conspexit, accersendum curat fratrem illum, ut patienti deserviat : qui adventans, offendit ægrotum nonnihil relaxatum. Et dum cum eo colloquitur, repente ab impuro obsessus dæmone, incœpit exclamare ac dicere : « Tu iterum huc male per malam venis viam : mali sunt tui occursus; mala si dixeris, mala etiam audies. Primumque tu me ejecisti, atque ligasti per humilitatem tuam. » Rursusque ad eum dæmon : « Ne extollaris, bone vir, ne, quæso, extollaris : visitandus enim mihi et tu

[1] Matth. x, 22, et xxiv, 13. — [2] Id. xxiii, 5-7.

eris, nisi humilitate tua protegaris, nam ea et nunc ego crucior, impugnorque.» Quod si igitur ipsi quoque dæmones, quantumvis inviti, confitentur se nihil cum humilitate posse, sed eam timere atque formidare, quare nos tantam illius dignitatem adeo parvi facimus? Etenim signum ex ea resplendet spiritale, quod superbi dæmones tolerare nequeunt. Domino dicente : « Discite a me, quoniam mitis » sum et humilis corde : et invenietis requiem animabus vestris [1]. » Nos vero ad ipsum dicamus : « Tibi gratiarum actio, Domine, universorum regi et Deo, quia factus es nobis via salutis. Tu, Domine, etiam dæmones refrenas, et eruis ex omni malo in te sperantes. » Pro me porro non desistatis precari, ut apud Dominum invenire merear misericordiam, quando angustiæ illæ me obsederint, et mortis suffocatio : et non confundar, quando revelaverit Dominus abscondita tenebrarum, manifestaveritque consilia cordium. Væ confusis, in horâ illa. Dominus autem Deus omnipotens, qui scrutatur omne verbum, vestri pariter ac nostri misereatur, secundum multitudinem miserationum suarum : singulorumque nostrorum nomina inscribenda curet in regno suo cœlesti. Quoniam ipsi gloria, in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Matth. XI, 29.

S. P. N. EPHRÆM
SYRI
OPERUM.

CLASSIS XIV. — EPISTOLÆ.

EPISTOLA I

AD JOANNEM MONACHUM.

De patientia : et de cavendo, ne quis decipiatur cogitationibus prætextu justificationum : neque dicat : « Tanquam pastor incedo : » et de temperantia.

I. Variis licet adhortationibus cum religiosissimo Theodoro egerimus, ne a suo recedat loco persuadere tamen valuimus. Dixit autem ad nos ille : « Si voluntas juvandi me, animamque meam secundum Deum salvandi affuerit, in monasterium tuum ablega me. » Cui respondi : « Ex quo monasterii curam fratri Joanni commisi, illo inconsulto, mandare alicui nequeo. Et nunc quidem bene egisti, prædictum fratrem suscipiendo. Nam ut rediit, nobis qua cum compassione exceperis, renuntiavit ; cum et tales oporteat in veneratione habere, qui supra patrem et matrem, fratres et sorores, uxorem et filios, cognatos atque amicos, diligunt Dominum. Recte vero agis, exemplum bonorum operum te ipsum præbens, et potissimum fratri-

bus, qui tecum habitant, secundum eum qui dicit : « A me » videbitis, et sic facietis. » Et beatus Paulus apostolus adhortatur, dicens : « Imitatores mei estote, sicut et ego » Christi [1] : » Ut quibus sermo plenam fidem non facit, opus ipsum persuadeat. Spiritualia vero ministeria ne contempseritis, neque corporalium necessitatum prætextu synaxim vestram neglexeritis. Eloquia enim De meditata et suaviter decantata animam nutriunt atque tuentur: corpus autem custodiunt instituuntque : dæmones repellunt, et summam animæ tranquillitatem generant.

II. Porro de tentantibus ea, quæ mensuram ac modum excedunt, incurrentibusque in pericula gravissima, commonefacere vos volo : « Non plus sapiendum esse, quam » oportet sapere, sed sapiendum ad sobrietatem [2]. » Rursusque alibi dicit Scriptura : « Noli esse justus multum, » neque plus sapias quam necesse est, ne obstupescas [3]. » Accidit enim diebus hisce nostris, quosdam fratres, relictis suis cellis, in terram desertam, infructuosam, atque inaquosam se contulisse : sæpe autem licet a patribus ac fratribus admoniti, non paruerunt, dicentes : « Nos ut pastores discedimus. » Et ut sese in aridissimam solitudinem impulissent, videntes jam se intra desertam terram conclusos, cœperunt vehementer discruciari : incipientesque ad loca, quæ incoluntur, redire, nequiverunt se ex difficillima eremo subducere et expedire; neque enim illud facile erat intra interiora deserti versantibus. Valde igitur per inediam, sitim, æstumque afflicti jacebant, animum dejicientes. Divina vero providentia disponente, frigore pereuntes, ab aliquibus ibi reperti sunt, qui eos propriis jumentis impositos, ad loca habitationum reportarunt : alii etiam ibi mortui sunt, et a volucribus ac feris corpora eorum

[1] Judic. VII, 17. — [2] I Cor. IV, 16, et XI, 1. — [3] Rom. XII, 3. — [4] Eccl. VII, 17.

devorata sunt. Qui autem evaserunt salvi, longo tempore infirmi remanserunt; deincepsque ipsa experientia cognoverunt nihil absque consilio faciendum. Nam multi contumacia atque temeritate cogitationum ducti, in terram infructuosam, et inaquosam progressi, violentam sibi ipsis mortem intulerunt. Alii vero sub obedientia vivere nolentes, unanimitatemque in ministrando recusantes, in idem se periculum conjecerunt. Alii sui consilii complacentia decepti, laudem ab auscultantibus captantes, pastores, ut aiunt, effecti sunt : intentos autem labores non cogitantes, iisdem se periculis implicuerunt. Non igitur oportet, charissime, sine prudentia propriis abduci consiliis : quin potius decet unumquemque proprio se metiri modulo, et proximo in charitate Dei humiliari. Si quis autem existimet se perfectam adeptum esse virtutem, passionibus superiorem esse, et in cupiditates dominari; ne sic quidem sibi ipsi confidat; ne forte in ipsum dicatur quod scriptum est : « Rex temerarius incidet in mala; Angelus autem lucis liberabit eum [1]. »

III. Sed forte præteriens quis dixerit : « Quomodo invenimus aliquos sanctorum Patrum hanc excoluisse virtutem ? » Convenit itaque nos etiam ex sanctorum Patrum vitis afferre testimonia, ut aperte ostendamus nihil temere, vel casu, inconsiderateve sanctos Patres egisse. De abbate Macario narratur, quod sic diceret : « Considens, inquit, in cella mea, exercebar ut monachus, dum interim mihi molestiam cogitationes exhibebant, dicentes : « Abi in interiorem eremum, et vide quid ibidem cernes : » perstitique in pugna cum cogitatione annos quinque, cum dicerem, ne forte id a dæmonibus mihi suggeratur. » Perspicis prudentiam sancti viri ? Numquid abduci se passus est, aut præceps accurrit ? Numquid cogitationem admisit ? Minime

[1] Prov. XIII, 17.

vero : sed perseveravit examinans, jejunans, vigiliis precibusque vacans, ut id ne forte ex dæmonibus esset, cognosceret. Cæterum nobis dum cogitatio aliqua se ingerit, contineri non possumus, et efferamur ; et non modo non discutimus, sedulo orantes, sed neque ab aliis admoniti obedimus ; unde facile ab adversario capimur. Deinde cum persuaderet, inquit, cogitatio, egressus in eremum, invenit ibi lacum, insulamque in medio ejus, et accedebant jumenta ut biberent ex illo ; aspexitque duos homines nudos in medio ipsius. Sub hæc ut locuti sunt inter se, dixit abbas Macarius ad illos : « Quomodo fieri potero monachus? » Et illi ad eumdem : « Nisi quis renuntiaverit omnibus, quæ in mundo sunt, non poterit fieri monachus. » Ad quos ipse : « Ego, inquit, infirmus sum, et non ita valeo ut vos. » Cui illi : « Si nequeas, ut nos, sed in cella tua, et peccata tua defleas. » O humilitas divini viri ! O prudentia insignis virtute animæ : qui tot ac tantis præclare factis excellebat, non judicavit se ipsum ejumodi re dignum ; sed ait ad eos : « Ego infirmus sum, et non ita valeo, ut vos. » Nos autem neque persecutione ulla invadente, neque a quoquam impulsi, temeritate et propria quadam complacentia ducimur, aggredientes ea, quæ mensuram ac modum superant, tanquam Dominum Deum tentantes, quod est horribile. Væ autem homini, qui propriis confidit ac nititur viribus, vel exercitatione, sive industria ; neque in Deo spem omnem reponit suam : ab illo enim solo potestas et robur.

IV. Et cur non oculos demittimus in vitam abbatis Antonii ? Et ipsum cuncta ex divina egisse revelatione comperiemus. Verumtamen ipse quoque nonne in monasterio vivebat ? Nonne indumentis utebatur ? Nonne pane vescebatur ? Nonne propriis manibus laborabat ? Nonne discipulos habebat, qui quidem etiam mortuum ipsum de-

flebant ac sepeliebant? Neque vero solum ipse beatus Antonius hoc vitæ instituto usus est, sed et reliqui Patres, qui religiosam vitam duxerunt: qui hortabantur et solabantur ad se venientes, per quos signa et curationes exhibebat Deus. Tanquam enim lucernæ quædam claræ, virtutibus coruscabant. Horum vitam ac mores, etiam nos regia via incedentes, æmulemur, non declinantes neque in dexteram, neque in sinistram. Demus ergo operam quieti, jejunio, vigiliis, orationibus, lacrymis, conventibus ad res divinas celebrandas, labori manuum, conversationi cum sanctis Patribus, obedientiæ veritatis, et auscultationi divinarum Scripturarum: ne mens nostra sylvescat, et inculta squalidaque reddatur. Potissimum autem participatione nos sanctorum et immaculatorum mysteriorum dignos exhibeamus; ut mente nostra enascentibus infidelitatibus, sordidisque cogitationibus purgata, inhabitans in nobis Dominus liberet nos a maligno. In cunctis autem veram atque sinceram charitatem ad invicem, et in omnes sectemur: nam ex primo comparat sibi quis malum vel bonum. Non enim mendax est, qui dixit: « Quod uni » ex his fratribus meis minimis fecistis, mihi fecistis [1]. » Ad eos autem, qui pietatis viscera clauserant, dixit: « Quandiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fe» cistis. Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in » vitam æternam [2]. » Antiqui vitulos, agnos et arietes, cuncta immaculata, in sacrificium Domino offerebant [3]: at nos proprium corpus Domino offeramus in Spiritu sancto, non polluentes hoc rebus vetitis, aut aliqua cogitatione contaminantes; ne reprobetur sacrificium nostrum.

V. Quo pacto autem comparare oporteat sanctitatem, suffecerit mentem sobriam ac vigilantem habentibus re-

[1] Matth. xxv, 40. — [2] Ibid. 45, 46. — [3] Levit. I, III et IX.

cordatio Dei, cujus radii cor omne illuminant. Qui vero mente adhuc infirmi sunt, aliquibus indigent exemplis, quibus ad imitandam excolendamque eamdem virtutem excitentur. Sit ergo nobis exempli loco tale. Qui secundum mundum strenuos se præbent in bellis, imagines sumunt, in parietibus et tabulis belli historiam describentes : ut quomodo hi quidem sagittis feriant, alii vulnera infligant, quidam fugiant, alii incursiones faciant, alii adhibitis gladiis, spicarum instar adversarios decutiant. Atque hæc agunt ad æmulationem posterorum, et commemorationem eorum, qui rem fortiter in bello gesserunt adversus hostes repugnantes. Alii vero Sanctorum quoque certamina in domesticis oratoriis, ad imitationem videlicet ignavorum cordium, et oblectationem spectatorum, depingunt. Sic ergo satagite, quasi et nostra vita describenda sit, et in sublimi collocanda, ut omnibus sit conspicua : quinetiam excolendæ virtuti operam demus, ne quid vituperio dignum, atque absurdum inseratur imagini. Turpissimum enim revera est, spectare virum in imagine cum fœmina inhoneste versantem, et præsertim ex iis, qui videntur habitum pietatis assumpsisse. Si vero et cum masculo, secundum eum, qui dixit : « Masculi in masculos turpitudinem » operantes [1] : » quis tandem oculos in imaginem defigere auderet? Fugiendum vel ipsum quoque spectaculum. Si autem cum tali ignominia præ pudore stupidi, spectari ab aliis nolumus, prorsus, divina cooperante gratia, turpes passiones effugiamus, veræque virtutis studium curemus; ut compositio et structura historiæ, quæ de nobis est futura, præclara et honesta fiat, quæ ad bonam æmulationem excitet sua pulchritudine obvios quosque, nihilque in ea deforme, minusve virtuti conveniens imprimamus.

VI. Etenim Sodomitarum historia indelebilis est [2], in

[1] Rom. I, 27. — [2] Gen. XVIII et XIX.

medium producens, quomodo Justi domum circumdederint homines intemperantes ac flagitiosi, donec cæcitate percussi, ignisque imbre combusti, et in cinerem redacti essent ipsi cum terra sua, in qua nefandas commixtiones exercuerant. Horum historiam tanquam imaginem quamdam horrore plenam proposuit uniuscujusque nostrorum conscientiæ Creator noster Deus : ut ad exemplum hujusmodi respicientes, improborum commercia declinemus. Qui autem cæcutientes, propositam nobis historiam prætereunt, facile in voluptatum barathrum præcipites ruunt. Tu autem defixam tene in hujusmodi cogitatione mentis aciem, ut metu turpissimas passiones elidas, urentesque voluptates expectatio iræ immarcescere faciat. Quis enim divinam iram cernens, non trepidet, consterneturque animo, nisi forte oscitabundus, atque aliud agens ista consideret? Ego vero ignavus particulas hujus historiæ singulas attentius contemplatus, ingemui, vultuque in genua deposito, flevi. Quo enim pacto vere formidabile non erit mundo cordis oculo intuentibus vehementissimum ignis illius fluxum, terramque, dum torreretur, et incolas instar ceræ fumique liquescentes? Annon poterunt hæc eorum, qui antea supplicio sunt affecti, exempla vel lapideam animam emollire? Frequentius itaque, imo potius assidue ad ejusmodi historias intente respiciamus; ut potiorum studio, experientiam prædictorum fugiamus. Nam auget audaciam negligentia : ex utraque vero consuetudo conflatur. Qui autem habitum sibi mali acquisiverunt, exitum ægre invenire possunt : cum habitus is ad abolendum spiritalem fructum semper irrepat. Ex adverso, velut in imagine recordemur illius Ægyptiæ, quomodo ad se attrahere conata sit pium Joseph [1]; ipseque quo pacto etiam vestem suam reliquerit, ut scelus effugeret. Rursusque mente contem-

[1] Gen. XXXIX.

plemur tanquam in imagine senes illos babylonicos, quomodo ad turpitudinem beatam Susannam compellere studebant [1] : ipsa autem pia et virili cogitatione adhibita, istos deturbaverit. Sic ergo et nos sincere certemus, maxime persuasi, quia « Nihil occultum quod non revelabi» tur [2] : » ut si qua virtus, et si qua laus, hac de nobis circumferantur : ut simus inter eos, qui laudantur, et non inter illos qui vituperantur.

VII. De iis porro, quæ quæruntur, et quo pacto conversari oporteat cum fratribus, et complacere Deo viventi ac vero, vobis pro nobis orantibus significabimus, divina nos adjuvante gratia. Sit autem intra nos et vos Dominus, fons vitæ. qui gaudium, pacem, sanctificationem, et spem bonam pluit super quærentes eum in veritate. Saluta fratres, qui tecum sunt : salutant te qui hic sunt fratres.

EPISTOLA II

SIVE HYPOMNISTICUM.

I. Omni hora mente revolvo visionem, quam mihi recensuisti, frater : ideo dignam vocatione tua vitam agere contende, ut militiæ duci placeas. Tuam enim novi promptitudinem, et in Deum zelum. Idcirco tibi suadeo jam propositum habenti. ac salvari studenti, nondum tamen experientiam vitæ religiosæ possidenti, ut sanctorum perfectorumque fratrum, ac patrum vestigia persequaris, et ab iis discas, quemadmodum Dei servum versari oporteat. Quod tibi etiam semper dicebam, ut singulorum perspecta conversatione, bonum vitæ imiteris institutum, attendens quomodo

[1] Dan. XIII. — [2] Luc. XII, 2.

quilibet pietate instructus, ad supernæ vocationis bravium contendat; considerans quoque diligenter hujus perfectam exactamque fidem, alterius spem in Deum, illius vero duplicem charitatem, in Deum et in proximum, et quo pacto alius in timore Dei suam custodiat animam, ab omni re mala cavens sibi, vitamque inculpatam atque irreprehensibilem degens atque adeo qui ab omnibus ob puram et immaculatam vitam laudatur. Multi enim reperiuntur ejusmodi, de quibus tibi asserebam attendendum iis esse, et non mihi pigro atque inerti. Hos ergo imitare, qui quidem in medio vestrum sunt, velut luminaria quædam : et quomodo nonnulli dum variis passionibus ab hoste impugnantur, per orationem ad Deum confugiunt, adhærentes ei per compunctionem et desiderium, gratiæque auxilium accipientes, absurdas immundasque cogitationes vincunt, factorum pœnitentia ducti, multoque fletu ac lacrymis suspiriisque mœsti sua lugent peccata : confitentes Deo per orationes atque vigilias ; affligentes se in jejunio, temperantia, atque tribulatione, iisque armorum generibus salvari enitentes.

II. Strenue igitur et tu decerta usque ad mortem, tanquam verus miles. Non enim res est ludicra religiosæ vitæ exercitatio, fili : verum multa diligentia opus est, ut salus animæ curetur. Idcirco ne unam quidem præterivi virtutum, scripto tibi per epistolam hæc ipsa mittens ; ut ne dicas : « Non noveram quid esset agendum. » Sic igitur enitere, omni gravitate atque prudentia tempus vitæ tuæ transigere, ut Deo placeas et hominibus. Si enim ita te gesseris, perfectam singulorum considerans renuntiationem, religiosumque in Deo vitæ institutum ; facile te ipsum ad virtutum celsitudinem evehere poteris; conspiciens quorumdam voluntariam paupertatem, quomodo relictis omnibus, conantur ubique mentem suam tranquillam

reddere, ut sine ulla distractione in orationes incumbere queant, et non sit illis cogitatio aut cura, quæ ipsos retrahat ab oratione, vel lacrymis, aut fervore, perfectaque in Deum charitate. Nosti enim tu quoque, dilectissime, si quis cum desiderio et lacrymis puro corde precatur, mente sua tanquam speculo contemplari Deum. Idcirco per inopiam ac paupertatem magnamque angustiam quilibet ad promissa justis bona properat : « Angusta est enim » porta, et arcta via, quæ ducit ad vitam [1]. »

III. Quapropter hanc tibi viam demonstro, quam ego nondum sum ingressus, ut illi insistens, sanctorum imiteris conversationem, aliorum quidem pietatem, aliorum peritiam, aliorum rectum in precibus rebusque omnibus ordinem, aliorum humilitatem, aliorum honorem, et alios quidem sui ipsorum accusatores; alios se ipsos pro nihilo habentes atque abjicientes; aliorum studium atque diligentiam; aliorum quietem ac silentium; aliorum mansuetudinem; aliorum patientiam et longanimitatem; aliorum clementiam et benignitatem; aliorum mores pacificos; aliorum vitam amabilem; aliorum concordiam et consensionem; aliorum intellectum atque judicium; aliorum prudentiam; aliorum sobrietatem ac vigilantiam; aliorum sapientiam; aliorum in consilio dando dexteritatem; aliorum discretionis virtutem; aliorum mystica quædam atque arcana; aliorum hilaritatem; aliorum mores gratiosos; aliorum affabilitatem; aliorum in reconciliando facilitatem; aliorum in condonando ac venia danda clementiam; aliorum fortitudinem; aliorum audaciam, atque fiduciam; aliorum certamina; aliorum obedientiam; aliorum in opificio industriam ac diligentiam; aliorum in aliis laudandis benignitatem; aliorum promptitudinem, atque alacritatem; aliorum in fratres obsequium; aliorum zelum atque æmulationem; aliorum fervo-

[1] Matth. VII, 13.

rem; aliorum submissionem; aliorum perfectam vitæ abdicationem, et se ipsum crucifigentis instar quotidie mortem obeuntium; aliorum patientiam et tolerantiam; aliorum robur; aliorum veritatem; aliorum confidentiam; aliorum in arguendo libertatem; aliorum lucidam et conspicuam cunctis vitam; aliorum sedulitatem; aliorum in agendo solertiam; aliorum disciplinam; aliorum temperantiam; aliorum sanctimoniam; aliorum puritatem; aliorum virginitatem: aliorum castitatem; aliorum spiritualem vivendi rationem. Et hujus quidem considera eleemosynam; illius in ope ferenda virtutem; hujus benignitatem, illius bonitatem; hujus commiserandi studium, illius clementiam; hujus fraternum amorem, illius pro beneficiis acceptis gratum animum; hujus restituendi compensandique virtutem, illius æquabilitatem; hujus rectum judicium, illius ad ignoscendum facilitatem; hujus æquitatem ac probitatem, illius compassionem; hujus in hospites amorem, illius integritatem; hujus innocentiam, illius imperturbabilem animum; hujus sinceritatem, illius virtutem qua est paucis contentus; hujus moderationem, illius gratitudinem; hujus simplicitatem, illius in consolando gratiam; hujus in adhortando vim, illius in ægrotis invisendis charitatem; hujus rectitudinem, illius in admonendo donum; hujus continuas orationes et Psalmorum decantationes, lacrymarumque rivos, et, ut uno verbo dicam, cunctorum divinam vitæ rationem atque institutum.

IV. Cum igitur in medio tanti thesauri habites, ditari stude, cum virginibus prudentibus vitam agens, ne inter fatuas annumereris [1]. Et cum tanta habeas luminaria, quæ tuos singulis diebus ac noctibus oculos illustrant, in illorum lumine ambula, vestigiisque eorum insiste, ut cum ipsis in æterna ingrediaris tabernacula. Propera gressibus

[1] Matth. xxv.

istis, ut aliquos eorum assequi possis. Posse autem te scio, modo velis. Succinge ergo lumbos tuos, lampademque justitiæ accende, ac Dominum tuum expecta, ut ad ejus occursum inveniaris paratus. De his ad te non cessabo perscribere : scio enim te, quæ justa sunt ac rationi consentanea, libenter audire. Quare attende tibi ipsi, et certa usque ad mortem, ut custodiaris et conserveris, utque cum fiducia et gaudio obviam immortali eas sponso. In honore ac pretio virginitatem habe, et te in cœlestem thalamum introducet. Idcirco dixit Apostolus : « Despondi » vos uni viro virginem castam exhibere Christo [1]. »

V. Nunc ergo, charissime, sanctorum virorum virtutes descripsi tibi ; descripsi etiam insidias adversarii, ut ex ipsius liberatus laqueis, animam tuam salvare queas. Nolim autem mihi respondeas : « Monasterium ingressus sum, et habitum angelicum gesto. » Non modo enim homines, verumetiam Deus ipse non externo delectatur habitu, sed bonorum operum fructus exquirit. Consiste igitur instar arboris floridæ, fructusque tuarum custodi virtutum : ne superbiæ vermis subrepens, fructum tibi labefactet humilitatis : ne mendacio tibi subripiatur veritas ; ne inanis gloria tibi pietatem atque religionem obumbret ; ne mansuetudinem tuam iracundia abripiat ; ne longanimitatem tuam excandescentia evacuet ; ne pacem tuam pugna devastet ; ne amicitiam simultas impediat ; ne injuriarum memoria penitus charitatis reconciliationem extirpet ; ne contumelia honorem deperdat ; ne contentio concordiam dirimat ; ne quietem atque silentium perturbatio commoveat ; ne jejunio gula obsit ; ne temperantiam inexplebilis edendi aviditas excindat ; ne diligentiam ignavia subvertat ; ne somnus vigiliam sopiat ; ne acedia promptitudini atque alacritati gravis sit ; ne pigritia ministerium prohibeat ; ne subjectionem

[1] 2 Cor. XI, 2.

murmuratio depellat; ne obedientiam inobedientia excludat; ne psalmodiam verba otiosa superent; ne Dei laudes scurrilitas vincat; ne luctum risus opprimat; ne indulgentiam nimia severitas inutilem reddat; ne pudicitiam fornicatio corrumpat; ne fidem incredulitas evacuet; ne avaritia voluntariæ præferatur paupertati; ne parentes plus quam Christum diligas; ne ex mundo majorem, quam ex regno cœlesti voluptatem capias; ne tibi divitiæ paupertatem improperent; ne linguam tuam obtrectatio irritet; ne te calumnia fratricidam efficiat; ne susurratio tuam animam inquinet: ne te in aliquem invidia configat; ne dolus tuus puritatem cordis polluat; ne bonis te privet simulatio; ne proditorem te reddat calumnia; ne punitionem tibi falsum conciliet testimonium; ne te a cœlesti alienum reddat regno furtum; ne paradisum tibi occludat injustitia; ne tuum hominibus complacendi studium ossa dissipet; ne personarum acceptatio libertatem tibi præcidat; ne te voluptatis amor a divino amore abstrahat; ne compunctionem tua obscuret concupiscentia; ne tua voluptas amorem ac desiderium in Deum hebetet; ne te edendi delectatio deliciis paradisi spoliet.

VI. Ne hominem asperneris, ne et ejus creatorem exacerbes. Ne importune conqueraris, ne in condemnationem ipse incidas. Ne ulli exprobres : quid enim tibi accidet, ignoras. Ne corde extollaris, ne cadens, tibi ipsi ignominiam inferas. Cave ne confidentia mansuetudinem ac moderationem abscindat; neque timiditas audaciam opprimat; nec contemptio tuum timorem disperdat; nec te mentis occupatio a cæterorum conventu comitatuque sejungat; neque animum mentis elatio atque distractio vulneret. Non ex auditu animam commacules. Non conjungaris improbis, neque cum iis consilium inieris; ne forte malitia tuæ innocentiæ atque simplicitati tenebras offundat, neve nequi-

tia tuam vincat bonitatem. Ne invidia animum tuum perturbationibus vacuum superet. Ne sis procax atque petulans, ne odiosus reddaris omnibus. Ne tibi flagella conciliet pertinacia. Ne des relaxationem aliquando carni tuæ, ut tuam non aggravet animam. Ne te maledicendi studium a laudandis proximis abripiat. Ne desperatio te secludat a pœnitentia, neque a cœlis te divellat vita desidiosa. Non tibi thesaurum propria effringat gloriatio, neque tua secreta divulget jactantia. Ne obtrectatio quempiam tua causa obnubilet ; nec tenebras tuo offundat intellectui insipientia, nec tuam stultitia prudentiam obscuret. Non tuæ dominetur menti dementia : non tuam discretionem alteret indiscretio, aut aliud vetitorum, te non sentiente, in corde subeat, ac te a cœlorum regno captivum abducat. Cæterum sobrius esto, et sicut scriptum est, in lege Domini meditare die ac nocte[1] : quoniam non cessat impugnare nos die noctuque inimicus : ne forte mentem tuam a meditatione præceptorum Dei inveniat otiosam, suaque superseminet zizania, reddatque novissima pejora prioribus[2]; ne hic terrenis priveris, et ibi cœlestium jacturam facias. « Nemo enim manum suam ad aratrum mittens, et retro » respiciens, aptus est regno Dei[3] : nullusque militans, im» plicat se rebus sæcularibus[4], » ut militiæ præfecto placeat. Mundum ergo deserens, ac Christum sequens, sic curre, ut apprehendas : neque declines in dexteram aut sinistram, id est, in unam aliquam ex antea descriptis perturbationibus; ne in peccati præcipitium corruens, moriaris anima : sed per regiam divinorum præceptorum viam currens, ad regnum cœleste recta incede; simulque pro me peccatore ora, ut et ego licet indignus, Sanctorum particeps factus, vobiscum merear æternis bonis perfrui, in Christo Jesu Domino nostro.

[1] Psal. I, 2. — [2] Matth. XII et XIII. — [3] Luc. IX, 62. — [4] 2 Tim. II, 4.

VII. Hæc tibi, charissime, perscripsi, non quod ego ista vitaverim; sed ut ipse vitans, Deo sis acceptus et charus. Ait enim Dominus: « Qui credit in me, opera quæ ego facio, » et ille faciet[1]. » Ac de te mihi persuasum, charissime, habeo, quod progenitoribus tuis majora ages, si, ut accepisti, servaveris Ne ergo alienarum te actionum censorem præbeas, sed tuam ipsius vitam quotidie dirigere contende. Singuli enim de propriis actionibus rationem reddituri sumus Deo. Ipse igitur quotidie tuas cogitationes discerne, et tuum sic loquere: « Pietatem-ne, ac religionem colo? Compunctionem habeo? demissionem animi servo? » aliaque jam ante a nobis descripta. Rursus discerne, et intra te dicito: « Nonne parum laboro, bene-ne an male vivam? numquid otiosa loquor? numquid irascor? numquid terrenarum rerum aliquid concupisco? Sicque singillatim suprascripta discernens, malumque detestans, bono adhæreo. « Nemo enim bonus nisi solus Deus[2]. » Qui cunctos salvat gratia sua in Christo Jesu Domino nostro. » Denuntio ergo tibi in Christo, fili, ut hanc observes Epistolam eamque assidue perlegas, rursumque reponas; neque dimittas, donec ipsam perdidiceris. Nam magna tibi diligentia de omnibus virtutibus ac vitiis conscripsi, ut ea assidue mediteris, seduloque conserves. « In quo enim viam suam adolescens » diriget, nisi in observatione sermonum Domini[3]? » Interea perspicua ista perscripsi tibi, ut facile conservare possis. Cum hæc autem perfeceris, tunc mentem tuam pleniari diligentia firmabo, ut sic quoque merearis ad perfectionem pervenire, in Christo Jesu Domino nostro, cum quo Patri et sancto Spiritui gloria et honor in sæcula. Amen.

[1] Joan. XIV, 12. — [2] Marc. IX, 18. — [3] Psal. CXVIII, 9.

[illegible]

S. P. N. EPHRÆM

SYRI

OPERUM.

CLASSIS XV. — PRECATIONES.

PRECATIONES AD DEUM.

PRECATIO I.

« Peccavi in cœlum, et coram te, » Domine Deus omnipotens : « Nec jam sum dignus vocari filius tuus[1], » aut oculos in cœlum attollere præ multitudine iniquitatum mearum, labiisve meis impuris gloriosum nomen tuum invocare. Indignum enim me et cœlo et terra reddidi, quia te Dominum benignissimum ad iracundiam provocavi. Quæso, obtestorque, Domine, « Ne projicias me a facie tua[2], » neque recedas a me, ne peream. Nisi enim me gratia tua protexisset, jam ego periissem, et essem jam « Sicut pulvis » ante faciem venti[3]. » et in nihilum in hac vita recidissem. Ex quo enim viam tuam dereliqui, nullus mihi lætus accurrit dies. Nam qui in peccatis jucundior dies visus est,

[1] Luc. xv, 18, 19. — [2] Psal. L, 13. — [3] Id. xxxiv, 5.

acerbissimorum fuit acerbissimus. Cæterum gratia tua fretus atque confisus, spero te mihi robur ac vires præbiturum, ut saluti meæ consulere possim. Et nunc ad te supplex confugio, rogans, ut me a justitiæ semita devium suscipias et in rectam viam reducas. Effunde in me multitudinem miserationum tuarum sicut olim in filium prodigum effudisti [1] : quia vitam dedecoravi meam dissipatis divitiis gratiæ tuæ. Miserere mei, Deus, et ne memineris mali a me admissi in vita mea, quæ est ad extremam reducta vilitatem. Miserere mei, sicut olim peccatricis, publicani, et latronis misertus es. Illi enim cum in terra viverent, ab omnibus spernebantur : at tu illos suscipiens, paradisi deliciarum incolas fecisti. Suscipe igitur et meam inutilis servi tui pœnitentiam : nam et ego apud cunctos despectus sum. Venisti enim, Domine, non ut justos, sed ut peccatores ad pœnitentiam vocares. Quia te decet gloria in sæcula sæculorum. Amen.

PRECATIO II.

Deus juste, et laudabilis, Deus ante sæcula, exaudi peccatorem virum hora ista. Exaudi me Deus, exaudi me in tua fortitudine : et ne recorderis, in hac mea precatione, perpetuarum prævaricationum meæ parvitatis. Exaudi me Domine, exaudi me in oratione ignita, sicut olim Prophetam tuum exaudisti. Etiam Deus sanctarum Virtutum, etiam incorporeorum creator, etiam, Domine, qui dixisti : « Petite, et accipietis : » ne, quæso, me impuritate labiorum pollutum, et in peccatis conflatum averseris. Exaudi me, qui te exauditurum promisisti omnes, qui in veritate invo-

[1] Luc. xv.

cant te : et gressus servorum tuorum, ac pedes eorum in viam pacis dirige. Indulge simplicibus servis hic peregrinantibus, qui dixisti : « Simplices estote, sicut columbæ. » In toto corde meo ad te clamavi Deus : Deus exaudi me, spes omnium finium terræ, et longe peregrinantium. Increpa cunctos spiritus immundos, ut a conspectu tuorum famulorum recedant. Apprehende arma et scutum, et exurge in adjutorium ipsorum. Effunde frameam, et conclude adversus eos, qui persequuntur ipsos. Dic, obsecro, Domine, Domine, animæ ipsorum : « Salus tua ego sum. » Retrocedat a mente illorum spiritus timiditatis, spiritus tædii, spiritus superbiæ, omnisque malitiæ, et restinguatur quodcumque eorum incendium, diabolica arte constructum. Illuminetur corpus, et anima, ac spiritus ipsorum, lumine cognitionis tuæ : ut occurrentes in unitatem fidei, et agnitionis, sanctæ et adorandæ Trinitatis, in virum perfectum, in mensuram ætatis, in sæcula sæculorum cum Angelis, et omnibus, qui ab initio complacuerunt Deo, glorificent omni honore dignum observandumque nomen Patris et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

PRECATIO III.

I. Sana me, Domine, et sanabor, qui solus sapiens es et misericors medicus. Tuam ego benignitatem obtestor, sana vulnera animæ meæ, et oculos mentis meæ illumina, ut tuam erga me dispensationem jugiter agnoscam. Et quoniam cor meum, et mens mea insipiens facta est, gratia tua, quæ est sal veritatis, illam condiat. Et quid ad te dicturus sum, o præcognitor futurorum, qui corda et renes

scrutaris [1]? Solus enim nosti, quod sicut terra sine aqua, sitit te anima mea, et desiderat te cor meum [2]. Qui te autem diligit, eum assidue tua replet gratia. Quemadmodum igitur semper exaudisti me, ne nunc quidem meam despexeris deprecationem. Ecce enim tanquam captiva detinetur mens mea, te solum Salvatorem verum requirens. Mitte ergo velociter gratiam tuam in auxilium meum, ut famem meam expleat, sitimque restinguat. Nam te Dominum. qui sine satietate delectas, concupisco. Quis enim te satiari poterit, vere te diligens, lumenque veritatis tuæ sitiens? O dolor luminum, concede mihi postulata mea : exaudi deprecationem meam, et in corde meo instilla vel guttam unam gratiæ tuæ. Incendatur cor meum flamma charitatis tuæ, velut igne sylva condensa; et tanquam spinæ ac tribuli, comburantur cogitationes pravæ. Da autem mihi opulenter et absque mensura, ut Deus homini, et largire mihi ut Rex regum, ac multiplica sicut bonus pater. Quod si forte abjeci, et abjicio gratiam tuam, velut terrenus : tu tamen, qui hydrias benedictione tua implesti [3], gratia quoque tua exple mihi sitim. Et qui quinque millia hominum satiasti [4], de tua etiam benignitate famem mihi, Domine, exple. Annue, obsecro, benignissime, supplicibus famuli tui precibus. Ecce enim aër clarescit, et volucres ob gloriam magnæ tuæ sapientiæ immutant voces suas. Ecce etiam terra universa cujusvis generis florum diploïde absque manibus humanis contexta circumamicta est, duplicique de causa gestit festumque agit : altera quidem propter filium suum primogenitum Adam, quod ad vitam reductus sit; altera vero ob Dominum suum. Ecce et mare tua gratia impletur, ditatque navigantes in ipso. Tua mihi gratia, Domine, præstitit fiduciam loquendi ad te : tuique desiderium, quo flagro, me ad te accedere cogit. Qui ab

[1] Psal. VII, 10. — [2] Id. XLI, 2, 3. — [3] Joan. II. — [4] Matth. XIV.

initio serpens homini exitialis fuit, hoc tempore e terra prodiens, os suum aperit : quanto magis servus tuus desiderio tui flagrans, aperiet os suum in gloriam et laudem divinæ tuæ gratiæ? Qui suscepisti et probasti duo minuta viduæ illius[1], suscipe deprecationem servi tui, et auge orationem meam, et da quod peto, ut templum efficiar gratiæ tuæ, quæ in me habitet : ipsaque, quomodo ei placeam, me doceat, ut in cithara mea sonet cantica compunctionis, lætitiæ plena, mentemque meam quasi freno constringat, ne aberrans peccem tibi, et lumine illo privor.

II. Exaudi, Domine, exaudi orationem meam, et concede mihi, ut vocer in regnum tuum, qui aberraveram; expiatus sim qui impurus fueram; qui eram insipiens, sapiens efficiar, et qui inutilis fueram, utilis sim gregi electorum tuorum ascetarum, omniumque sanctorum, qui tibi complacuerunt. Qui deliciis paradisi fruuntur, ipsi pro me intercedunt, ac te solum benignum interpellant. Exaudi ergo deprecationem eorum, et salva me per intercessionem illorum. Ego vero per eosdem gloriam tibi offeram, quod orationem ipsorum exaudiens, sis misertus mei, et non despexeris deprecationem meam. Tu, Domine, per Prophetam tuum dixisti : « Aperi os tuum, et implebo illud[2]. » Ecce igitur apertum jam est una cum corde os servi tui. Tua illud reple gratia, ut in omni tempore benedicam tibi, Christe Deus Salvator noster. Perfunde cor meum, optime hominum amator, rore gratiæ tuæ. Quemadmodum enim terra licet seminata, nequit a se ipsa fovere germina sine tuæ bonitatis visitatione : ita neque cor meum eloqui poterit beneplacita tibi beneficio gratiæ tuæ, nisi fructificaverit justitiæ fructum. En porro messis alit germina, et arbores diversi generis floribus coronantur : rore etiam gratiæ tuæ perfunde mentem meam, et floribus humilitatis, compunc-

[1] Marc. XII. — [2] Psal. LXXX, 11.

tionis, dilectionis et patientiæ exorna illam. Et quid dicam? Ecce enim oratio mea infirma est, et iniquitates meæ magnæ ac validæ. Peccata mea affligunt me, et infirmitates meæ coarctant me. Tu autem dives es, et bonus, misericors et miserator.

III. Qui aperuisti oculos cæci[1], aperi quoque oculos mentis meæ, ut in tuum decorem semper eos defixos habeam. Et qui aperuisti os jumenti[2], os quoque meum ad laudem tuam et gloriam gratiæ tuæ aperi. Qui verbo præcepti tui posuisti mari terminum, pone etiam terminum cordi meo per gratiam tuam, ut non declinet in dexteram vel sinistram a pulchritudine tua. Qui aquam præbuisti in solitudine populo incredulo atque contradicenti[3], da mihi compunctionem, et lacrymas oculis meis, ut plangam die ac nocte cunctis diebus vitæ meæ cum humilitate, charitate, et puritate cordis. Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo, Domine, et largire mihi ex sancto tuo semine, ut manipulos tibi offeram plenos compunctione. Gloria ei, qui dedit, unde ipsi offeram. Exaudi, Domine, orationem servi tui per intercessionem omnium sanctorum tuorum, qui in omnibus es benedictus in sæcula. Amen.

PRECATIO IV.

I. Hei mihi! hei mihi! Domine, tanta sunt vitia atque peccata mea, ut vix elabipossim. Ultra modum, me miserum vitiis conspurcavi : spontaneo me studio coinquinavi, sponte me maculavi, proprio me arbitrio perdidi; infelix ego graviter deliqui, usu malo districtus detineor : volo agere

[1] Joan. IX. — [2] Num. XX. — [3] Exod. XVII, et Num. XX.

bona, sed desideriis carnis aggravor[1], et ad peccandum consuetudo me prava constrinxit. Hei mihi! hei mihi misero et infelici! in tantis peccatis, in tantis criminibus, in tam multis iniquitatibus constituto, atque involuto! quid primum plangam, quid primum lugeam, pro quibus delictis lacrymas fundam, equidem ignoro. Memorare, Domine, non sufficio tantorum criminum gesta. Succurre mihi Deus meus, antequam moriar, antequam mors me præveniat, antequam tartara me rapiant, antequam tenebræ me involvant; prius quam ad tormenta properem, antequam flamma ignis me comburat, prius quam sine fine crucier: reus terreor pavore peccati; metuo diem judicii, ubi si justus vix salvabitur, ego peccator, et impius ubi parebo[2]? Quid dicturus sum, cum ante tribunal tuum fuero præsentatus? quid faciam, cum ante conspectum tuum venero? Quid respondebo? væ mihi, quia peccavi, quia transgressus sum mandatum tuum!

II. Nullum enim invenitur peccatum, cujus sordibus non sim coinquinatus. Nullus est vitiorum morbus, quo ego miser non sim pollutus. Ut bene viverem promisi, sed quod pollicitus sum, non servavi: semper ad peccandum redii, semper delicta mea iteravi; nunquam in melius mores mutavi; nunquam a malefactis recessi: plurimos etiam coinquinavi, me ipsum perdens; plurimos pravis moribus ad iniquitatem perverti: scelere meo multæ animæ perierunt; exemplis vitæ meæ multi subversi sunt; iniquitate mea, multis causa malorum fui. Orate pro me ad Dominum, viri ac fratres sancti. obsecrate pro me, omnis plebs Sanctorum; si forte misereatur mei Deus; si forte auferat a me iniquitatem meam, et misericordiam mihi præstet. Revertere jam Deus meus; revertere, et non me despicias: neque me perdendum in potestate dæmonum derelinquas.

[1] Rom. VII. — [2] I Petr. IV, 18, et Psal. CXXIX.

Et licet delicta mea sint gravia, tu tamen clemens, tu pius, tu multæ miserationis, nullumque a misericordia tua repellis : sed ultro clementiam tuam profers, et peccatores expectas, ut redeant. Quam multi enim scelerati, quam multi luxuriis dediti, quam multi concupiscentiis sæculi detenti, bonitate tua, Domine, ad indulgentiam pervenerunt : multis vero redeuntibus, gratis veniam donasti.

III. Ostende igitur in me, piissime Pater, clementiam tuam; pateat mihi venia, pateat indulgentia : non abneges, obsecro, uni, quod plurimis contulisti. Scelera mea non defendo : peccatum meum coram te confiteor; displicet mihi quod feci, displicet quod erravi, displicet quod majestatem tuam offendi : peccatum meum accuso, culpam meam agnosco; confessionis reus appareo. Suscipe, quæso, omnipotens Deus, clamorem pœnitentis : audi vocem precantis; exaudi vocem peccatoris ad te clamantis : « Peccavi, Deus, miserere mei : peccavi, Deus, propitius esto mihi peccatori. » Si iniquitates meas, o Domine, recordatus fueris; quomodo sustinebo? Memorare quæ mea substantia : memento Domine, quia terra sum : memorare, quia pulvis et cinis sum. Aperi mihi manum tuam, porrige dexteram tuam, parce malis meis, parce criminibus, indulge sceleribus. Sana animam meam, quia peccavi tibi : Tibi inquam, quem decet omnibus honor, et gloria, in sæcula sæculorum. Amen.

PRECATIO V.

I. Dominator Domine, Deus cœli et terræ, rex sæculorum, complaceat tibi aperire mihi portam pœnitentiæ, quoniam in dolore animæ supplico tibi. Respice propter multam misericordiam tuam, et suscipe deprecationem meam, et ne repellas supplicationem meam : sed parce mihi multis peccatis involuto. Inclina aurem tuam ad preces meas, et dimitte mihi quæcumque veluti homo a sua superatus voluntate commisi mala. Quæro enim requiem, nec invenio, eo quod pollutam habeo conscientiam : sed neque in me pax est, propter multitudinem iniquitatum mearum. Audi, Domine, cor in dolore ad te clamans : et ne attendas ad prava opera mea, sed respice jam dolorem animæ meæ, et sanare me festina acerbis vulneribus sauciatum : et largire mihi tempus resipiscendi secundum gratiam benignitatis tuæ : et libera me a pessimis operibus meis : et ne retribuas mihi secundum ea quæ egi, ne omnino peream, etenim sum omni promptitudine destitutus et mentis alacritate, ut me ipsum corrigam. Procido igitur coram tua clementia, ut mei in terram procumbentis pravorumque meorum operum pondere oppressi miserearis.

II. Revoca me, Domine, captivum detentum ab operibus meis, ac veluti catena constrictum. Tu enim solus nosti vinctos solvere, et occulta curare vulnera, quæ tibi soli patent, tanquam occultorum cognitori. Quotæ quæque enim insunt mihi malorum affectiones, in omnibus te invenio appellatum male habentium medicum, portam foris lugentium, abductorum reductorem, tuam semper manum cohibentem, nec immittentem iram tuam peccatoribus pa-

ratam; sed resipiscentiæ nobis tempus tradentem propter magnam tuam bonitatem. Tu enim es velox ad misericordiam, et tardus ad pœnam. Itaque manum mihi porrigere dignare, meque de luto iniquitatum mearum erigere, qui non vis interitum hominis, nec avertis faciem tuam ab eo qui ad te oculos attollit. Exaudi Domine vocem servi tui ad te clamantis, et illumina vultum tuum in me tenebris involutum, et illustra me sancti tui Spiritus adventu, ac largire mihi polluto promptitudinem, et laborem meum, Domine, in gaudium converte : conscinde saccum meum, et circumda me lætitia, et aperiatur mihi porta regni tui, ut ingressus in eam, glorificem sanctissimum nomen tuum, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, in sæcula sæculorum. Amen.

PRECATIO VI.

Domine, rex cœlestis Spiritus veritatis advocatus veni, et condona indigno mihi famulo tuo, si quid hodie peccavi, ut homo, imo potius ut humanitatis expers, voluntaria mea errata, et involuntaria, quæ ex scientia, et quæ ex ignorantia, quæ ex abstractione, atque inadvertentia. quæque ex multa mea socordia, ac negligentia. Sive per nomen sanctum tuum juravi, sive contra ipsum perjurus fui, et blasphemus : per cogitationem vero seu aliquem conviciis prosecutus sum, seu calumniis affeci, seu mœrorem attuli, aut aliquem maledictis incessi, seu in aliqua re ad iracundiam commovi, aut mendacio fefelli. Seu amicus venit ad me, ipsumque despexi : seu fratrem afflixi, atque exacerbavi : seu stante me in oratione, et psalmodia, mala mens

mea, circa sæcularia, ac prava versata est : sive præter æquum deliciis indulsi, sive scurrilia locutus sum, aut stulte risi, aut vana gloria elatus sum, aut gulositati operam dedi, aut superbivi, aut vanam pulchritudinem spectavi, et ipsa oblectatus sum : aut indecenter nugatus sum, aut defectus fratris mei aspexi, et mea innumera vitia, ac delicta non attendi, aut in meis precibus negligens fui, aut aliud quidpiam malum patravi. In his omnibus, atque aliis, quæ feci, ac non teneo memoria, miserere mei, Domine, et ignosce mihi inutili servo tuo tanquam bonus, atque benignus, ut in pace dormiam, et requiescam ego luxuriosus, laudans te cum Patre, et Filio nunc, et semper, et in sæcula.

PRECATIO VII.

Magnificans magnifico te, Domine, quia respexisti humilitatem meam, et non conclusisti me in manus inimici, et salvasti me de necessitatibus animam meam. Et nunc, Domine, protegat me manus tua, et veniat super me misericordia tua, quia turbata est anima mea, et doloribus afflicta est in exeundo ex infelici corpore, ne forte improba manus adversarii occurrat ipsi, detineatque impeditam in tenebris propter patrata a me scelera ex ignorantia, et cum advertentia in hac vita. Propitius fias mihi, Dominator omnium, et non videat anima mea tenebrosum aspectum malorum dæmonum, sed suscipiant eam Angeli tui hilares, ac splendentes. Da gloriam nomini sancto tuo, et in virtute tua deduc me ad divinum tuum tribunal. Cum judicabor, non comprehendat me manus principis hujus

mundi, ut detrahat me pecatorem in profundum inferni. sed adsis mihi, et sis mihi salvator, et susceptor. Miserere, Domine, animæ meæ, quæ sordida facta est hujus vitæ pravis affectionibus. Et si quid ut homo per infirmitatem naturæ in verbo, aut opere, aut cogitatione deliqui, tu qui habes dimittendi peccata potestatem, ignosce mihi, et remitte, ut refrigerer, atque inveniar coram te non habens maculam, neque rugam, sed purus, atque immaculatus suscipiar in manibus tuis, Domine, quia bendictus es in sæcula.

PRECATIO VIII.

Domine, dominator vitæ meæ, spiritum otii, inanis laboris, amoris principatus, et otiosi sermonis, ne dederis mihi; spiritum autem temperantiæ, humilitatis, patientiæ et charitatis, largire mihi servo tuo. Ita, Domine, rex, concede mihi, ut mea quidem delicta videam, fratrem autem meum non condemnem: quoniam benedictus es in sæcula sæculorum. Amen.

PRECATIONES AD CHRISTUM.

PRECATIO I.

Domine Jesu Christe Fili Dei, Deus Salvator meus, inexplicabilis voluptas, salutare nomen, concede mihi indigno famulo tuo compunctionem atque illuminationem cordis, ut corde illuminatus effundam cum dulcedine lacrymas in oratione pura, ut deleas descriptionem mearum iniquitatum paucis lacrymis, extinguasque mihi ob exiguum ploratum ignem accensum. Si enim concesseris mihi hic, ut lugeam, Domine, ab igne ibi inextinguibili liberabis me. Et scio, quidem scio, longanimis, benigne Domine, a me per singulos dies, atque horas te exacerbari, et provocari ad iram; sed benignitas longanimitatis tuæ meam nequitiam, atque amaritudinem superabit. Si enim mater spreta a proprio filio, ipsum despicere non potest, a propriis visceribus victa; quanto magis gratia, et benignitas tua, misericors, et longanimis Domine, a tuis infinitis commiserationibus commota vincere potest meam nequitiam, et mei misereri? Ita Domine bonorum amantissime, Deus misericordiæ, et miserationum, libera me a pravis artificiis scelesti et potentis adversarii, qui singulis horis coarctat, ac comprimit animam meam malis impurisque cogitationibus. Inexplicabilis potentia tua, Christe, est, quæ fluctus maris increpuit: ipsum increpa, atque irritum redde, ac procul a me abige servo tuo. Quotidie enim renovat contra me suas insidias, conaturque dominatum exercere in mea mente resoluta,

atque abalienare me a te, divinisque præceptis tuis. Verum dimitte, Domine, multæ misericordiæ, dominator confestim et amanda procul a me servo tuo inutili draconem magnum cum omnibus pravis, atque impuris, sordidisque cogitationibus ipsius, ut pure decantem ac laudem tecum Patre tuo sine principio, et sanctissimo, et optimo, et vivificante tuo Spiritu, ubique, nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

PRECATIO II.

I. Agnus Dei sine peccato, qui libera voluntate crucem subiisti in corpore, et occisus fuisti propter salutem nostram peccatorum, atque absque corruptione per carnem mortem gustasti, ut naturam prolapsam nostram, in inferioribus terræ constrictam, salvam faceres : qui mortuus es visus, et vitam effluere fecisti in mundum tuum, mortemque interemisti, ac tanquam tabernaculum inferni carcerem destruxisti : qui pluvia es incorruptibilitatis, atque ex divina coruscatione pretiosissima margarita : qui es racemus vivificus, dulcedinem in totum mundum distillans salutis, lux vera, atque inoccidua, Dei, et Patris Verbum, et sapientia, et virtus, gloriæ ipsius splendor, incomprehensibilis Jesu, et ininvestigabilis Christe, solus misericors, atque compatiens, effunde super me peccatorem multam tuam bonitatem, measque precationes suscipiens, dele multitudinem iniquitatum infinitarum, ac peccatorum, et concede mihi petitiones meas. Ne repellas me incorrectum, ne rejicias me pigrum, et intolerabilem. Ne dicas mihi infelici in secundo adventu tuo, cum totum mundum judi-

cabis : « Quid sustinuisti pro me ? » Quia non est mihi misero ulla patientia. Dic illa horrenda, et terribili dices, Domine, nobis peccatoribus : » Nostis optime quid pro vobis, o homines, passus sim. Deus existens, vestri causa carnem indui : invisibilis manens propter vos visibiliter in terra versatus sum : propter vos esurivi, sitivi, fessus fui : propter vos persecutiones tuli, lapidibus fui appetitus, et cum sine crimine essem, propter vos colaphis cæsus sum, consputus fui et cum pati non possem vestri causa fui cruci affixus, et cum essem immortalis, propter vos mortem sustinui ignominiosissimam : propter vos lancea vulneratus sum in latere, atque acetum hyssopo, ac felle mixtum potavi, et hoc modo patiens, clavis confixus in cruce non iratus sum, et derisus minime maledixi. Ego Dominus superior existens omnibus accusationibus universa hæc tuli propter vos, ut cœlo dignos, ac sanctos vos efficerem. Regnum æternum benigne largitus sum vobis, omnes vos vocavi fratres, Patri obtuli, Spiritum sanctum misi. Quid igitur vos passi estis, o homines, propter me ? »

II. Ad hæc quid dicam ego miser, scelestus, et peccator, et profanus ? Tunc quidem Martyres sua vulnera ostendent, tormenta, membrorumque abscissiones, atque ad finem usque constantiam suam. Ascetæ vero ostendent exercitationes suas, producta jejunia, vigilias insomnes, paupertatem voluntariam, lacrymas, suamque usque ad finem patientiam. Ego vero ignavus, peccator, ac reddendis rationibus obnoxius, quid ostendere habeo, præter fructum ignominiæ, ingluviem, voluptatum amorem, somnolentiam, multa habendi desiderium, impatientiam, vanam gloriam, socordiam, negligentiam ? Si igitur rationem a me exposces, Domine, de concesso mihi tempore ad pœnitentiam, propter meam negligentiam, quam defensionem proferam ? Si autem etiam usque ad verbum otiosum, sicut

scriptum est, et usque ad pravas cogitationes, ac sententias examen subibo, qualis tunc timor, ac perturbatio me miserum occupabit? qualis postea vero me castigatio excipiet? Parce, parce, Domine, parce misericors, parce benigne, qui solus bonus es, neque me indignum existimes tuis miserationibus, neque in ira tua corripias me. Ne recorderis iniquitatum mearum antiquarum, neque recentium. Tibi, Domine, Deo justitia : mihi autem vultus ignominia. Memor esto, Domine, quod misericordiæ tuæ a sæculo sunt in generationem, et generationem supra omnem populum tuum. Recordare te omnium nostrum factum esse refugium, et salutem sperantium in te. Misericordia movearis, et miserere mei propter solam tuam bonitatem. Robora languescentem animam propter inertiam negligentiæ meæ tu, qui oppressos erigis, et contritos sanas. Ecce enim iniquitates meæ magnæ, et potentes sunt, et multitudo peccatorum meorum ingens, atque infinita, et oratio mea infirma existit, et durities cordis mei exsiccavit oculos meos. Necessitas corporis mei excusare facit me excusationes in peccatis, et perditio urget me, ut viam relinquam. Tu autem noscis, Domine, contemptum miseriæ meæ, et quot malæ opiniones anticipatæ pugnant contra me, ac tu vides inimici contra me, nequitiam artificiosam. Suscipe me secundum magnam misericordiam tuam, et salvum me fac, meritis, precibus, intercessionibus immaculatæ Dominæ nostræ Dei Genitricis, et omnium Sanctorum tuorum : quia bonus, ac benignus es, Domine Deus noster, et tibi gloriam, et gratiarum actionem, et adorationem offerimus cum Deo Patre tuo, qui est sine principio, et sanctissimo, et optimo, ac vivificante Spiritu tuo, nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

PRECATIO III.

Amator hominum Jesu Christe Deus meus, miserationibus tuis fretus, supplico tibi, ne statuas me a sinistris tuis una cum hædis, qui te exacerbarunt; neque dicas mihi : « Amen dico tibi, nescio te; » sed secundum bonitatem tuam largire mihi continuum fletum, et compunctionem, et animi demissionem. Purifica animam meam in timore tuo per vivificantium et immaculatorum sacramentorum tuorum perceptionem, ut templum fiat charitatis tuæ; etsi enim magnus peccator sum et indignus; at semper ad januam tuam pulso; et quamvis negligens et deses sum, meæque salutis contemptor, at per tuam simul incedo viam. Salvum me fac propter misericordiam tuam, quoniam bonus es, Domine, omnibus, et miserationes tuæ super omnia opera tua, et tibi gloria in sæcula. Amen.

PRECATIO IV.

Adjutor esto mihi, Domine universorum Christe; imbecillitatem animæ meæ sustine, ut liber sim ab hac impura peccati corruptione, et a vinculis iniquitatum solvar. Ne prævaleat in me tyrannis malitiæ, neque apprehendat me dæmon adversarius per peccatum, tanquam captivum; sed superveniat in me divini et adorandi tui Spiritus regnum, ut abscedant a me quæ nunc mihi dominantur, et in me regnant vitiosæ affectiones. Tu enim es Deus misericors et

benignus et miserator; et tibi gloriam referimus una cum Patre tuo principii experte, et sanctissimo, bono, ac vivifico tuo Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

PRECATIO V.

Domine, miserere omnium eorum, qui me oderunt, qui mihi invident, qui me calumniantur, et qui mihi obtrectant; et ne quis omnino ex iis propter me immundum, mali quippiam patiatur, neque in hoc, neque in futuro sæculo; sed sanctifica illos miserationibus tuis, et protege eos propter benignitatem tuam, sanctisime.

PRECATIONES FERIALES.

PLANCTUS

Ad vesperas feriæ secundæ.

(Hic de industria omittitur quia ad verbum legitur tum in sermone de passionibus animi, tum etiam alibi.)

PLANCTUS

Ad vesperas feriæ tertiæ.

I. Hei mihi! in qua desperatione constitutus sum! in qua confusione jaceo! Non sunt occulta mea sicut ea quæ parent. Cum de vacando ab affectionibus sermonem habeo, pravarum in me affectionum meditatio manet die ac nocte. Puritatem abjiciens, sermones de impuritate confero. Hei mihi! quæ me manet inquisitio! Vere speciem tantum religionis præ me fero, non autem virtutem. Qua facie occurram Domino Deo, qui abscondita cordis mei novit, cum ego tantorum sim reus malorum? vereor, cum in deprecatione sto, ne ignis de cœlo descendat, et me exurat, quemadmodum eos olim ignis a Domino demissus combussit, qui in deserto sacrificium obtulerunt. Quid igitur ego expectabo, qui sum immenso peccatorum pondere prægravatus? Inflammatum est cor meum; immutata est pia cogitatio mea; obtenebrata est mens mea. Tanquam canis ad vomitum semper revertor. Non est mihi fiducia ad eum,

qui corda scrutatur et renes. Non est mihi mens pura. Non sunt mihi lacrymæ in oratione, quamvis suspirem; refrigero faciem meam in confusione positam. Percute pectus meum, quod est passionum habitaculum, pravarum cogitationum officina. Gloria tibi qui solus es patiens et longanimis; gloria tibi qui solus bonus es; gloria tibi, qui animabus corporibusque nostris beneficia præstas. Magnæ sunt tuæ super nos miserationes, Domine; ne me rejicias cum iis qui dicunt tibi : « Domine, Domine; » nec tuam voluntatem faciunt precibus immaculatæ Dominæ nostræ Deiparæ, et precibus omnium eorum, qui tibi placuerunt. Tu enim nosti, Domine quæ sunt in me occultæ affectiones. Tu scis vulnera animæ meæ. Sana me, Domine, et sanabor; nisi enim tu, Domine, ædificaveris animæ domum, in vanum laborant qui ædificant.

II. Equidem me ipse præparo ad resistendum passionibus, quæ me invadunt; sed animæ firmitatem fraus draconis per voluptatem dissolvit; cumque nullus sit qui vim mihi inferat, trahor tamen ab ipsis tanquam captivus. Magno studio enitor, ut flammam, quæ me accendit, dissipem; sed odor ignis, qui me adhuc adolescentulum corripuerat, ad flammam me trahit. Iterum in portum me recipio, ut naufragum liberem; sed propter meam imperitiam una cum illo naufragium facio. Increpo operantem, cum sim ipse cæcus; volo ego miser affectionum esse medicus, cum ab iis sim captus. Illumina, Domine, oculos cordis mei, ut multitudinem mearum affectionum cognoscam. Gratia tua ab obumbret mihi, Domine, et illumina obtenebratam mentem meam, inque mea ignorantia divinam scientiam tuam infunde; quoniam non est impossibile apud te omne verbum. Tu, Domine, gressibus impervium mare olim populo tuo pervium præbuisti. Tu ex dura petra aquam sitienti populo tuo dedisti. Tu solus eum, qui in latrones inciderat, pro tua bonitate liberasti.

III. Miserere mei, Domine, propter magnam benignitatem tuam, qui in latrones incidi, et tanquam vinctus propter meam insipientiam, detentus sum. Nemo potest morbum animæ meæ sanare, nisi tu, Domine, qui profunda cordis nosti. Quoties mihi ipse miser fines posui, murosque inter me, et inter impium peccatum reædificavi; sed adversariis contra me in bellum insurgentibus, mens mea fines est transgressa murosque diruit, eo quod fines non haberent firmitatem timore melioris, et muri non essent fundati super veram sinceramque pœnitentiam. Quis me non deploret, quoniam propter exiguam voluptatem contempsi ignem, qui non habiturus est finem, et regnum æternum mihi non vindicavi? Passionibus infelix servivi, dignitatem animæ meæ despiciens, ac veluti irrationalis factus, nec valeo oculos ad misericordem dominum attollere. Obdormivi olim, cum dona adessent, quibus ditescere poteram; nunc autem indigentiam pravarum affectionum dilexi, alienus a virtutibus factus, et in peregrinam ac longinquam iniquitatis regionem profectus. Semimortuus sum, brevissimas habens vitæ reliquias.

IV. Plangite me sancti et justi, passionibus et peccatis detentum. Plangite me, qui continentiam colitis, me, inquam, ventri ac voluptatibus deditum. Plangite me misericordes causarumque cognitores, me, inquam, miserationibus dignum, et exasperantem. Plangite me qui bona diligitis et mala odio habetis, me, inquam, qui mala dilexi, et bona odio habui. Plangite me qui vitam præstantem possidetis, me, inquam, qui specie tenus virtutes colo, operibus autem sum passionibus deditus, et ad bona indifferens. Plangite me qui Deo placetis, me, inquam, qui hominibus placere studeo. Plangite me qui perfectam in Deum et proximum charitatem habetis, me, inquam, qui verbo tantum diligo, opere autem, a dilectione quam lon-

gissime absum. Plangite me qui patientiam possidetis, et fructus affertis, me, inquam, impatientem et infructuosum. Plangite me qui confidentur et sine verecundia preces ad Deum funditis, me, inquam, qui non audeo in altitudinem cœli oculos attollere. Plangite me qui mansuetudinem possidetis, me, inquam, ab hac virtue alienum. Plangite me qui humiles estis, me, inquam, alta sapientem ac superbum. Plangite me, qui apostolicam paupertatem possidetis, me, inquam, qui terrenis furiose inhio, et sarcinis sum oneratus. Plangite me, qui fideles estis et firmi corde erga Deum, me, inquam, qui animo duplici sum, debilis et improbatus. Plangite me qui luctum diligitis et risum odio habetis, me, inquam, qui risum diligo, et luctum odio habeo. Plangite me, qui judicium post mortem futurum in mente habetis, me, inquam, qui illius quidem me meminisse profiteor, sed contraria ago. Plangite me, hæredes regni cœlorum, me, inquam, hæredem gehennæ ignis. Precamini, Sancti Dei, pro anima fluctuante. In quibus potestis, o sancti Dei, opem ferte. Scio enim quod, si Deum clementissimum oraveritis, omnia nobis condonabuntur propter immensum benignitatis suæ pelagus; et sicuti Deus est benignus, ita et vos ne despiciatis, quæso, mei peccatoris precationem; quoniam nullam habeo fiduciam propter multa mea peccata. Vestrum est, o sancti Dei, pro peccatoribus intercedere; Dei autem opus est, eorum, qui spem omnem amisere, misereri. Orate, o sancti Dei, Regem pro captivo; orate Pastorem pro ove; orate Vitam pro mortuo, ut emittat gratiam suam, et lubricitatem miseræ animæ meæ confirmet.

V. Procido miserationibus tuæ bonitatis, Domine universorum; suscipe preces peccatoris; edulca animam ob peccata amarefactam; præbe sitienti de fonte vitæ; et deduc me in viam ejus. Induc me in regiam portam tan-

quam Dominus servum suum, ut a servitute turpium affectionum sim liber, quoniam cor meum devinctum est tanquam ferrea catena. Præveniant me miserationes tuæ, Domine, precibus Sanctorum tuorum, antequam trahar una cum operantibus iniquitatem. Ibi revelabuntur quæ in tenebris, quæque in aperto a me peracta sunt. Hei mihi! quæ me confusio corripiet, cum condemnatum videbunt ii, qui nunc me irreprehensibilem existimant! Spiritualia opera miser derelinquens, affectionibus subjaceo. Væ mihi, anima mea, cur passionum caligine sol obscuratur? Cur morte vita absumitur? Cur radii adventu non exterminatur caligo? Cur interruptioni anteponimus corruptionem? Cur affectionibus ad terram una cum anima ferimur? Indumentum a Deo factum reddidimus inutile, et indignum regiis nuptiis fecimus; sponte peccatis venditi sumus, inimico vitæ nostræ servi facti sumus. Quid dices judici in die illa horribili ac tremenda? Esurivi propter te, aut sitivi, aut nudus fui, aut humiliatus sum, aut dilexi te ex tota anima mea, Cum fiducia continue clamat magister: « Accipe frenum, qui potestatem habes; qui in servitute degis, parem dignitatem; qui pauper es, opes quæ furto non subducuntur. Cur igitur non libertatem, sed angustias? Cur tempus præstolaris, non autem rem tecum æstimas? Cur amicum fraudulentum, non autem salutare desiderium? Cur suppetias non ferimus naturæ, dum tempus habemus? Dum tuarum adhuc cogitationum es dominus; dum non laborat corpus aut mens; dum non ab aliis tuum dependet bonum; dum manifestum quidem tibi est donum, sed non ambiguum et incertum; et gratia usque ad profunda et ima sese demittit; dum tuæ lacrymæ indicium sunt tui exitus; præoccupa, obsiste fortiter pravis affectionibus, advocans tibi in belli societatem Deum. Strenue decerta adversus Goliath. Ne te latro præveniat; ne parricida præ-

ripiat; nequis violentus regni rapto te excludat. Timendum est, omnique cura nobis cavendum, ne in professione nostra mendaces inveniamur. Si enim pacta cum hominibus confirmat Deus, sequester et mediator assumptus; quanto m jus est periculum, pactorum transgressores inveniri, nec aliorum duntaxat criminum, sed etiam mendacii ipsius obnoxios reosque veritati esse? Idque, cum non altera supersit regeneratio, neque reformatio, neque in pristinum statum restitutio? Difficile est, postquam celebritas transiit, tum demum negotiationem quærere. Ardua res est pœnitentiam agere, et tum temporis damnum sentire; quoniam non est damni reparatio post nostrum hinc excessum, et post amaram eorum, quæ unusquisque in vita gessit, conclusionem.

VI. Tanquam publicanus suspiro; velut meretrix lacrymor, instar latronis exclamo, tanquam filius prodigus vociferor ad te, clementissime Christe, salvator mundi, vera lux; confirma infirmam animam meam, voluptatum ebrietate dissolutam. Sana ulcera ejus, et mentis meæ digressiones. Cruore peccati nigrescentem absterge pretioso tuo Sanguine. Nunc tempus acceptabile, nunc dies salutis. In multitudine misericordiæ tuæ converte me, qui solus longanimis es, et libera me ab omni molli voluptate. Ne in finem comburat me caminus pravarum affectionum, sed rore tuarum miserationum extingue eum. Væ mihi! quoniam tu mihi, Domine, largitus es cognitionis lumen, ego autem illud sperno. Væ mihi! quoniam semper infirmus fui et sum; tua autem me gratia continue visitat et sanat; singulis vero horis donum sanitatis ab ipsa mihi concessum ego contempsi et contemno. Quot me peccatorem donis cumulasti, Domine, et semper cumulas; ego vero miser mea sponte et ex voluntate ingratus sum et iniquus. Tua semper gratia dulcesco, continue illuminor, assidue con-

firmor; semper tamen illam aspernor, et ad meam rursus amaritudinem convertor. In memoriam mihi revocas, optime, mortem, et pœnas sempiternas, meque ad vitam assidue trahis, ut salvus fiam; ego vero in mea semper nequitia permaneo. Quamobrem nullam illic defensionem habeo. Pulso, ut miserationum tuarum porta mihi aperiatur, Domine; persto orans, ut postulata consequar. Tanquam impudens, misericordiam quæro. Patiens esto erga me, qui distortus sum; libera me ab iis, quæ me circumdant, peccatis, ut sanus et incolumis effectus, exurgam e lecto corrumpentis peccati. Liberum me fac ab omni malo opere, antequam finis me comprehendat. Nam in inferno quis confitebitur tibi? Dealba conspurcatam a me tunicam, antequam horrendum denuntietur mihi mandatum, meque imparatum et confusum corripiat. Salvam fac animam tribulatam de ore leonis, et libera eam per gratiam et misericordiam tuam, precibus immaculatæ Dominæ nostræ Deiparæ, et omnium Sanctorum; quoniam benedictus es in sæcula sæculorum. Amen.

PLANCTUS

Ad vesperas feriæ quartæ.

I. Desiderium compellit me ad loquendum ad Deum; verum indignitas mea silentium mihi imperat. Dolores loqui me urgent; sed peccata mea ut taceam suadent. Anima mea dolet, et oculi mei lacrymas concupiscunt. Peccasti anima? pœnitentiam age; ecce enim dies nostri sicut umbra prætereunt. Per loca terribilia et horrenda est tibi transeundum : Anima mea, noli multum de die in diem

differre, ut convertaris ad Dominum. Compungere anima mea, compungere super universis bonis, quæ a Deo accepisti, et non custodisti. Compungere de omnibus, quæ fecisti, malis, et Deus te diu patienter tulit, ne tenebris tradaris exterioribus coram horrendo Christi tribunali. Hei mihi peccatori! quoniam puritatem cordis mei ob ignaviam meam contaminavi, semperque contamino. Negligentia et pigritia mea, cordis libertatem mihi obscuravit; et improba concupiscentia, ut dominus servo, mihi imperat; egoque mox cum timore, infantis instar obedio; meque dum decipit, delector. Hei mihi! Domine, quoniam gratia tua ad vitam me trahit; ego autem mortem potius concupisco. Similem Angelis studes me efficere; ego vero mea me improbitate minuo. Multiplicatæ sunt iniquitates meæ, Domine, semperque multiplicantur, et non est finis multitudinis earum. Et quis me plorabit, aut consolabitur? Tu solus Salvator meus pro tua benignitate me consolans, respice in me, qui spe sum destitutus, propter misericordiam tuam. Quo pacto supplicabo tibi, Domine, qui os meum maledictis replevi? aut quomodo collaudabo te, qui conscientiam pollutam habeo? aut quomodo te diligam, qui affectionibus plenus sum? aut quo pacto veritas in me habitabit, qui me ipsum mendaciis contaminavi? aut quomodo invocabo te, qui tua non custodivi mandata?

II. Postquam enim cognitionem veritatis accepi, factus sum percussor, contentiosus adversus manu paratos, in viles ac tenues pugnax, erga vicinos invidus et durus, pravis cogitationibus innutritus, in pauperes immisericors, iracundus, contradictor, jurgiorum amator, piger, animosus, splendidarum vestium appetitor. Adhuc autem et in præsentiarum excedo modum in sordidis cogitationibus, in excandescentia, in mei ipsius amore, in ingluvie, in voluptatibus, in gloria inani, in superbia, in mala volun-

tate, in detractione, in occulta comestione, in acedia, in contentione, in iracundia. Cum nihil sim, me esse aliquid existimo. Cum mendax sim semper, mendacibus succenseo. Cum templum Dei meretriciis cogitationibus contaminem, adversus scortatores sententiam fero. Delinquentes judico, cum sim ipse delictorum plenus : conviciatores ac fures condemno, cum fur ipse sim et conviciator. Splendide incedo, cum sim totus impurus. In ecclesia et mensa primum accubitum cupio, monachos video, et ad gravitatem me compono. Monachos aspicio, et in jactantiam prorumpo. Mulieribus gratiosus videri cupio, et in peregrinos efferor. Domesticis intelligens et prudens, prudentibus autem perfectior. Religiosis ac piis tanquam sapientior; indoctos vero et imprudentes tanquam jumenta despicio. Si contumeliis afficior, illatam mihi injuriam propulso. Si quis me honorat, eum execror. Si quid a me jure exigitur, judicio contendo : eosque velut inimicos censeo, qui vera loquuntur. Cum reprehendor, succenseo. Nolo dignum honore prosequi, et cum ipse indignus sim, honores appeto. Laborare detrecto, et si quis mihi non servit, ipsi irascor. Cum operantibus convenire nolo; et si quis mihi non obsequitur, maledictis illum prosequor. Tanquam superbus fratrem in necessitatibus non agnosco; si vero convalescit, ipsum invito : infirmum odio habeo, et cum ego ægrotus sum, amari cupio. Majores sperno, et minores despicio. Si me a prava cupiditate continuero, vana gloria tumesco. Si vigilando bene agam, contumaciæ, ac contradictionis laqueis constringor. Si a cibis abstinuero, obruor superbia, ac jactantia. Si in precibus longum tempus insumpsero, ira vincor, atque iracundia. Si aliquam virtutem aspicio, non insisto. Omnes res mundi jucundas sprevi, et a vano earum desiderio non recedo. Si fœminas conspexero, exhilaror. Extrinsecus humilitatem

præfero, et in anima superbe sentio. In speciem quidem sum veluti qui nihil possideam; verum in mente habendi cupiditate laboro. Quid attinet autem tempus consumere? Opinione quidem renuntiavi, at revera mundana rursus sapio: nugas in conventibus, cogitationum inventiones, recordationes vanas, loquacitates in mensa, insatiabile desiderium accipiendorum munerum, cum aliorum erroribus consensus, perniciosas contentiones.

III. Hæc est mea vita: tantis malis decerto contra meam salutem: et mea superbia, ac vana gloria non sinit ut intelligam mea vulnera, ut saner. Hæc sunt mea præclara gesta, ad tantam peccatorum catervam inimicus me in acie constituit, atque in his ego miser exercitatus, sanctitatis opinionem mihi vindico: in peccatis versatus, tanquam justus existimari volo. Unam hanc in his omnibus habeo defensionem, diabolum mihi hæc suggessisse. Sed neque Adamo profuit se excusanti. Hoc credo, ipsum subjecisse Caïn. Verum ne ipse quidem sententiam effugit. Et quid faciam, si me consideraverit Dominus? Nulla superest defensio pro mea negligentia. Vehementer timeo, ne et ego sim ex iis, quos dixit Paulus vasa esse iræ, quos similes tenet diabolus in parte sua, quos ob confidentiam ipsorum Deus tradidit in passiones ignominiæ. Timendum igitur, ne ejusmodi sententiam etiam in me ferat. Domine, mihi peccatori concede pœnitentiam, cum velis me indignum salvum facere, vivifica vitæ largitor mortuam ob peccata animam meam: ablue saxeam misericordis mei duritiam, et largire mihi fontem compunctionis, qui ex latere tuo effundente salutem nobis large vitam effundis.

IV. Quis non suspiret? quis non fleat meam renuntiationem? Nondum vere renuntiavi, et superbia detineor. Nondum sanctas exercitationes gustavi, et vana gloria impedior. Nondum vestibula vidi, et de interioribus cogito.

Nondum in rudimentis virtutis experimentum dedi, et jam fratrem coarguo. Nondum ad cognitionem veritatis aspiravi, et aliorum magistrum ob superbiam me facio. Omnia tibi sanctissimus Deus largitus est, o anima, scientiam, intellectum, cognitionem, discretionem. Nosce quod utile est. Quo pacto te putas lumen præbere posse proximo, cum sis in tenebris? Tui ipsius anima medicum te fac: sin minus, tuam cæcitatem deplora. Nullum de tuis negligentiis habes prætextum. Sobria esto, vigila anima, suspira, geme, et absterge jejuniis gravitatem peccatorum tuorum.

V. O Deus altissime, o solus habens vitæ potestatem, et mortis, largire mihi peccatori hora illa terribilis adventus tui multas tuas misericordias, ne ibi ante tremendum tribunal tuum inveniar despectio, et opprobrium magnum a spectatoribus Angelis, Archangelis, Prophetis, Apostolis, Patriarchis, Martyribus, Ascetis, atque omnibus Justis. Sed hic, Salvator meus, erudi me, ubi voluptate peccati fruitus sum, ut misericors Pater, et filiorum amator, atque hic ignosce mihi Deus cœlestis, et solus sine peccato. Omnem iniquitatem, miser, patravi, omnes luxurias superavi: reus sum suppliciorum, et si pœnitere aggrediar, lacrymæ mihi non sunt. Heu mihi! quibus oculis aspiciam peccator, pravus, et socors terribile illud tribunal, in quo, Domine, sedens mea opera redarguis. Scio te judicem tremendum in divinitatis gloria venturum, damnaturum omnium abscondita. Totam vitam meam infelix in luxuria consumpsi, in voluptatum cœno semper volutatus. Omnes meos errores occultos, et omnia peccata, quæ in me cadere possunt, tu cognoscis solus, o Creator meus. Nemo sicut ego apparuit facilis ad excipiendum hospitio peccatum: nullus ut ego exacerbavit bonitatem tuam sequendo impetum malitiæ: verum utpote qui bonitatis pelagus existis,

exsicca prava maria mearum iniquitatum, atque utpote es misericordiæ abyssus, peccatorum meorum combure abyssum, et ne mihi retribuas pro meritis eorum, quæ feci : ne condemnes me ad flammam gehennæ, quia intolerabilis, Domine, est ira tua. Quis demum ipsius minas sustinebit? Ignis etenim minime extinguetur, et vermis noster haud morietur.

VI. Time, o anima, minas contra te, excute gravem negligentiæ somnum, terribilisque socordiæ soporem. Prope est finis, ad portas judicium. Venite ad me, sancti, et justi, qui bene certamen certastis, et aut mortuum lugete, aut ut semivivum plorate, quoniam ego plenus sum confusione, et confidentiam non habeo propter patratas a me cogitatione iniquitates : effundite in me misericordiam vestram tanquam in saucium putrescentem. Misereat vos mei veluti sacerdotes miserentis Dei salvatoris nostri, ipsumque orate, ut gratis convertat me, ne indignus inveniar in illius adventus hora, et ne audiam tremendam illam sententiam : « Discede a me operator iniquitatis, dico tibi : Nescio te. »

VII. Deprecor igitur te, lux vera, fili benedicti Patris tui, character substantiæ ipsius, sedens ad dextram magnificentiæ ejus, incomprehensibilis fili Dei, inscrutabilis, Christe, exultatio, et gaudium diligentium te, vita mea, lumen meum, Christe mi. Ne despicias me contemptum, ne abjicias me abominandum, quia nimium delectatur inimicus meus, quando de me ipso despero propter insitam in me malitiæ caliginem. In hoc solum lætatur, cum videt me captivum propter desperationem : sed tu misericordia tua confunde spem illius, atque extrahe me a dentibus illius, atque a maligna ejus voluntate, et ab omni ipsius molimine contra me excogitato, quoniam in multis bellum paravit adversum me. Concede, mihi, Domine lumen, ut insidias cognoscam adversarii, et osoris bonitatis, quo-

niam innumeras ante me ponit cadendi occasiones, scandala, damna, habendi desideria, sæculi hujus superbiam, carnis voluptatem. præsentisque vitæ longam durationem, ad sacras exercitationes ignaviam, ad preces tarditatem, et inter canendum psalmos somnum, ac corporis requiem : quantum ipse ad meam perniciem incumbit, tantum ego infelix inertiæ indulgeo.

VIII. Attende, anima : conscientiæ curam gere, ne delicta aliorum observes, sed tua potius considera. Ne videas festucam in oculo fratris et proximi; sed trabem, quæ in te est, assidue observa. Festina, præveni, reconciliare Christo, qui carne propter te est crucifixus. Si nos ipsos judicaremus, non utique judicaremur, ubi magna erit et indeficiens condemnatio. Miserere mei, Domine, propter misericordiam tuam, et libera me propter solam bonitatem tuam : precibus immaculatæ Dominæ nostræ Deiparæ, et omnium sanctorum tuorum : quoniam benedictus es in sæcula sæculorum. Amen.

PLANCTUS

Ad vesperas feriæ quintæ.

I. Ecce rursus advolvor ad portas Domini mei supplicans, deprecans, adorans, et clamans cum timore. Prodest enim famulo manus Domini sui non effugere, cum peccaverit, sed potius expectare. Exaudi, Domine, ejulatum meum, et suscipe verba deprecationis meæ, quæ profero ego peccator cum pudore. Effunde super me miserum exiguam conversionis guttam per misericordiam tuam, ut parvam promptitudinem habeam ad me ipsum corrigendum.

Nisi enim gratia tua animam meam illuminaverit, pravas in me affectiones, ac negligentiam dignoscere non possum. Heu enim mihi! quia præcedens peccatum, cum pabulum in me invenerit, quotidie offundit tenebras, atque in profundum trahit, et non desino infelix Deum ad iram provocare, æternum illum ignem minime timens, nec perpetua supplicia perhorrescens. Assuetudine enim peccatum confirmatum, trahit me ad omnimodam perditionem. Me ipsum quidem reprehendo, et confessus minime desisto, sed rursus malis adhæreo, et aspiciens non video, quoniam post pœnitentiam inique ago. Animo non laboro ad facta dignoscenda, sed meam pœnitentiam improbo : quia sum veluti mancipium peccati, et non volens malum facio, ac tanquam militiæ peccati ascriptus, illi subjicior; et cum fugere possim, tributum pendo ipsi consuetudini in me dominanti. Stipendia carnis accipio, pravarum affectionum curam gerens. Præoccupantem me corruptionem cognosco, et tanquam servus, quodcumque jussus sum, statim operor. Fugio imminentem pugnam, ac veluti canis catenis constrictus ad imperantem convertor.

II. Odio prosequor profecto peccatum, iniquitatem aversor, et in malis affectionibus persevero. Detineor enim miser, et nolens sub voluptatis imperio ad necessitatem naturæ inservivi, atque in me peccati undas effundit, cum arbitrium veluti mancipium coëmerit. Scaturiunt in mente pravæ affectiones contra me; conjunxi eas cum carne, et separari non possunt. Conor mutare quod elegi, et rerum status, qui me præoccupavit, mihi adversatur. Annitor miser, meam animam in libertatem asserere, et in majus debitum impingit me malus fœnerator : solutionis non admonet, sed splendide mutuum dat, et nunquam vult recipere. Solum servitutem præoptat : largitur, ut in affectibus magis ditescam, et debitum minime exigit. Ego

volo reddere, et ille additamentum apponit. Si vero etiam propter ea parvam mihi vim inferam, addit alia, ut a rebus suis superamus appaream : vidensque debiti continuationem mihi persuadere, ut sim peccator, introducit in me novas cupiditates, et facit, ut affectionum malarum obliviscar, ne confitear. Incido in novos affectus, atque abstractus in priorum oblivionem venio. Cum supervenientibus transigo, et iterum debitor invenior. Ab eos curro, tanquam ad amicos, et mihi commodantes rursus tanquam dominos se præbent, et qui paulo ante liberari cupiebam, evado per ipsos charo pretio venumdatus. Conor illorum vincula abscindere, ac repente aliis constringor. Annitor a militia discedere, et ob munera accepta, tanquam servus a re familiari, designor.

III. O dominationem affectuum peccati in me! O imperium fallacis, ac dolosi draconis! Operor secundum naturam, et pondera imponere molitur, atque arrhas dat, ut mentem vendat ipsi nequitiæ. Suasit ut carni meæ inservirem, ut præsto sit animæ ministerio, et a voluptate victus fui. Ad intemperantiam somni rursus conversus, administratione mea privatus fui. Oranti mihi suggessit cogitationem erga vilem quamdam voluptatem, et detinet per ipsam veluti aëreo funiculo simplicem mentem meam : cum velit autem fugere, ligamen non relaxat. Detinet igitur in secura custodia peccatum mentem, ac cognitionis portas claudit. Semper malitia mentem observat, ne cum Deo paciscens impediat, quominus caro vendatur : proponit cogitationum implicitarum multitudinem, suadetque de minima hac re examen non factum iri, et fieri minime posse, ut de iis cognitio habeatur, atque oblivioni res ejusmodi esse tradendas. Ast ego coram me propono meam accusationem, et scio supplicium mihi impendere. His me detinet, his me devincit, his me venumdat, et

mercatur, his me decipit, his mihi assentatur, et me subjicit, sicut ait Apostolus : quod carnalis est, « Venumdatus » sub peccato [1]. » Peccatum enim manens in carne mea dominatur in mentem, affligitque animam meam ob culpam, quæ abutitur carne, et animam per ipsam. Si voluerit jejuniis vacare, aut vigilias agere, ac se flagellis afficere, ipsam opprimit ut propriam catenis, ut ovem ad occisionem, ut volucrem altivolantem; hanc ligavit : et tanquam fortem gigantem per ipsam carnem abscidit manus, pedesque illius, neque fugere possum, neque mihi ipsi opem ferre. Heu mihi! mortuus sum vivens, et cæcus videns. Factus sum homo ut canis, et intelligens ut jumentum excipior.

IV. Miserere tui ipsius, o anima, festina ad separationem, ne cum stultis virginibus excludamur, quia non conceditur videre vitam mortalium, aut cogitare de justitia, ubi non est colluctatio, ex qua mors, et vita consequitur : ubi caro non est, per quam adversarius irridetur ab ipsius infirmitate superatus. Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam, et secundum multitudinem miserationum tuarum. Si enim misereberis mei, ut a misero affectionum mearum morbo liberer, si misereberis mei, cupio obedentiam præstare erga tuam bonitatem. Si facies secundum magnitudinem benignitatis tuæ, redimes me. Si effundes in me tuam bonitatem, salvus fiam. Persuasus sum te posse, et animo deficio. Novi secundum multitudinem miserationum tuarum magnitudinem meorum peccatorum; novi te omnium misertum esse, ac misereri eorum, qui convertuntur ex totis viribus ipsorum. Confiteor ego quoque sæpe me fruitum esse tua gratia; verum post hæc tuam gratiam contemnendo, peccasse supra cæteros. Sed tu qui mortuos suscitas, suscita etiam me in morte existentem

[1] Rom. vii, 14.

propter peccatum, et qui cæcos sanasti, illumina oculos cordis mei tenebris offusos. Qui ex ore serpentis Adamum liberasti, extrahe me a cœno iniquitatum mearum. Quoniam tua sum ovis, et a leone voratus sum propter meam voluntatem : canis factus sum ob peccata, tamen filius evadam tua gratia sanatus. Abjectus sum tanquam mortuus, verum si volueris, mundabor. Scio me post cognitionem peccasse; sed habeo Sanctos tuos pro me intercedentes. Supra modum excessi in peccatis, scio; sed non vincitur bonitas tua. Qui Publicano prærogativam dedisti, da etiam mihi qui plura mala patravi. Tu, Domine, Zacchæi misertus es tanquam digni; mei autem misereberis, qui sum indignus. Lupus erat Paulus quondam persequens oves pascuæ tuæ; fera extitit armenta discerpens, et effectus est pastor, gratiæ tuæ oves concilians. Et scio ipsum per ignorantiam peccasse, ac veluti inscium remissionem esse consecutum, gratiamque majorem. Sed tu, Domine, qui in scientia judicas peccatum meum, misereberis propter tuam gratiam superexcedentem.

V. Heu, heu vereor, qui nunc me verentur, ne ante eos erubescam propter mea peccata occulta : pudore afficior causa parentum meorum, ne quando condemnent me, qui supra consuetudinem expectationem dabam. Sicut vidua illa fieri volo, quæ præter modum negotium judici facessens, quod exoptabat consecuta est : et tanquam amicus ille impudens apparere volo ante te optimum, et solum dominatorem, ut convertas animam a peccatis in captivitatem abductam. Ille panem quærebat ad solamen; ego vero devinctæ animæ solutionem. Ille carnis nutrimentum petiit; ego vero animæ restaurationem. Exaudi tanquam bonus, atque optimus, vocem fletus lacrymarum mearum, et converte me, ut faciam fructum pœnitentiæ. Irrora æstum conscientiæ meæ ; renova me inveteratum peccati

affectibus, ut ab horum servitute liberatus, suaviter respirem äërem libertatis, et cum gaudio, lætitiaque laudibus tuam bonitatem extollam. Scio, Domine, me exiguo labore animæ meæ audere hæc loqui coram te : scio ego etiam peccator te, Domine, misericordem esse, et cupere, ut ipse convertar; sed meæ veluntatis fructum desideras, et promptus es ad mei miserendum, verum meum affectum expectas : miserando enim vis me erudire, atque ignoscendo cupis me tui regni participem efficere.

V. Heu meam duritiem! heu meam infelicitatem! O crassum, et terrenum cor! O anima perversa! O os amaritudinis plenum! O guttur sepulcrum patens! Quis non est memor inevitabilis viæ divisionis tuæ, o anima? Quis non se præparat ad hoc iter? Quare crudeliter in perditionem incidis? Cur æterna supplicia in te ipsam provocas! Quid agis, anima, permanens ut animal sine intellectu? Heu mihi, quo pacto lumini tenebras præopto? Quomodo hodiernam voluptatem, in crastinum non permanentem, æternis, atque inexplicabilibus bonis præfero? Heu mihi! qui fit ut tenebrosam obscuramque vestem induere malim, quam illam solis similem! Quomodo meliorem judico inferni habitationem caliginosam, quam illam regni? Hei mihi peccatori! quia solus ego volens, sciensque afficior vulneribus. Redi in te ipsam, anima, timeto Deum : placa illum omni bonorum operum genere, ne recipias ab illius manu duplices cástigationes. Vehementer expete Deum tuum, ac generose ambula per viam ipsius. Intellige, o anima, sæculum hoc ludorum circo esse simillimum, et fortem draconem omnino conari, ut vincat. A quibusdam superatur, atque irridetur; quosdam vero ipse superat, irridetque. Alii ipsius dolis vincuntur, alii ob colluctationem cum ipso coronantur : alii quidem per illius sævitiem, æternæ vitæ delectationem consequuntur : alii contra per

ipsius oblectamenta asperitatem æterni supplicii promerentur. Alii propter summam paupertatem, illius victores facillime existunt; alios propter rerum terrenarum amictum nullo negotio ipse sibi subjicit. Ii profecto, qui ex tota anima Deum inquirunt, pugnam cum ipso pro nihilo pendunt : qui vero diligunt mundum, iis bellum cum ipso difficillimum est, atque intolerabile.

VII. Intellige, anima infelix, hujus sæculi gaudium, et jucunditatem, et relaxationem mœstitia esse plena atque amarulentia; tribulationes vero. et jejunia, et perpessiones causas esse lætitiæ inexplicabilis, viæque sempiternæ. Convertere anima, sine perturbatione decerta, ut ne, cum venerit hora mortis ac divisionis, te imparatam inveniat. Recogita, o anima, tuam vocationem, conversationemque tuam, quomodo ambules, propter quid, et usquequo. Omnes ad finem rerum terrenarum venerunt, atque ad tuam securitatem finis perveniet.

PLANCTUS

Ad vesperas feriæ sextæ.

I. Anima angustiis pressa currit ad te, Domine sancte, cum lacrymis tibi supplicat contra inimicum corruptorem, cum humilitate se prosternit implorans te adversum affligentem se adversarium. Quoniam igitur confidenter ad te currit, celeriter eam exaudi : et ad te confugientem amanter, diligenter eam protege. Si eam despicis positam inter angustias, perit. Si eam exaudire cunctaris oppressam, deficit. Si vero per miserationes tuas eam inviseris, salva fit. Si ipsam exaudies, vires acquirit. Noli eam despicere, ne hostis illam surripiat. Noli recordari pessimarum exa-

cerbationum mearum, quibus ego irritavi gratiam tuam, misericors o Domine, et minime agas pro meritis operum meorum, sed potius mihi peccatori tempus concede exiguum, ut vacet mihi permittere vere, humanissime, optime, Pertulit gratia tua juvenilium iniquitatum ingentem multitudinem, et nunc ferto spretum, exacerbationem, petulantiam. Ego ipse scio, Domine, te per temetipsum jurasse, quod non vis mortem peccatoris, sed magis ut liberetur a peccatis suis per tuas miserationes. Gratia tua, Domine, singulis diebas victrix est ex propriis visceribus, et miserationibus. Misereris, et salvas quærentes te. Rursus misericordias tuas ubique prædicant in Evangeliis, in Apostolis, in omnibus Scripturis, sancti Patres, et Magistri, et aureis verbis Joannes, ac reliqui singillatim appellati, et universim. Ego sciens Prodigum, Manassen, Latronem, Zacchæum, Publicanum, Meretricem, Chananæam, Hemorrhoïssam, Paralyticum, Cæcum, et Jaïrum, omnes jam ante descriptos, venio ad te; pande tua viscera, et suscipe me, dulcem redde meam mentem, quia sæpe inter meas veteres iniquitates iterum invenior in cœno jacens, in sordidis cogitationibus. Adveniens autem gratia tua in cor meum, invenit fœtorem propter cogitationes impuras, statimque recedit, cum ad introeundum aditum non reperiat, atque ad habitandum in me, prout desiderat.

II. Ablue cor meum splendenti dulcedine, ut ad sensum redeam. O bonitatem, humanitatemque Dei! quam cupit, et cogit omnes homines, ut salvi fiant! Ignosce, Domine, inutili servo tuo : parce, misericors Christe Salvator, proprio figmento. Nisi enim tu, Domine, intellectum dederis mihi misero, et illuminaveris cor, causa nequitiæ meæ magnæ, negligentiam, mollitiemque meam intelligere non possum. Sed quoniam ab acerbo inimico detineor, qui me semper affligit, clamabo cum lacrymis nocte, ac die, ad bonitatem

tuam, ut liberes me a laqueis ipsius, quia singulis horis sua machinamenta renovat contra me : per singulas horas meretriciis cogitationibus, ac desideriis voluptatum animam meam affligit. Potentia tua, Christe, quæ fluctus marinos increpuit, ipsum increpet, ut irritus illius conatus reddatur a me inutili servo tuo. Mitte, Domine, celeriter gratiam tuam, ut expellat a servo tuo magnum draconem cum omnibus ipsius turpibus cogitationibus, et pravis, quia plagæ sagittarum ipsius, putrida facta sunt ulcera in corde meo. Ego autem omnibus modis ob meam stultitiam ea abscondo. Bonus medicus clamat ad me, mercedem non quærit, sanguinem non extrahit. Mea segnities non sinit, ut ego ad eum vadam. Venit ipse, ut mihi medeatur, et me invenit comedentem vulnera mea. Cum comedo, tunc me pœnitet, sed mea pœnitentia vera non est. Largitor omnium medicaminum, et pater misericordiarum tu es solus Deus bonus, et misericors, qui concedis semper bona petentibus te. Quoniam ipse assidue expertus sum ingentes tuas medelas, atque optima dona in me collata in dies singulos. In immensam latitudinem patet gratia medicamentorum tuorum, Domine, omnibusque, qui ad te accedunt, medelam præbes.


III. Horum gratia cum fiducia deprecor tuam bonitatem, Domine clementissime, ut de more gratia tua veniat super me, et contineat mentem meam, atque iterum sanet gravia vulnera mea. Ecce enim occupationes, ac sollicitudines temporis momentanei garriunt, et auferunt a me curam tuorum bonorum æternorum. Tu vero longanimis sis erga me. Neque cœlum, neque terra par pari referre possunt pro tuis medicaminibus, ac muneribus. Pretium enim non habet dignum, quod tibi reddatur. Propter lacrymas donas ea, et propter fletum amarum delicias æternas. O lacrymarum vim! Largire mihi, Domine, indigno

famulo tuo lacrymas pœnitentiæ, ut lavem peccata mea, ut illuminetur cor meum, ut magnum volumen deleatur lacrymis exiguis, atque ignis per me accensus, parvo fletu extinguatur. Qui enim hic plorabunt, æternis ploratibus liberabuntur. Ecce enim undique congrego cogitationes meas, et nondum libertatem adeptus sum ab operationibus malorum spirituum, qui prohibituri sunt me per hæc in aëre. Nondum cognovi pondus multitudinis peccatorum meorum, quæ cum in ipsam me demerserint, adhuc fructus producunt in carne mea. Quousque miser ebrius sum sine vino, et mea tanquam aliena negligo? Tanquam malus servus domini sui, meæ saluti insidiatus sum, et veluti alius meis laboribus successisset, ita vigilare detrecto. Quotidie tuam longanimitatem irrito : ante oculos habeo acerbitatem meam : omnia patienter sustines propter magnam tuam bonitatem. Concede mihi, Domine, conversionis medicinam, ut acerbitatis meæ sanitatem recipiam. Concede mihi, ut in continentiæ stadium ingrediar. Concede mihi, ut cum compunctione cordis omnes vitæ meæ dies traducam. Illumina oculos meæ mentis tenebris oppressos, ut prompte in vineam tuam proficiscar, quoniam vitæ meæ tempus in vanitate fœdisque cogitationibus defecit. Hora undecima est tempus vitæ meæ. Guberna, Domine, naviculam negotiationis meæ, et largire intellectum tenui mercatori, ut de mea negotiatione lucrum reportem, quandiu mihi tempus adest. Etenim hora separationis meæ ante oculos meos advenit, vehementerque exterritus sum, meam paupertatem recogitans : pro eo ut ego gauderem, potius expavi.

IV. Timenda profecto est, o anima, præsentia mortis, mollibus, et peccatoribus, et superbis, iisque qui omni ope non nituntur, ut in hac vana vita caste versentur. Nam operantes, et qui cum omni studio se exercent, separationis

hora exultant, ante oculos habentes laborem magnum suarum in pietate exercitationum, vigiliarum, jejuniorum, pœnitentiæ, orationis, lacrymarum, saccorum? Exilit illorum anima, quia invitantur ad requiem in exeundo a proprio corpore. Mœstitia vero vehementissima separationis est peccatoris, videntis ante oculos suam negligentiam, materiem opulentiæ. Verum omnino ei non permittitur quidquam loqui : promptitudinem enim requirit imperium tantam, quanta pœnitentia tum cor occupat illius, qui hic suam salutem neglexit. Heu mihi ! anima, heu mihi ! quare vitam tuam negligis ! Quorsum suspensa, dies vitæ tuæ traducis ! Repente fit vocatio tua, et quid ibi facies, hic socorditer vivens, ante tribunal Judicis tremendi. Quomodo rapit te inimicus, et non intelligis? Quo pacto spoliat te divitiis cœlestibus, et elata non attendis ? Fili Dei Christe impeccabilis, suscipe me longanimis. Largire mihi, Salvator, meditationem vitæ futuræ, ut voluntates tuas perficiam. Saltem in senectute fac, ut cooperer gratiæ tuæ, ut diligenter negotier cum argento, quod dedisti mihi tu, Rex cœlestis. Quomodo igitur astare potero suspensus ego ante tremendum tribunal? Quomodo ego impatiens, atque infructuosus consors inveniar operantium hic justitiæ fructum. In quo cœtu dignoscar, quando Sancti cognoscent se invicem in thalamis cœlestibus, qui fuerunt sancti, justi, continentes, humiles, ambulantes in lumine inaccessibili : peccatores, vitiosi, superbi, arrogantes, in deliciis secure viventes, in igne æterno, atque inextinguibili.

V. O anima vecors, o anima insensibilis, o anima perosa tuam propriam æternam vitam ! Quem ad finem mala pravarum cogitationum consuetudo te abripit? Expectas in tua negligentia fore, ut finis tuus venire tardet : at ut fulgur veniet ad te. Vigila, anima mea, cum lacrymis deprecando. Clama ex toto corde tuo, ut inveniat te ad conversionem,




ob preces immaculatæ Dominæ nostræ genitricis Dei, omniumque tuorum Sanctorum, quoniam benedictus es in sæcula. Amen.

PLANCTUS I

Ad vesperas sabbati.

I. Etiam nunc, atque hodie vultu pudore suffuso, atque in terram dejecto ad Angelorum Dominum, omniumque rerum conditorem loqui audeo. Ego vero terra sum, et cinis, opprobrium hominum, et abjectio plebis : vermis profecto, et non homo, reprehensibilis, totus dolore oppressus, plenusque confusione. Quomodo in tuam bonitatem, Domine, oculos intendam ! Quo pacto linguam impiam, ac contaminatam movere audebo? Quomodo meæ confessionis initium faciam? Extra modum miser nomen tuum irritavi, et magis quam prodigus luxuriose vixi Quod enim in me erat, secundum tuam imaginem corrupi, tuorumque præceptorum vocem non observavi. Quorum peccatorum meorum remissionem peccator prius exposcam? eorum ne, quæ scienter patrata sine ulla differentia venia digna non sunt? an eorum, quæ in præceptorum divinorum transgressione? an quæ in consensu pravarum cogitationum sita sunt? Scio, Domine, me propter inquinamenta animæ meæ complura, meamque immunditiam, dignum non esse tremendo tui nominis cognomento. Ante faciem tuam stare non possum ad orandum : respicere, et videre altitudinem cœli non possum, quod turpibus desideriis januam aperiendo, et (1).... absurdisque cupiditatibus abutendo, miserrimam meam animam pravis

[1] Aliqua desunt.



affectionibus inquinavi, quod mentis nequitia animæ meæ vestem sordibus affeci, quod totus meus intellectus corruptus est dæmonum cogitationibus, quod universis meis operibus, verbisque ad iracundiam provocavi, semperque provoco bonitatem tuam, meumque adversarium, et contra me pugnatorem semper allicio, obsequiisque demereor. Conscientia mea meam mentem reprehendit, vultum meum ex corde pudore suffundo : me ipsum mea sententia ante paratum mihi judicium condemno : habeo luxuriam existentem in me, quæ de me triumphat, quia semper in gulæ cœno volutor, semper sordidis fœdor cogitationibus. A puero factus sum vas peccati exitiosi, et nunc quotidie de judicio, ac retributione sermones audiens, nolo obsistere carnis desideriis, sed semper aberro, semper captivus fio.

II. Heu mihi! Domine, quia longanimitatem tuam male impendi! heu mihi! qui per multos annos Spiritum sanctum tuum contristavi. Heu mihi! quia tempus vitæ meæ pertransivit in omni vanitate. Sed, Domine, in ira tua ne arguas me; ne publices abominandas fœditates meas in theatro totius mundi, omnibus Angelis, et hominibus, in meam confusionem, et condemnationem æternam. Reus etenim sum omnis ignominiæ, ac condemnationis. Quomodo plorabo cæcitatem animæ meæ? Quomodo lugebo tantam ignorantiam meam? Quomodo plorabo meam voluntatem pravis affectionibus adeo deditam, ac pœnitentiæ vacuam? Hodie ascetæ in consolatione sancti Spiritus requiescunt; ego vero perturbor obmurmurans meæ paupertati ob negligentiam. Comparatus sum jumentis insipientibus, et similis factus sum illis. Nudus factus sum, miser, propter meam socordiam, quoniam alienus sum ab iis, qui orant, et vigilant. Respice, Domine, cum misericordia ex altitudine sancta tua. Aspice infelicem animam meam, correctionis

expertem; et quibus judiciis scis, miserere, corrige me. Tanquam in conspectu sancti throni gloriæ tuæ astans, tanquam complexus tuos pedes immaculatos, sic oro, atque obtestor corde contrito. Miserere misericors creaturæ tuæ, converte me gratis per tuam gratiam. Novi te omnia posse: nihil vero tibi esse impossibile. Noli expectare corruptam meam voluntatem, quia promptitudinem non habeo ad me ipsum emendandum. Plora super me, universa natura visibilis, atque invisibilis, qui in peccatis, pravisque affectionibus consenui. Lugete super me, exterius propter videntes me, temperate viventem, interius vero semper scortantem.

III. O anima infelix, tua dissolutio a corpore appropinquavit. Quare lætaris alienis a te speculationibus, quas debes relinquere, ac debes deponere. Quibus rebus unquam delectasti Dominum, Dei Matrem, Sanctos, vicinos tuos? Vigila, infelix anima, ne inveniaris in doloribus, ac gemitibus, ne incassum fleas in sæcula sæculorum. Venient tunc omnia in mentem, sed non aderit tibi auxilium. Nunc est mercatus, in quo omnes negotiantur. Mitte virtutem supra tuum auxilium. Converte me, ut vivam in sanctitate secundum sanctam voluntatem tuam. Expurga cor meum factum spelæum, et receptaculum dæmoniorum. Non sum dignus, ut petam, Domine, remissionem. Sæpe enim pœnitentiam agere tecum constitui, et promissi fidem non præstiti. Sæpe me erexisti, et ego rursus concidi. Ideo sententiam fero contra me, fateorque me omni supplicio esse dignum, ac castigatione. Quoties illuminasti tenebrosam mentem meam, et prohibuisti a deceptione cogitationes meas, et denuo in pejus ruo? Totus commoveor tremens hæc recogitans, et rursus voluptas vicit me. Quo pacto dinumerare potero dona gratiæ tuæ in me collata, quæ ego miser contempsi, ac contemno propter meam socordiam? Propterea innumeris muneribus me cumulasti;

ast ego infelix contraria tibi rependo. Verum tu, Domine, ut insitum habens longanimitatis pelagus, et misericordiæ abyssum, ne permittas, ut ego tanquam ficulnea infructuosa excindar; ne festinès me immaturum a mea vita evellere : noli me imparatum rapere, noli me tollere, cum lampadem non accenderim. Noli me abripere non habentem vestem nuptialem; sed tanquam bonus, hominumque amator miserere mei, et concede mihi tempus ad pœnitentiam, et ne statuas nudam animam meam, miserandum infamiæ signum, ante terribile, atque incorruptum tuum tribunal. Si justus vix salvabitur, impius et peccator ego ubi comparebo? Si arcta, atque angusta est via, quæ ducit ad vitam. quo pacto ipse voluptuosus, delicatus, superbus, illis bonis dignus reputabor?

IV. Sed tu, Domine Salvator meus, fili veri Dei, tu ut scis, ut vis, propter solam tuam bonitatem gratis converte me ab insita in me malitia, ac perditione. Ad misericordiam tuam confugio vulneribus oppressus. Excipe mea suspiria, ut lacrymas Meretricis. Nosti, Domine, humanæ naturæ lubricum. Recordare cogitationem hominis ab adolescentia omni conatu intentam esse ad malum, et ne irascaris nobis, sed expande mihi manus, et januam misericordiæ tuæ. Ne vincat mea ignavia tuam humanitatem; ne vincat mea negligentia curam tuam. Suscipe, Domine, et exaudi sordidam, atque indignam deprecationem meam, qui salvos facis sperantes in te, qui minime aversaris preces peccatorum, qui manum porrigis jacenti in terra. Deduc me in timorem tuum. Da mihi lacrymas compunctionis. Levavi oculos spirituales animæ meæ ad te, Domine, et ne repellas me a conspectu tuo, quia benedictum manet nomen tuum in sæcula sæculorum. Amen.

PLANCTUS II

Ad vesperas sabbati.

I. Gratia tua concessit mihi, ut loquerer ad te, Domine. Ut solus bonus et sanctus, atque omnium nostrum Opifex, dimitte iniquitates, ac peccata servi tui peccatoris ingrati. Scio, Domine, a me homines universos superari peccatis, sed habeo pro refugio supereminentem abyssum tuarum misericordiarum. Minime dubito te suscipere, ac misericorditer amplecti omnes, qui ad tuam bonitatem confugiunt, et cum sis præscius, Domine, te prævidere cor illius, qui venit ad te, atque ita a te recepi ex toto corde venientem, sicut mercatorem cum multis divitiis adventantem, sic amplecteris accedentem ad te ex toto corde. Exoptas enim videre pœnitentiam, et gaudes studio servorum tuorum, qui vehementer contendunt. Concede mihi indigno famulo tuo lacrymas, ut cum illuminatione, et desiderio, et fide exorem incomparabilem tuam bonitatem, ut sanitatem consequar omnium vulnerum, latentium. Ostende igitur, et apparebit misericordia tua erga me miserum.

II. Libera me a debitis mihi suppliciis. Prædicetur gratia tua sicut semper, et alibi, sicut supra innumeros negligentes, veluti me, et sicut implesti hydrias tua benedictione, reple cor meum gratia tua, tuaque bonitate : Mater misericors contempta a proprio partu, illum non despicit, quia vincunt matris viscera. Similes vidimus hac in re etiam volucres, eodem modo etiam jumenta. Omnia tu disposuisti, Domine : verum illa quidem judicium non subibunt,

ast ego etiam verbi otiosi, et pravæ, cogitationis, et ipsius desideriis pœnas dabo. Ego autem, statim ac voluptas me aggreditur, subito omnia mea simul obliviscor, et tanquam omnino mente captus nequitiæ inservio, jactator, iracundus, mollis, piger, elatus, gulosus, voluptuosus, maculatus, singulos horis in errorem abducor, ac minime intelligo. Præsentia gratiæ tuæ, Domine humanissime, præbet dulcedinem, quietem, compunctionem, o hominum amator Domine supra modum benigne, volens, ac nolens salvum fac me propter magnam bonitatem tuam.

PLANCTUS

Ad vesperas dominicæ.

I. Tanquam ante terribile tribunal tuum, Domine, astans condemnatus, tum redargutionem meorum operum video, tum latam in me sententiam tuam justissimam, quæ me projicit a conspectu sancto tuo infelicem ad intolerabiles pœnas, ac veluti tunc allocuturus sum te, nunc clamo cum pavore et lacrymis : justus es judex justissime, et justum judicium tuum : non enim injuria affectus sum. Boni Angeli sanctissimi, super me stillate lacrymas; ego enim non misertus sum mei contemnens Dei misericordiam : cæterum revera juste pœnas luo, quoniam misericordiam Dominus mihi proposuit. De mente prorsus ejectus hoc audivi, et jure ac merito me nunc aversatur. Tunc enim vero iracunde Angeli dicent : « Non est tempus nunc pœnitentiæ, sed retributionis. Exhortatio jam nihil valet, pœnitentiæque lacrymæ otiosæ sunt, suppliciorum quoque sunt supervacaneæ, incessantes gemitus non exaudiuntur, ve-

rum nunc sine fine sunt lamentationes. Sed abi, sume tuorum operum amaram, gravemque retributionem, combustus tanquam materia impura, accedens inextinguibilem gehennam belluæ non dormituræ, vermis amarulenti. Tanquam tenebrarum filius perfruere : sempiternam caliginem dilexisti, delectare nigris faciebus, præ quibus æternum lumen respuisti. Ibi, ibi erit gemitus irrequietus, et stridor dentium affligens.

II. Heu ! heu anima mea miserabilis ! nuda existens omnino a bonis operibus : quomodo aspicies Judicem incorruptum, Archangelis assistentibus et psallentibus, terrigenis astantibus nudis : omnes ante terribilem thronum tremunt omnes. Nam judicium sine misericordia erit iis, qui hic misericordiam non fecerunt. Heu tunc anima afflicta ! Sed neque est vox, neque auditus. Etenim omnia, sicut alia, mutantur, et species tristis est etiam operibus : octavum sæculum auspicati sumus. In æternum lætantur justi, in perpetuum alii puniuntur. Deo universorum lætitiam non dederunt, sed neque ea sunt, sicut videbantur. Quod reliquum est in præsenti, clamemus ad Deum : etiam hominibus annuntiavit. Sponsores tui sunt Sancti. Annuntio tibi, Domine, omnia, et parce servo inutili. Noli despicere miserandam meam deprecationem : contaminatas extendo manus meas; ne repellas me affectibus pravis scatentem, sed ob benevolam misericordiam tuam respice in me humaniter. Me ipsum voluptatibus fœdavi, animæque decus dedecore affeci. Consiliis carnis famulatus sum, et priorem dominatum perdidi. Inimici suggestionibus aures præbui, atque affectionum imagines in mente expressi. Ventris appetitus perfeci, mentisque splendorem obscuravi. Cum in honore essem adoptionis legitimæ, assimilatus sum jumentis insipientibus. Et horridus tenet me timor et tremor, dum prospicio mortis ictum omnibus laten-

ter supervenientem, cum nullam emendationem præferam.

III. De profundis clamo ad te, Domine, et procidens suspiro cum lacrymis. Propitius esto mihi, ac mitis, habenti spem meam in te. Fac ut ipse futuram iram illius condemnationis effugiam. Complaceat tibi, ut saxea mea anima virtutibus fæcunda appareat. Infructuosas meas cogitationes evelle igne sancti Spiritus tui. Noli me recidere tanquam arborem sterilem, et mittere in ignem inextinguibilem. Ne declares me paleam ad ignis pabulum, sed tanquam frumentum Deus meus congrega. Genu cordis flecto ego miser non audens in cœlum respicere. Suscipe deprecationem sordidi oris opifex, qui solus es absque peccato, qui omnium rex es, et omnipotens, tyrannum Belial prosternens. Ex universis iniquitatibus libera me. Festum agunt Angeli et homines, meam conversionem intuentes. Vivifica tua præcepta despexi: deceptus sum actionibus execrandis; ne respuas, optime Domine, liberare me a servitute dæmonis. Cum cordis timore te exoro, qui sponte me condidisti, gratis etiam atque etiam amasti, adeo ut propter me carnem sumeres, mortemque subires. Nunc immemor autem visus sum ego miser tantæ bonitatis tuæ, Salvator, servituti omnino subjectus voluptatum, ac quotidie maculans corpus et animam. Clamo, peccavi, et gravia patrare non desino. Nunc condemnatus asto, optime: verum concede mihi peccatorum remissionem tanquam Deus misericors, et compatiens. Dei genitrix Virgo mater Dei, porta cœli et arca, habeo te salutem securam: gratis Domina salva me. Legiones Angelorum in cœlis sæpe ingemiscunt super me, ne rapiant repente animam meam, et vadam in fluentum ignis. Legislatores Apostoli, tremendi assidentes pariter Judici, ensiferi Angeli, et terribiles divident corda peccatorum. Ululat tunc omnis spiritus; non

enim habent (heu) finem molesta. Præoccupa hæc omnia, anima, imitans Meretricis fletum.

IV. Eripe me tunc, Salvator, a tremenda suppliciorum horrendorum denuntiatione. Te hymnis celebrant assidue Cherubim a quadriformibus Seraphim vecti. Cœlestes Ordines more ministrantium in unitate te Trinitatem proclamant: Lux ingenita es, o Pater, et coæternum habes tuum Filium: coæternum habes Spiritum tuum largientem omnibus spiritum vitæ tanquam misericors et miserator, ac benignus. Precibus Martyrum et Prophetarum, Apostolorum, Sanctorum, Hierarcharum. et nostras suscipe voces, Pater cœlestis: gloria tibi, Domine, cui honor et potentia cum sanctissimo, atque optimo, et vivificante ipsius Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

PRECATIONES AD DEIPARAM.

PRECATIO I.

Sanctissima domina Dei genitrix sola purissima anima et corpore, sola supergressa integritatem omnem et pudicitiam, et virginitatem : sola tota facta domicilium universarum gratiarum sanctissimi Spiritus, atque inde etiam ipsas incorporeas virtutes sine ulla comparatione antecellens puritate, ac sanctitate animæ et corporis; respice in me execrandum, atque impurum, fœdatumque in anima, et corpore meæ vitæ mollis, et voluptuosæ inquinamentis: Expurga meam mentem pravis affectionibus deditam. Purifica me, et corrige meas aberrantes, cæcutientesque cogitationes: eompone, atque erudi sensus meos. Eripe me a servitute tyrannicæ, pessimæ, ac turpissimæ consuetudinis impurarum præoccupationum, atque affectionum. Refrena omnem in me iniquitatem dominantem, et concede sobrietatem, ac discretionem obtenebratæ, et miserrimæ menti meæ, ut corrigat proprios errores et lapsus; ut a peccati tenebris liberatus, dignus fiam, ut laudem, atque hymnis celebrem secure. Te solam veram matrem veri luminis Christi Dei nostri, quia sola cum ipso, et per ipsum benedicta, et glorificata permanes ex universa visibili, atque invisibili creatura, nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

PRECATIO II.

I. Virgo domina Deipara, benedicta Dei genitrix, benedictissima mater Dei, Deo gratissima, supra omnes benedicta, vas divinitatis unigeniti Filii immortalis, et invisibilis Patris, inclina aurem tuam, atque exaudi verba emissa a labiis meis sordidis et impuris. Ecce enim corde contrito, atque humili mente ad tuam misericordiam confugi. Noli igitur me infelicem despicere, neque sinas, ut ipse indignus famulus tuus peream in finem, sed maternis tuis orationibus usa sana animam meam miseram, quæ pravis meis affectibus attrita est, quam malus inimicus voluptuosis criminibus atterens in terram pessumdedit. Ideo omni confusione plenus sum, ac minime audeo, neque fidenti vultu plurimorum criminum remissionem, atque immedicabilium vulnerum meorum medelam ab humanissimo Deo meo possum exposcere. Pollui enim templum corporis, ac fœdis cupiditatibus illud miserum in modum inquinavi, omnesque sensus illicitis actionibus depravavi. Unde extollere manus ad cœlum minime audeo, quas contaminavi pravis operibus, neque ad preces labia aperire, quæ conviciis in proximum, ac calumniis fœdavi. Idcirco Domina purissima ante tuas misericordias inexplicabiles me ipsum projicio ipse miser et decoctor. Non est enim mihi alia spes, aut perfugium, nisi tu, et sola mea consolatio, ac cita defensio, animæ meæ exultatio, mœroris solutio, captivitatis liberatio, mortalium cum Deo conjunctio, nostrum propitiatorium et subsidium, lapsorum resurrectio, meæ animæ revocatio, corporisque, meorum peccatorum redemptio,

arescentis cordis mei divina aspersio, tenebricosæ meæ animæ lampas lucidissima, nuditatis meæ vestis, meorum gemituum solamen, mearum calamitatum commutatio. In te etenim spero, in te glorior: ne longe arceas a nobis tuum patrocinium, sed auxiliare et protege, et adesto porro in perpetuum.

II. Delectatur tuis precibus unigenitus tuus Filius, et quanto magis ipse, qui inter servos annumerari voluit, servabit gratiam, ac proprium decretum tibi, qui sibi ministra fuisti inexplicabilis generationis. Quare etiam gaudet tuis intercessionibus, propriam existimans gloriam, et tuas veluti debitas petitiones adimplet. Solum me infelicissimum ne despicias, atque actionum mearum fœditates immensæ tuæ misericordiæ obicem ne ponant: Dei Genitrix, meum decus desiderabilissimum; nihil enim est tuo auxilio firmius tropæum. Tibi igitur omnino immaculata, et mediatrix mundi, pœnitenti corde supplico; tuum promptum in necessitatibus præsidium, post Deum salutare, et securum, et fortissimum patrocinium invoco ego delictorum complurium reus ex profundo cordis mei. Bonitatis, et misericordiæ amatrix, miserere mei pleni fœditatis, et pigritiæ, ac miseram hanc, vilemque precationem suscipe; et si pigre, negligenterque obtuli tibi, nihilominus acceptum me maternis tuis precibus fac Filio tuo reddendo dignum me regno cœlorum laudantem, ac benedicentem Patri, et Filio, et Spiritui sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

PRECATIO III.

I. Virgo Domina Dei Genitrix, quæ Salvatorem Christum, et Dominum nostrum in utero portasti, in te spem meam omnem repono, et in te confido, quæ sublimior es omnibus cœlestibus Potestatibus. Tu me purissima divina tua gratia tuere, meam vitam guberna, atque ad sanctam voluntatem filii tui, et Domini nostri iter ostende. Tu mihi largire remissionem culparum. Sis mihi perfugium, protectio, atque defensio, et manuductrix transferens ad vitam æternam. In terribili vero meæ mortis hora, Domina, ne derelinquas me, sed ad adjuvandum me festina, et eripe a dæmonum crudeli tyrannide : etenim penes te posse est, utpote quæ es vere Mater Dei, et omnia potens. Suscipe omnium mitissima sanctissima Domina Dei Mater dona pretiosa, et tibi soli convenientia a nobis indignis famulis tuis, quæ electa es ex omnibus generationibus,et terrenis rebus sublimior visa es. Quoniam per te Filium Dei cognovimus, per te fuit Dominus virtutum nobiscum, dignique facti sumus sancto illius corpore, et sanguine. Beata tu es in generationibus generationum Deo gratissima, Cherubim splendidior, et Seraphim gloriosior. Et nunc omnibus laudibus celebrata sanctissima Dei Genitrix, ne cesses intercedere pro nobis famulis tuis indignis, ut ab omnibus dæmonis insidiis, atque ad omnibus damnis nos eripiamur et procul a vulneribus conservemur cujuscumque aggresionis venenatas sagittas ejaculantis : quinetiam usque in finem tuis precibus custodi nos a damnatione securos, ut tuo patrocinio, atque auxilio salvati, gloriam, et laudem, et

gratiarum actionem, adorationemque semper demus soli Deo in Trinitate, et omnium rerum Conditori. Domina benigna, et nobilissima, Mater Dei boni, optimi, omnemque bonitatem excedentis, respice ad preces indigni, atque inutilis servi tui, ac tuo misericordi oculo, et secundum magnam misericordiam inexplicabilium viscerum tuorum fac mecum, et noli respicere mea delicta seu in verbo, seu in opere, seu secundum quemlibet sensum, voluntaria, atque involuntaria, scienter et ignoranter : totumque me renova efficiendo templum sancti, vivificantis, et principalis Spiritus, qui inhabitavit, obumbravitque in tuo utero immaculato, Altissimi Virtus.

II. Tu enim es afflictorum auxiliatrix, patrona periclitantium, salus fluctantium, in procella portus, adjutrix, ac susceptrix versantium in necessitatibus. Concede servo tuo compunctionem, cogitationum tranquillitatem, serenitatem mentis, animum temperatum, sobrietatem intelligentiæ, spiritum humilem, convenientem sanctitati ac sobrium constitutione, morem circumspectum, atque compositum, judicium præ se ferens interioris animæ simul et modestiam, pacemque, quam Dominus noster propriis Discipulis largitus fuit. Perveniat oratio mea ad templum sanctum tuum, et ad habitaculum gloriæ tuæ. Distillent oculi mei fontes lacrymarum, ut abluas me propriis lacrymis, abstergasque fletuum meorum imbribus expurgando me ab affectionum sordibus. Meorum delictorum chirographum dele, dissipa nubes tristitiæ meæ, cogitationum nebulam, et perturbationem, affectuum procellam, et turbinem procul remove a me, et me custodi imperturbatum, et hilarem : dilata cor meum spiritali latitudine, exhilara, et concede mihi lætitiam inexplicabilem, gaudiumque continuum, ut vias rectas mandatorum filii tui recto cursu conficiam, et irreprehensibili conscientia, atque inoffensa

conversatione procedam. Concede vero etiam puram orationem mihi precanti ante te, ut pura mente, ac fixa cogitatione mediter assidue inexplebili animo nocte ac die, divinarum Scripturarum eloquia, et psalmum dicam in confessione, et lætitia cordis orem ad gloriam, et honorem et magnificentiam unigeniti Filii tui, et Domini nostri Jesu Christi, quem decet omnis gloria, honor, atque adoratio, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

PRECATIO IV.

I. Domina mea Sanctissima Dei Genitrix, et gratia plena, Mater Dei benedictissima, Deo gratissima Deipara, vas divinitatis unigeniti Filii tui, immortalis, et invisibilis Patris, sedes igniformis quadriformibus longe gloriosior, tota pura, tota immaculata, tota illibata, tota impolluta, tota irreprehensibilis, tota laudabilis, tota incorrupta, tota beatissima, tota inviolata, tota venerabilis, tota honorabilis, tota benedicta, tota memorabilis, tota desiderabilis, virgo anima, et copore, et mente, cathedra Regis, qui sedet super Cherubim, porta cœlestis, per quam nos a terra ad cœlum currimus, Sponsa Dei, per quam ipsi reconciliati sumus, inepinatum miraculum, inexplicabilis auditio, absconditi sacramenti divini manifestatio, inexpugnabile patrocinium, defensio fortis, fons vivificus, pelagus inexhaustum divinarum, secretarumque largitionum, ac munerum, altitudo divinis Potestatibus sublimior, profundum in investigabile absconsarum cogitationum, naturæ communis gloria, bonorum omnium erogatio, omnium post Trinitatem Domina, post Paraclitum

alius consolator, et post Mediatorem mediatrix totius mundi, vehiculum intelligibilis solis, veræ lucis, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum : ferens verbo omnia portantem, vestis immaculata ejus, qui induit lucem sicut vestimentum : pons mundi totius ad altisimum cœlum nos ducens : Cherubim, ac Seraphim, sine ulla comparatione superior, ac longe gloriosior, Angelorum splendor, hominum tutela, clavis in cœlum nos introducens, Mater, et Ancilla non occidentis stellæ : splendor veri, mysticique diei, ininvestigabilis Dei bonitutis abyssus, currus divinus : et multi nominis, veræ fidei firmissimum fundamentum : ejus, qui capi non potest, locus amplissimus : vitis vera vitæ fructum proferens, oliva fructifera fidelium animas exhilarans, universalis protectio mundi, porta mysterii supra intellectum venerabilis, complementum gratiarum Trinitatis, veluti secundas partes tenens post Divinitatem : fulgur fidelium animas illuminans, peccatorum reconciliatio, stantium securitas, lapsorum revocatio, excitatio socordium, benevalentium robur, Ecclesiarum concordia, exercituum felicitas, bonorum omnium suppeditatio, urbium bona institutio, totius mundi pax, tolerantia monachorum, fortitudo athletarum : thesaurus vitæ incoruptæ, nubes fundens cœlestem rorem in terram : scala, per quam cœlestes Angeli ad nos descendunt : portus tempestate jactatis, afflictorum gaudium, affectis injuria patrona, derelictorum auxilium, infirmorum confirmatio, oppressorum recreatio, cæcorum scipio, aberrantium salutaris dux, in necessitatibus auxiliator securus. Arca sancta, per quam ab iniquitatis diluvio salvati sumus : rubus incombustus, quem vidit Moyses Divinitatis spectator : thuribulum aureum, in quo Verbum carnem incendens, mundum odore replevit, atque inobedientiæ combusta sunt crimina : tabula a Deo exarata, septem luminum candela-

brum, cujus splendor solares radios superavit : tabernaculum sanctum, quod spiritalis Beseleel ædificavit, regium vehiculum, vas manna repletum, hortus conclusus, fons signatus, cujus rivi purissimi irrigant totum mundum, Virga Aaron divinitus florens, vellus Gedeonis rore madens, liber divina manu scriptus, per quem Adami chirographum scissum est, mons Dei, mons sanctus, in quo bene placitum est Deo habitare in eo : radix sancta Jesse : Civitas Dei, de qua gloriosa dicta sunt de te, ut David loquitur : mœstitiæ dissolutio, captivitatis liberatio, mortalium Deificatio : pulchra natura, omnisque reprehensionis incapax, illa, quæ a Libano Virginitatis redit, et mundum odoramentis replet, ex qua dulcedo defluens antiquam ligni acerbitatem dulcem effecit, quæ totius divinæ substantiæ horrendum in modum capax fuit : munus quocumque pretio excellentius, omnibusque bonis æstimabilius ornamentum : lectus Salomonis, quem circum assistunt sexaginta Potentes, sermones nempe Scripturæ divinitus inspiratæ. Locus luce repletus, ex quo salutis radii universo mundo illuxerunt : porta ad orientem respiciens Ezechielis, tremendæ dispositionis magnificentia, speciosum divinæ demissionis hospitium, mundi reconciliatio, nostrum propitiatorium, et refugium, omnium bonorum donum optabilissimum, forceps ignifera, quam Isaïas conspexit, mons virtutibus umbrosus, quem Habacuc prævidit, mons Danielis, a quo lapsis abscissus est sine manibus, porta ad orientem versa Ezechiel, paradisus sanctissimus in Eden, lignum vivificum pulcherrimum, ac jucundissimum fructum ferens, malum odoriferum, rosa suave olens, flos immarcessibilis, lilium candidissimum, liber signatus, quem nemo legere potest. Virginitatis exemplar sine scripto expressum, viso pretiosa Prophetarum, purpura a Deo contexta, omnis prophetiæ manifestissima adimpletio, os lo-

quax Apostolorum, vincentium fiducia invisibilis, regum firmitas, sacerdotum gloriatio, delictorum remissio, justi Judicis placatio, lapsorum resurrectio, mundi desiderium, meæ animæ corporisque restauratio, salus mea, consolatio mea, mea vita, mea lux, spes mea refrigerium meum, animi mei voluptas, refugium meum, protectio, robur, lætitia, dulcedo, murus, subsidium, munitio, armatura, defensio, gloria, patrona, mediatrix, tranquillitas, tuitio, exultatio, pax, laudatio, gaudium, benedictio, anchora, abundantia, ros, dignitas, sanctitas, magnificentia, liberatio, molestiarum mearum consolatio, illuminatio, ac sanctificatio animæ meæ, peccatorum meorum redemptio, oblectatio ex Deo animæ meæ, mei avidi cordis divina aspersio, tenebrosæ meæ animæ lampas lucidissima, nuditatis meæ operimentum, gemituum meorum sedatio, meorum infortuniorum correctio, continentia, purificatio, fortitudo, temperantia, virtutum ornamentum, mea libertas, portus, thesaurus, negotiatio vere æterna, stabilis pœnitentia, sublimitas, bona valetudo, species, robur, bonum consilium, intellectio, exultatio, Domina mea, gaudium meum, splendor meus et ad Deum meum vigil custodia non erubescenda. Vide meam fidem, meumque desiderium divinitus datum, tanquam quæ compassionem, et potentiam habes.

II. Tanquam vero Mater ejus, qui solus bonus, ac misericors est, suscipe miserrimam animam meam, eamque dignare per tuam intercessionem, defensionemque, parte dextera unigeniti Filii tui, et requie electorum, sanctorumque ipsius; auxilium, defensionemque non habeo, præter te; in te spero, voti compos ero; in te glorior; noli propter mea multa errata, atque iniquitates avertere faciem tuam a me indigno famulo tuo. Habes enim velle, et posse, tanquam quæ modo inexplicabili unum ex Trinitate genueris; habes quo suadeas, quo flectas; habes manus, quibus eum

inenarrabiliter portasti; ubera, quibus lac præbuisti; in memoriam revoca fascias, et reliquam educationem ab infantia; misce cum tuis ea, quæ ipsius sunt, crucem, sanguinem, vulnera, per quæ salvi facti sumus. Ne, quæso, longe facias a me protectionem tuam; sed opitulare, et protege, ac præsto sis semper. Debitorem enim habes illum, qui dixit: « Honora patrem tuum, et matrem tuam [1]. » Et quanto magis ipse, qui inter servos recenseri voluit, servabit gratiam, propriumque decretum tecum, qui ei ministra fuisti generationis ad redemptionem? Unde quoque honori sibi ducens tuis intercessionibus indulgere, etiam veluti debitas implet tuas postulationes. Solum ne despicias indignum, neque mearum actionum fœditates tuam immensam misericordiam interrumpant, Dei Genitrix, meum desiderabilissimum nomen; nihil enim est firmius tropæum, quam tuum auxilium; tu enim abstulisti omnes lacrymas a facie terræ; tu creaturam replesti omni genere beneficii, Cœlestibus lætitiam attulisti, terrestria salvasti, figmentum mutasti, Artificem placasti, Angelos demisisti, homines exaltasti, superiora, atque inferiora per te ipsam conciliasti, optima præparasti, mutans omnia in melius; per te resurrectionis nostræ tesseram certissimam tenemus; per te cœleste regnum nos consecuturos esse speramus; te nostræ salutis auxiliatricem habemus, te Christianorum cœtus firmissimum murum possidet; tu paradisi claustra aperuisti, tu ascensum ad cœlos præparasti, tu Filio tuo, et Deo adoptasti; per te omnis gloria, honor, et sanctitas ab ipso primo Adam, et usque ad consummationem sæculi. Apostolis, Prophetis, justis, et humilibus corde, sola immaculatissima, derivata est, derivatur, ac derivabitur, atque in te gaudet, gratia plena, omnis creatura. Et ego in te confido propter te, quæ verissime secundum carnem verum

[1] Matth. XIX, 19.

Deum peperisti, cui convenit omnis gloria, honor, atque adoratio cum Patre sine principio, et sancto, et bono, et vivificante ipsius Spiritu, nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

PRECATIO V.

I. In te patrona, et mediatrice erga Deum ex te genitum genus humanum, Dei mater, felicitatem suam ponit, atque a tuo semper pendet patrocinio, teque solam habet perfugium, ac defensionem, utpote quæ confidentiam habes apud ipsum. Ecce ipse quoque ad te venio ferventi animo, minime audens secure accedere ad tuum Filium, sed supplex oro, ut per tuam intercessionem apud eum salutem consequar. Noli igitur despicere famulum tuum, qui omnem spem meam repositam habeo in te post Deum, noli aversari prorsus periclitantem, et in maximis ærumnis exercitum; verum, miseratrix, ac misericordis Dei Mater, tui famuli miserere, et libera me a damnabili conscientia, compescendo cogitationum tempestatem, voluptatum fornacem extingue, carnisque incendium reprime, et dilectionem erga tuum Filium, ac Deum meum accende, omnesque meos sensus tuere, nullum præbendo fœdis cupiditatibus ingressum. Ut pœnitentiæ tempus mihi detur, supplex oro, ne me infructuosum mortis falx excindat, neque veluti sterilis igni tradar. Accende animæ meæ lampadem extinctam, meorumque mœrorum caliginem dissipa, appetituumque meorum ægrotantium nebulam tuis precibus expelle. Multum enim potest materna precatio apud Filium, qui facile flectitur. Da mihi pœnitentiæ lumen, atque ad

compunctionis diem manuducito, et dignum me fac, ut me geram secundum beneplacitum Dei benignissimi omnibus diebus vitæ meæ; et quousque in hac vita versor calamitosissima, defende, protege, custodi, naviganti annaviga, iter agenti comes esto, dormientem tuere, atque omnes meas vias dirige. Quando autem erit, ut e corpore egrediar, adesto mihi, Domina bonorum amatrix, intolerabilemque dolorem illum alleva, ac meum laborem mitiga, et infelicis animæ meæ ducem te præbe ad habitationes æternas, ut ne potestas tenebrosa mihi occurrat, ac me ad profundum inferni pertrahat; placabilem judicem videam, aspicientemque in me benigne; liberer a flamma sempiterna per te Dei sponsam; perfruar Trinitate, quæ voluptas est paradisi; regni cœlorum compos fiam, ut te solam, quæ humani generis præsidium facta es, et quæ per tuum partum cladem primæ parentis correxisti, quæque peccatorum es patrona, ac desperantium consolatio existis, et quæ afflictorum solamen nuncuparis; extollam laudibus, beatamque prædicem a te conservatus. Te etenim beatam dicent omnes generationes, Virgo Domina Dei genitrix, Spes Christianorum omnium.

II. Expelle a me misero, atque infelice servo tuo negligentiam, oblivionem, stultitiam, socordiam, vanam gloriam, adulterium, scortationem, pædicatum, gulam, omnesque malas, fœdas, ac maledicas cogitationes ex misero, atque infelici corde meo, et ex mea mente obtenebrata, et ab omnibus malis meis actionibus libera, flammamque pravorum affectuum extingue, quia infirmus sum, atque ærumnosus, quia omnium mortalium gloriosissima es. Gratias ago tibi, Domina Dei Mater, et encomiis, laudibusque te extollo, quod vires mihi præbuisti, ut pervenirem ad finem diei, atque ad hanc noctem, qua deprecor acceptissimum patrocinium tuum; da mihi remissionem

negligentiæ, ac pigritiæ dominantis in me in ipsa usque adhuc; et tuis precibus promptitudine imple, ut divinis tuis laudibus, atque humanissimi filii tui, et Dei operam dem, eo quod miser liberatus fui, atque eripior a variis morbis, calamitatibus, et tribulationibus, periculisque animæ simul, ac corporis; procido ante te, ac toto fervore extollo vocem ad gratiarum actionem ego famulus tuus, cujus tu maximopere benedicta miserta fuisti, propter immensam misericordiam, ac commiserationem, utpote quæ Mater es benignissimi hominum amatoris.

III. Gaude purissima gratia plena : Gaude immaculata Dei genitrix Virgo : Gaude Virgo hominum gloria : Gaude omnium Prophetarum implementum : Gaude perfectio omnium congregationum Domini : Gaude ipsius Testamenti sigillum : Gaude meta consiliorum illius : Gaude manifestatio mysteriorum ejus : Gaude advocata infamatorum injuste : Gaude collectio jamdudum dissidentium : Gaude fulcimentum inclinatorum deorsum : Gaude lumen in tenebris positorum : Gaude renovatio senescentium : Gaude propitiatio aberrantium, ac liberatio : Gaude lux errantibus viam demonstrans : Gaude portus, ac protectio navigantium : Gaude Patrona, et munitio in necessitatibus: Gaude Salus secura fidelium : Gaude nova maxime, ac divina largitio : Gaude mortalium omnium Domina : Gaude lætitia, et gloria Angelorum : Gaude rerum omnium conditarum sublimissima : Gaude Dei existens etiam famula : Gaude benedictissima in sæculum sæculi : Gaude lignum opacum Virgo puella, ex quo omnes fructum decerpimus, quem comedentes exhilarantur, non moriuntur : Gaude Maria virgo mater, mater sponsa : Gaude ornamentum mundi muliebris : Gaude filia David splendide ornata : Gaude mensa mysticarum gratiarum : Gaude Regisque, Deique mei Victoria : Gaude tum Patriarcharum, tum

vincentium exultatio : Gaude murus invocantium te : Gaude defensio simul, et firma protectio : Gaude omnino immaculata Dei divina sedes : Gaude splendida Dei mater sola : Gaude Salomonis lectus sanctissimus : Gaude spiritalibus mentibus honorabilior : Gaude meorum delictorum solutio: Gaude Regina generis Adamitici : Gaude gladius pravorum dæmonum : Gaude ingentium bonorum servatrix : Gaude copiosissima sapientiæ donatio : Gaude in periculis existentium solamen : Gaude inopum ditissima susceptio : Gaude omnium bonorum vitæ, gaude omnium gratiarum causa.

IV. Quin, o sola Domina, meum ex Deo oblectamentum, ros divinus ardoris mei, arentis cordis mei aspersio divinitus manans, aridi mei fontis lacrymarum scaturigo ad expiationem mearum iniquitatum, obscuræ animæ meæ lampas splendidissima, mei itineris directio, infirmitatis robur, nuditatis operimentum, paupertatis opulentia, immedicabilium vulnerum sanatio, lacrymarum ablatio, suspiriorum sedatio, calamitatum levamen, vinculorum solutio, exaudi orationes meas, miserere meorum gemituum, et suscipe meas lamentationes. Miserere mei commota meis lacrymis; commoveantur viscera tua erga me, tanquam mater benignissimi Dei; respice, atque annue ad meam obtestationem, et exple sitibundum meum desiderium, et respice graviter infirmum, atque in anima ægrotantem. Libera me ab affectione, quæ in me dominatur, quæque acerrime impugnat semper diu, noctuque, atque ad mortem ducit miseram meam animam : Libera etiam me a sagittis Belial, atque a visibilibus, et invisibilibus inimicis, et reple me divina voluptate, declarando me socium Sanctorum, ac justorum simul, tua exima apud Deum intercessione, et socia me cum servis, et famulis in terra mansuetorum, in tabernaculis cœlestibus, in regione vivorum, in oblectatione sanctorum; dignare me omnium protectio, omnium·

que lætitia, atque voluptas, ut cum ipsis læter, oro te, in gaudio illo vere inexplicabili filii tui ex te geniti, et Regis, et in thalamo ipsius, atque regno interminabili. Utique Domina, refugium meum, vita, et defensio, armatura, et exultatio, spes, et robur, concede mihi, ut cum ipsis perfruar muneribus, ac thesauris inexplicabilibus, atque incomprehensibilibus Filii tui in habitatione cœlesti. Habes enim consentientem voluntati potentiam, tanquam mater Altissimi, atque ideo fidenter spero fore me compotem, Domina mea, votorum meorum. Compos fiam illorum, Dei sponsa, quæ es omnium spes, quæ supra omnem intelligentiam peperisti Dominum nostrum Jesum Christum, quem decet omnis gloria, honor, et adoratio in sæcula sæculorum. Amen.

PRECATIO VI.

I. Inoccidui luminis Mater, audi me, precor, confitentem; cœno enim, ac sordibus repletus sum, et tenebris miser obrutus; terram, heu infelix, maculavi compluribus meis criminibus, Domina. Ideo clamat nunc suspirans contra me apud Judicem incorruptum, allegans etiam testes cœlum cum astris, et solem. Tempestas etiam cogitationum mearum demergit ad desperationem. Anima mea cum timore procedit præstolans fugere condemnationem. In te, Dei genitrix, totam spem meam ego luxuriosus reposui. Vide, tota confusione repleta est, heu mihi, facies famuli tui. Saltem ora sine intermissione quem peperisti, ut etiam mei indigni misereatur; dissolve sola, vincula mea indissolubilia, tu quæ Reparatorem mundo genuisti. Denique gratum me, atque in tenebras conversum, pœni-

tentiæ lacrymis dealba; mortuum me ob nimiam segnitiem, tu quæ vitam meam peperisti, resuscita. Me peregrinum factum Deo, et Angelis, ad eos rursus reducito, Dei Genitrix. Spectaculum vere horrendum; quomodo meas iniquitates pertulit Dominus? Quomodo statim in profundum inferni non dejecit me miserum vivum? Quomodo securim non dimisit e cœlo clam, vel gladium, ut me feriret? At tu omnino tuis deprecationibus vitam mihi, o Domina, largita es, meam quærendo pœnitentiam, quam mihi servo tuo, benignissima, fac præbeas. Tu enim murus meus, et portus, et munitio facta es; lux divinæ faciei tuæ mihi affulgens, ut media nocte hymnum persolvam. Largire mihi Domina compunctionem, suspiria non intermissa, et lacrymas; ablue meæ animæ valles, perfectamque mihi indulgentiam concede, ut mortalis Deum ferens, et ut quæ concepisti Deum hominem factum. Videam te mentis oculis, immaculata, media nocte, et gaudeam. O robur, o spes non erubescenda, o vita, ac dulce lumen servi tui, a lingua profana, atque ore immundo hanc orationem excipe. Nunc nox fiat servo tuo salutis dies, Dei sponsa. Nunc lætentur Angeli super me, Domina, ac justorum spiritus, ut laudare possim cum gratiarum actione hilari animo sanctissimum nomen tuum.

II. Tu potes, omni laude major, quæcumque vis (nec dubito) apud Deum, quem peperisti. O Trinitas, adoratio convenit tibi. O Dei mater major omni cogitatione, atque eloquio. O Virgo omni virginitate sine controversia sublimior, tanquam Virgo etiam ante divinum partum super omnes virgines, quæ fuerunt, et in ipso partu, ac post partum eadem permanens, per quam hominum natura, quæ jamdiu prolapsa longe a Deo recesserat, benignitatis inexplicabilis, atque incomparabilis demissionis modo, cum beata, ac divina natura copulata est, cum nullo pacto.....

persona conversionem, aut confusionem, mutationemve (*Passa sit,*) [1] per quam, post etiam unionem maxime tremendam, et reconciliationem, invidia maligni, ac mentis nostræ stultitia, a justitia delapsi, rursus revocamur; tuumque Filium, ac Deum nobis propitium invenimus propter indefessas intercessiones tuas apud eum. Domina, te oro, ac deprecor misericordem, atque benignam Dei misericordis, ac benigni Matrem, meam defensionem suscipe etiam hora hac, mei indigentis, si unquam alias, maxime nunc tuo patrocinio, ac protectione. Quoniam enim prorsus impuritas sum, et peccatorum colluvies, atque, ut breviter dicam, mortiferorum omnium vitiorum receptaculum, ad intemerata, ac tremenda Filii tui, et Dei mysteria venire cupio; totis artubus contremisco, et terrore corripior propter intolerabilem multitudinem nostrarum iniquitatum. Quem enim meorum sensuum miserum in modum minime inquinavi? Quibus non corruptus sum turpibus cogitationibus, et fictionibus vanitatis? Quis captivitatis modus non tenuit omnino mentem meam? Non solum enim, in quas miserum in modum incidi pravas affectiones, in iis præoccupatus tanquam captivus, huc, et illuc feror, neque eæ, quas per sensuum intemperantiam ex alienis actionibus, aut conversationibus, aut per transitum in auditum incidentibus, aut visis, congessi in me malas imagines, dissipant mentem; verumetiam, quæ nondum fuerunt, neque existent, neque audita sunt, neque visa, consentiens ægrota mens mea et fragilis, et puerilis, et infructuosa, auctori malitiæ, et tanquam existentia sibi fingens, in his miseræ vitæ tempus consumpsi.

III. Talibus, ac tantis adhærescens malis, ad hujusmodi excellentes res, ac divinissimas, quas certe etiam Angeli prospicere desiderant, accedere proposui, o Domina, et

[1] Deest aliquid.

vereor, ne forte tanquam indignus, ut ille non vestitus veste nuptiali, ligatis manibus, et pedibus projiciar in tenebras loco illuminationis, et participationis gratiæ divinæ, damnatus ad mihi convenientem habitationem tenebrarum. Verum quid ago? indigne certe participans mysteriorum hujusmodi tremendorum, tantas, et pejores expecto pœnas subire. Expers vero horum aliquando permaneo, multumque indignitatem extendens, in profundum, ut ita dicam, malorum incidens contemnendo, earumdem etiam castigationum, vel etiam majorum, etiam hoc pacto reus fio. Angustiæ igitur undique mihi sunt in opere. Ideo etiam ad te confugio, auxilium inexpugnabile, et revera fortissimum.

IV. Commoveantur igitur viscera tua, Domina purissima, erga me, et utens libertate materna cum tuo Filio, et Deo, remissionem exposce porro errorum præteritorum. Fac me vero facilem ad concipiendum ignem comburentem, atque illuminantem mysteriorum vivificorum ipsius, eo magis quod possides voluntatem excellentissimæ potentiæ correspondentem, et dignare me purum fieri, et illustrari horum participatione, ac reliquum vitæ meæ in pœnitentia, et castitate, atque humilitate percurrere doce, in operibus, in sermonibus, in cogitationibus, in omnibus animæ, et corporis motibus semper assistens, dirigens, præsidens, manuducens, contrarias avertendo potestates, et tanquam servum, quanquam inutiles, tuæ bonitatis omnimode fovendo, ac custodiendo. Utique Domina semper benedicta, ne despicias vacuas preces meas indignas, et miserabiles. Sed et in hac vita, et in exitu infelicis animæ meæ, et in futuro tremendo, atque incorrupto judicio adesto mihi adjuvando, et liberando ab omnibus rebus infaustis. Ut gratia tua salvus factus, benedicam, et laudem te, et tuis splendoribus illustratus, ad laudationem, ad gloriam, ad

adorationem extollar optimæ, et omnium effectricis, et beatæ Trinitatis, in universa sæculorum sæcula.

PRECATIO VII.

I. Domina laudabilissima, atque optima, misericordiæ fons, bonitatis abyssus, aqua viva, peccantium patrona, fluctuantium portus : quæ sine semine in utero Deum suscepisti, et digna putata es fieri Mater Dei : Vitis vera, vas continens manna, cadentium correctio, cunctorum refugium, totiusque mundi vita : me execrabilem, scortorum amicum, et turbulentum, negligentem mente, et actione, atque electione, qui meam vitam luxuriese consumpsi; age, ut Dei Mater benignissima simul, et misericors, noli respuere me peccatorem, atque impurum; sed accelera suscipere deprecationem prolatam ad te a sordidis labiis meis, conciliando mihi benevolentiam Judicis, precibus acceptissimis, atque humanissimis tuis, quæ vere es purissima, et Dei Mater. Pande mihi viscera misericordis Filii tui : deprecare ut errores meos despiciat, dirige cogitationem meam ad pœnitentiam, et mandatorum ipsius fac me executorem probatum; et ne sinas, ut evadam præda, aut cibus Satanæ letiferi, sed renova me tua intercessione multis jam inveteratum peccatis; et meam hanc attritam vitam corrige, ut habens te præstantissimam Mediatricem. inculpate ante Judicem astem, tremendumque supplicium effugiam, atque ipsius gloriæ hæredem declares tua intercessione, ut eam consequar, immaculatissima, deprecante te factorem meum, quem decet gloria, honor, atque adoratio in sæcula. Amen.

II. Virgo Domina mater Domini mei Jesu Christi, scio me impurum esse, et profanum, et execrandum, et indignum, quoniam supergressæ sunt caput meum iniquitates meæ, multiplicatæ sunt enim super arenam maris : putruerunt, et corruptæ sunt cicatrices meæ animæ ex multis malis meis ; sed venio ad te pœnitens, et procidens ante te, confitendo omnia mea peccata gravissima. Te Dei matrem sæpe ad iram provocavi insordescendo meis impuritatibus : miserere mei tu, quæ omnium humanissime misereris, et mihi ignosce, et noli me, Domina, despicere : neque avertas faciem tuam a me. Et aversus ero miserrimus, heu heu a te? Minime, Domina, minime gaudeant in hoc, heu, heu, inimici mei. Excita cogitationem meam ad pœnitentiam, et manuduc me in viam salutis, quam cum invenero, ac tenuero, habeam te comitem, et tuo ductu salvus ero. Utique Domina mater humanissimi Dei, confringe cor meum, atque illud deprime, et reple oculos meos lacrymis spiritalibus, eosque illumina luce tuarum intercessionum, ne obdormiam in morte. Asperge me hyssopo misericordiæ tuæ, et expurga me abluens me per tuam gratiam meis lacrymis, et super nivem dealbabor. Utique mater Domini mei Jesu Christi, suscipe miseram hanc meam confessionem, et petitionem, ac præside meæ menti, et reliquum vitæ meæ sine scandalo in pœnitentia conserva, et tempore exitus humilis animæ meæ a corpore, quando locuturus sum cum inimicis in porta, heu, exhibe te mihi, Domina, cum oculo tuo misericordi, et libera me ab acribus ratiocinatoribus, exactoribusque gravibus potestatum sæculi hujus, et dele tunc omnia peccatorum meorum chirographa, atque adducito me a confusione liberum, ac salutis securum, ad tribunal Filii tui, et Patris ipsius, qui principium non habet, Spiritusque sanctissimi, unius principalisque luminis, et consubstantialis Trinitatis. Humanissima

mater benigni, et misericordis Dei : misericors, et bona, boni ac miserentis nutrix Virgo Domina, inclina aurem tuam, et exaudi me de excelso gloriæ tuæ. Verba mea auribus percipe, purissima; intellige clamorem meum de profundo, attende voci anxiæ deprecationis meæ, auxiliatrix mea, da mihi sermonem in apertione oris mei, tu quæ præbuisti mihi vitam tua intercessione, ut annuntiem magnificentias tuas, antequam abeam, et non detur ibi confiteri, postquam hinc profectus misere conclusus fuero.

III. Peccavi, purissima, peccavi, et iniquitates meas ego cognosco : et peccatum meum coram me est semper. Respice in meam ultimam hanc deprecationem, et confessionem servi tui : præbe mihi fontes operosarum lacrymarum, lavacrum sordidæ animæ expiatorium : ablue peccatorum meorum sordes, planta in lapideo corde meo timorem sanctum filii, et Dei tui : ingrediatur in interiora mea, per quem pariam ex afflicta anima mea etiam expiantem lacrymam, et parietur in me Spiritus salutaris... ... [1], Solis splendidissimi nubem. Effulge lumen intelligibile obtenebratæ, et sordescenti menti meæ, dissipando, et fugando densam nebulam continuarum cogitationum mearum, ut in tranquillitate, ac hilaritate lucis, visitationisque tuæ perfectum offeram sacrificium, atque acceptabilem hostiam, quam commendavit Filius tuus, et Deus meus, qui venit non vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam, et me indignum tua intercessione suscipiat. Multi sunt ex peccatoribus a sæculo, optima Domina, multi ex lapsis, multi ex exacerbantibus, et non custodientibus mandata Filii tui : verum nemo est, quem non superaverit multitudo mearum iniquitatum in cognitione. Totum enim Vetus, et Novum Testamentum bona opera justorum resonuit, et peccatorum, atque iniquorum scelera, actionesque ad per-

[1] Deest aliquid.

petuam infamiam insculpsit : sed interius tribunal conscientiæ meæ, graviorem omnibus esse conspiciens, circumfert odium peccatorum, pondus malorum a sæculo tanto majus, quanto levior, ac remissior est condemnatio ob ignorantiam, quam ex scientia. Mandatum, et legem accepit Adam, sed non observavit; verum experientiam nondum habuerat, purissima, lapsus alieni, et condemnationis : ego autem pro mea defensione quid respondebo miser? Omnino nihil. Tanquam enim intemperans, et flagitiosus festinavi fieri malus, et ideo excusationem non habeo. Omnium miserorum miserrimus evasi, eorum qui ex Adam nati sunt, et Caïn et Lamech, et eorum, qui turrim moliti fuerunt, et Sodomitarum flamma absumptorum, et eorum qui sub Noë diluvio perierunt, Ægyptiorum pessimorum, qui condemnati sunt, ego damnabilior, omniumque infelicium infelicissimus, et omnium Novi Testamenti peccatorum me ipsum cognosco maximum peccatorem : baptizatus enim, fœdatus sum : ablutus, sum inquinatus : honoratus gratiæ dignitate, peccati dedecus indui : gratiam inutilem reddidi monasticæ professionis.

IV. Quis igitur mihi sermo, aut tempus, aut modus satis erit ad expiationem iniquitatum hujusmodi? Tam magnum enim, sanctissima, est pelagus intolerabile meorum delictorum. Tantus malorum meorum impetus. Quis fiam? qualem viam ingrediar? Cœlestis est invia, angusta terrena, subterranea terret, maritima impedita est. Vides necessitatem inconsideratam, cernis consilii inopiam insuperabilem, discrimen ferme violentum, et sermonis exhauritur meum instrumentum. Potens potentis, et viventis Dei mater, da mihi anxio manum auxilii, mirifica misericordias tuas super me miserum. Excita animam meam, dicens : « Salus tua ego sum : » Auxiliatrix mea, et protectrix mea es, immaculata. Suscipe deprĕcationem meam indigni servi

tui. Credo, purissima, te posse hoc facere. Salvum me fac, via secura pœnitentium. Ostende in me omnium miserrimo, atque infelicissimo maxime admirabiles misericordias tuas, spes, Domina, Dei genitrix. Tu enim noscis cogitationes, et operationes meas, atque infirmitatem abjectæ naturæ, et tibi commendo meam animam fœdatam peccatis, et turpibus cogitationibus. Tu vides, Domina, ulcera vulnerum meorum, et prava desideria. Tu medelam tribue effundendo guttam benignæ tuæ compassionis. Respice, Domina mea Dei mater, et placidum redde erga me Filium tuum, et universorum regem, qui publicaturus est coram Angelis, et hominibus meas pravas cogitationes, operationesque. Excipit te tanquam matrem benignam pro anima in desperationem adducta deprecantem, utpote quæ es refugium peccatorum. Pro defensione enim, et perfugio, atque auxilio talem te constituit peccatorum mei similium Filius, et Deus tuus, quem decet omnis gloria, honor, et adoratio cum Patre ipsius sine principio, et sancto, et bono, et vivificante ejus Spiritu, nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

PRECATIO VIII.

I. Virgo Domina Dei Genitrix, salus communis generis Christianorum, tu quidem veluti mater nobis prospicere non desistis; verum tanquam filiorum amans, atque ad amandum propensa ita tua beneficia nobis distribuis semper, salvans, defendens, custodiens, a periculis me liberans, a tentationibus eximens, a peccatorum multitudine redimens. Nos autem pro his gratias agimus, prædicamus munera, non celamus beneficia, cantamus elata voce tua

mirabilia, curam laudamus, providentiam extollimus, præsidium hymnis prosequimur, misericordiam commendamus : et quoad præterita, memores magnorum tuorum munerum, et ex quantis periculis erepti sumus per te, hoc canticum eucharisticum tanquam debitum offerrimus tuis beneficiis par minime futurum. Quid enim esse potest correspondens ? Verumtamen audaciores facti, supplices petimus a tua misericordia, ut ejulatum tuorum famulorum suscipias, ponasque postulationem ante Deum nostrum ex te genitum, ut nos eripiat a damnatione æterna : ut laudemus sanctissimum nomen Patris, et Filii, et Spiritus sancti, nunc, et semper, et in sæcula. Vides, o sanctissima Domina Deipara, quot malis nos malus, pessimusque dæmon circumdat. Ecce ad pravos affectus quamplurimos, atque inexplicabiles nos commovet. Surge igitur, et ne repellas in finem. Quare faciem tuam avertis, et oblivisceris inopiæ nostræ ? Dissipa pravi dæmonis insidias, recipe nos bellum gerentes, compesce Dei iram contra nos excitatam propter multos meos errores, tua intercessione, ut ad ingentia beneficia etiam hoc accedente, extollamus laudibus nomen tuum, Filii, et Dei nostri, una cum Patre ipsius sine principio, cum....

II. Domina Dei mater, quæ perperisti Christum Deum Salvatorem nostrum, in te repono spem meam totam, et in te confido sublimiorem omnibus cœlestibus Potestatibus. Tu me, purissima, tua divina gratia communias, et vitam meam gubernes, atque ad sanctam voluntatem Filii tui, et Dei nostri dirigas. Tu mihi largire errorum remissionem. Esto refugium, protectio, et liberatio, et manuductio in vitam æternam transmittens, et in hora postea mortis, Domina Domina, ne derelinquas me, sed ad adjuvandum me festina, et eripe ab aspera dæmonum tyrannide. Habes enim cum voluntate potestatem, tanquam optima

Mater Christi Dei nostri ipsi.... Tu sola Domina Dei Genitrix es sublimissima super omnem terram. Nos autem te, Dei sponsa, fide benedicimus, dilectione honoramus, et honore colimus, semper te magnificientes, ac venerandum in modum beatam prædicantes. Tu enim honor honorum es, et præmium præmiorum, et sublimitatum sublimitas. Verum, o Domina, mea post Deum oblectatio, divinus ros ardoris in me æstuantis, aridi cordis mei conspersio divinitus manans, tenebrosæ animæ meæ lampas lucidissima, meæ indigentiæ directio, infirmitatis potentia, nuditatis indumentum, paupertatis opulentia, immedicabilium vulnerum medela, lacrymarum sublatio, suspiriorum sedatio, infortuniorum commutatio, dolorum levamen, vinculorum meorum solutio, spes salutis meæ, exaudi preces meas, miserere meorum gemituum, et suscipe meas lamentationes, miserere mei inclinata lacrymis meis.

III. Commoveantur tua viscera erga me, tanquam mater Dei benigni. Respice, atque annue ad meam deprecationem, imple desiderium meum sitibundum, et conjunge me cum cognata et conserva, in terra mansuetorum, in tabernaculis justorum, in choro Sanctorum, et dignum me fac tu omnium patrocinium, et omnium gaudium, et pura voluptas, ut tecum exhilarer : hæc peto a te, in illa lætitia vere inenarrabili Dei, et regis ex te geniti, et in thalamo ipsius inexplicabili, et delectatione indesinenti, atque insatiabili, et in regno inocciduo, perpetuoque ipsius. Utique Domina mea, utique meum perfugium, vita, et protectio, armatura, atque exsultatio, spes, et robur meum : da mihi, ut tecum fruar Filii tui donis inenarrabilibus, atque imperceptibilibus, in statione cœlesti. Habes enim, habes, scio, voluntati parem potentiam, tanquam mater Altissimi. Propterea audax factus sum. Fac igitur, ne frustratus maneam, purissima Domina, mea expecta-

tione; verum consequar illam, Dei Sponsa, tu quæ supra captum perperisti omnibus expectatum Dominum nostrum Jesum Christum verum Deum, Dominùmque, cui convenit omnis gloria, honor, et veneratio cum Patre ipsius sine principio, et sanctissimo, atque optimo, ac vivificante ipsius Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

PRECATIO IX.

I. At, o virgo Domina, immaculata Deipara, Domina mea gloriosissima, beneficentissima mea, cœlis sublimior, multo purior solaribus splendoribus, radiis, fulgoribus: honorabilis magis quam Cherubim, et sine ulla comparatione magis quam cœlestes exercitus multo gloriosor, Apostolorum exultatio, prædicatio Martyrum, Sanctorum gaudium, ascetarum lux, altare aureum, lampas illuminans, vas ferens cœli manna, arca vera, lex divinissima, rubus incombustus, locus amplissimus. Virga illius Aaronis germinans, virga vere apparuisti, et flos Filius tuus verus Deus noster, Deus, et factor meus: tu secundum carnem Deum genuisti, et Verbum, ante partum virginitatem servans, Virgo post partum, et reconciliati fuimus cum Christo Deo, et Filio tuo. Tu auxilium peccatorum, et jactatis fluctu sine ulla ope tu es portus, mundi consolatio, orphanorum protectio, et pretium redemptionis captivorum. Tu monachorum firmamentum, et sæcularium spes: tu viduarum patientia, protectio, et tegumentum, et virginum exultatio, et corona, et oblectatio: puella augusta, et hera, regina Domina, sub alis tuis protege, custodi me, ut ne contra

me Satan exultet, qui perniciem creat, neque adversus me scelestus inimicus meus extollatur. Tu enim, purissima, es meus portus, auxilium, et præsidium : neque agnosco, Domina, refugium aliud. Deprecor te, Domina multis cum lacrymis, ne dulcis filius tuus creator, et factor abscindat propter multa, quæ egi, peccata : precor vero te, ut me facias venire ad Christum, atque intrare in aulas illas Sanctorum, ubi non est laçryma, neque tribulatio, neque mœstitia, neque mors, non tormentum, non angustia; sed gaudium inexplebile, voluptas justorum, et delectatio indeficiens. Vita non habens finem : oblectamentum, et exultatio, et gloria, et splendor.

II. Imple quoque os meum gratia dulcedinis tuæ, et move linguam meam, ac labia mea, ut hymnos cantem ex animo festivo, et corde prompto, et melos illud angelicum ex hymnis compositum, quod Gabriel pronuntiavit tibi, Virgo Mater. Dignare famulum tuum abjectum Virgo, ut redimatur ab affectionibus pravis, atque ab omni peccato : dissipa omnem cogitationem, quæ a diabolo assidue mihi immittitur, ut ferat in præceps miserrimam animam meam usque ad tartara inferni : libera me, sanctissima mea, a laqueis ipsius. Da mihi timorem Dei, et dilectionem, Virgo ; propositum Deo dignum, et vitam puram, charitatem erga Dominum simul, et proximum, patientiam, humilitatem, continentiam, jejunium, lacrymas compunctionis, Virgo. expurgantes, meditationem terribilium suppliciorum illorum, convesionemque a malis, quæ patravi miser. Etenim ex industria, ut tu scis Virgo Mater, non est mihi spes salutis. Corrupi, atque efferavi animam meam, et corpus infelix jam inde a tenerrima ætate, vas factus sum sceleratum, inutile, corruptum ; omnino sectatus sum miser Belial in cogitationibus simul, et operibus, et actionibus turpibus : usque adhuc execrandus trahit me, o Virgo, ad

suas voluntates. Heu mihi infelici, insidias pessimus struit mihi quotidie, et cogitationes malevolas ferre non possum. Affectionem enim erga peccatum malam acquisivi, ac vix statim, et aliquando respiscere cupio. Jurejurando terribili, infelix, et pactis me obstringo ex toto corde meo cum tuo Filio, et Deo : dimitte mihi, dico, Domine, peccata mea, et statuo ex hoc tempore, non amplius te offendam. O longanimitatem tuam, Christe mi, vivificus largitor. Oh quomodo tolerat, Domina, misericors Filius tuus videns spretum perjurium, et mendacium, quod habeo miser supra modum. Simul ac componor ego (o temeritatem, et spretum !) rursus ad priora redeo, atque in pejus trahor profanus, et mendax : ac tanquam canis saturatus supra modum, sicut ad proprium vomitum revertitur, ita etiam ipse vado, vertor ad ea quæ retro sunt, neque omnino sentio miserrimus.

III. Verum et ad desperationem sæpe Belial projicit me, sanctissima mea. Ideo auxiliare mihi, ne permittas, Domina, diaboli me ludibrium fieri, purissima : sed eripe me a manibus maligni, ac dolosi deceptoris ; et servum me fac Filii tui, Virgo, vasque rursus aptum sanctissimi Spiritus obumbrantis te, temporibus extremis : et salvum me fac, omnibus laudibus celeberrima, sicut vis, et sicut scis : et concede mihi, ut te extollam, et nominem ex corde. Salve, canticum Cherubim, hymnusque Angelorum. Salve pax, et gaudium humani generis. Salve paradisus deliciarum, salve lignum vitæ, salve murus fidelium, portus periclitatinum, salve revocatio Adami, salve Evæ pretium redemptionis, salve fons gratiæ, et immortalitalitatis, salve sancti Spiritus fons signatus, salve templum divinissimum, salve sedes Dei, salve pura, quæ draconis nequissimi caput contrivisti, et in abyssum projecisti vinculis constrictum. Salve perfugium afflictorum, salve ma-

ledictionis solutio, per quam lætitia mundo apparuit, Immaculatissima Virgo ob tuum partum, salve Mater Christi Filii Dei vivi. Quem decet gloria, et honor, adoratio et hymnus, nunc et semper, et ubique. Amen, in sæcula.

PRECATIO X.

I. Virgo Domina Dei mater, quæ Verbum secundum carnem genuisti, scio profecto, quam non sit conveniens, neque dignum, me adeo luxuriosum respicere imaginem tuam, quæ pura, quæ semper Virgo tum corpore, tum anima fuisti, integra, et immaculata. Æquum enim est me tam impurum a tua puritate odio haberi, atque abhorreri. Verumtamen, quoniam hac de causa Deus, quem genuisti, homo factus est, ut vocaret peccatores ad pœnitentiam, excipe præsentem confessionem meam multorum, graviumque delictorum, et adduc ad unigenitum tuum Filium, et Deum, deprecans, ut placatus fiat erga infelicem, miseramque animam meam. Nam propter multitudinem iniquitatum mearum impedior, quominus in ipsum oculos figam, atque exposcam remissionem : et propono te postulatricem simul, et mediatricem; quia multa, et magna dona consecuta es a Deo, qui me formavit, cum immemorem me ostenderim miser, atque ingratum. Merito comparatus sum jumentis insipientibus, et similis factus sum illis. Virtutibus vacuus, pravis affectibus dives, ignominia plenus, confidentiæ divinæ expers, condemnatus a Deo, deploratus ab Angelis, irrisus a dæmonibus, a conscientia reprehensus, a pravis meis actionibus confusus, et ante mortem mortuus existens, et ante judicium a me ipso judicatus, et ante

interminatum supplicium a me ipso cruciatus ob desperationem sum. Idcirco ad tuam, et solam efficacissimam protectionem, Domina Deipara, confugio ipse, qui sum decem millium talentorum debitor, qui per lasciviam paternam substantiam cum meretricibus abligurivi, qui plus quam Manasses scortatus sum, qui plus quam dives ille immitis evasi, ingluviei servus, pravarum cogitationum sentina, turpium sordidorumque sermonum promus, omni bona exercitatione alienus.

II. Miserere humilitatis meæ, immaculata : compatere meæ infirmitati, purissima. Magnam habes confidentiam apud eum, qui ex te natus est, ut nemo alius ; omnia potes, tanquam Dei Mater ; omnia vales, veluti quæ superas omnes creaturas ; nihil tibi, si vis, impossibile est ; duntaxat ne despicias meas lacrymas, ne dedigneris mea suspiria, ne repellas meum laborem ex corde, ne confundas expectationem meam a te ; sed maternis tuis precibus, misericordiæ Filii tui, quæ cogi non potest, vim inferens, dignare me infelicem, atque indignum famulum tuum, primum, antiquumque decorem recipere animæ, abjicere fœditatem pravorum affectuum, liberari a peccato, servum fieri justitiæ, exuere pollutionem carnalis delectationis, induere sanctitatem puritatis animæ, mortuum fieri mundo, vivere virtuti, comes facta mihi viatori, in mari iter agenti annavigando, semper dæmones me impugnantes superando, vigilantem me confortando, dormientem custodiendo, afflictum consolando, animo concidentem revocando, infirmum roborando, peccantem liberando, calumniis circumventum absolvendo, periculo mortis proximum præveniendo, terribilem ostendendo me hostibus visibilibus atque invisibilibus quotidie, ut cognoscant omnes dæmones injuste in me tyrannidem exercentes, cujus servus sim.

III. Utique, sanctissima Domina mea Dei Mater, exaudi

meam hanc orationem miserandam, et ne confundas me ab expectatione mea, spes omnium finium terræ; carnis meæ æstum extingue, excitatam in mea anima tempestatem ferocissimam iracundiæ intempestivæ mitiga; tumorem, atque jactantiam inanis adolescentiæ dele ex mente mea; nocturnas imagines malorum spirituum, ac diurnas impurarum cogitationum aggressiones ex meo corde minue; doce meam linguam loqui utilia; erudi oculos meos, ut recte videant virtutis rectitudinem; pedes mei, fac, ut currant assidue beatam viam mandatorum Dei; manus meas præpara, ut sanctificentur, ut digne extollantur ad Altissimum: expurga os meum ut confidenter invocem Patrem terribilem Deum, ac sanctissimum. Aperi aures meas, ut sensu et mente dulciora super mel, et favum sanctarum Scripturarum eloquia excipiens, ea exequar a te confortatus: da mihi tempus pœnitentiæ, et conversionis cogitationem: libera me a morte repentina: ab occultis conscientiæ stimulis vindica: tandem adsis mihi in divisione miseræ animæ meæ ex infelici hoc corpore, allevando intolerabilem illam violentiam, levem reddendo inexplicabilem illum laborem, consolando inconsolabilem illam angustiam, eripiendo me a tenebroso dæmonum aspectu, ab acerbissima redditione rationum, redimendo a publicanis aëris, et potestatibus tenebrarum; gladios multorum criminum meorum effringendo, Deum mihi conciliando, statione a dextris ipsius beata in tremendo judicio dignando; ab æternis, atque intolerandis eripiendo suppliciis; hæredem reddendo sempiternorum, immortaliumque bonorum.

IV. Hanc tibi offero confessionem, Domina Dei Mater, lux oculorum meorum, qui tenebris offusi sunt, consolatio animæ meæ, spes mea post Deum, et salus; quam libenti animo excipe, atque expurga me ab omni inquinamento carnis, et spiritus, reddens me dignum in hoc sæculo, ut

sine ullo crimine particeps fiam immaculati corporis, et sanguinis Filii, et Dei tui; in futuro vero dulcedinis tui cœlestis convivii, delectationis paradisi, regni Dei, ubi est habitatio omnium lætantium; et cum assecutus fuero hæc bona, celebrabo in sæculum sæculi magnificum nomen Filii, et Dei tui cum ipsius Patre sine principio, et omnino sancto, et bono, et vivificante ejus Spiritu, nunc et semper et in sæcula sæculorum Amen.

PRECATIO XI.

I. Virgo Domina Dei genitrix, quæ unigenitum Dei Verbum, omnis visibilis, atque intelligibilis creaturæ factorem, et Dominum, unum Trinitatis Deum, Deum pariter et hominem, supra naturam, et supra captum genuisti: habitaculum Divinitatis, totius sanctitatis, et gratiæ receptaculum, in quo plenitudo Divinitatis corporaliter habitavit, ex Dei beneplacito, atque operatione sancti Spiritus: quæ supra omnem creaturam regali, et prope divina dignitate collocata es, et supereminens, gloria, et oblectatio, et inexplicabilis lætitia Angelorum: regia Apostolorum, ac Prophetarum corona, egregia, atque admirabilis Martyrum fortitudo, certaminum ipsorum, et victoriæ causa; atque athleticarum coronarum, æternarumque, ac retributionum Deo dignarum conciliatrix: excellentissima Sanctorum dignitas, et gloria: quietis secura dux, et magistra: revelationum, spiritaliumque mysteriorum porta, fons luminis, janua æternæ vitæ, misericordiæ flumen inexhaustum, omnium charismatum cœlestium, ac miraculorum mare indeficiens. Te oramus, et te deprecamur Matrem maxime

misericordem benignissimi Domini; Propitia sis nobis abjectis, indignisque famulis tuis, respice benevolis oculis captivitatem, humilitatemque nostram: sana contritiones animarum, et corporum nostrorum: visibiles, atque invisibiles hostes disperge: Turris fortitudinis, armatura bellica, acies robusta, et dux, et propugnatrix invicta esto nobis indignis a facie inimicorum nostrorum. Ostende in nobis misericordias tuas antiquas, et mirabilia hodie: ostende iniquis hostibus nostris solum regem esse, et Dominum tuum filium, et Deum, et te proprie Dei Matrem, quæ verum Deum secundum carnem genuisti, et te posse omnia, et omnia efficere potentem esse quæcumque vis in cœlo, et in terra.

II. Concede omnibus quæcumque petunt, unicuique conducibilia, Domina, ægrotis sanitatem, navigantibus tranquillitatem, et regimen, iter agentes comitando, ac custodiendo, captivos a servitute acerba redimendo, mœrore affectos consolando; paupertatem omnemque aliam ærumnam allevando; ab animæ morbis, pravisque affectionibus liberando universos tuis invisibilibus patrociniis, atque adhortationibus, ut viam temporalis hujus vitæ bene ac sine offensione conficientes, illa etiam æterna bona, per te, in regno cœlorum consequamur. Reges vero nostros fideles, terribili nomine Unigeniti filii tui honoratos, confidentesque tuo patrocinio, et gratia, ac te omni in re mediatricem, ac protectricem prætendentes; contra hostes invisibiliter aggredientes roborato; dissipa animis eorum incumbentem nubem tristitiæ, eripe a labore animas ipsorum, et splendidam tranquillitatem, lætitiamque introducito: pacificam, ac seditione liberam potentiam, et regnum ipsis comparando. Libera, Domina, tuis precibus gregem hunc peculiari modo in te confidentem, et totam urbem, et regionem a fame, terræ motu, alluvione, igne, gladio,

incursione barbarorum, et bello civili, omnemque iram contra nos commotam juste, averte beneplacito, et gratia unigeniti filii, et Dei tui, cui convenit omnis gloria, honor atque adoratio cum Patre ipsius sine principio, et coæterno, et vivificante ejus Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

PRECATIO XII.

I. Immaculata et intemerata, incorrupta et prorsus pudica, atque ab omni sorde ac labe peccati alienissima, Virgo Dei sponsa, ac Domina nostra : quæ Deum et hominem mundo mirifica ac gloriosa conceptione tua peperisti. Deumque Verbum hominibus miro modo conciliasti; et rebellem humani nostri generis naturam cœlestibus consociasti : unica spes desperantium, oppressorum auxilium, et ad te recurrentium præsentaneum sublevamen, omniumque denique Christianorum firmum præsidium : me maximum peccatorem, enormibusque meis cogitationibus, verbis, ac factis effectum vilissimum, atque adeo fallaces voluptatum illecebras animo plane servili atque abjecto amplexatum, ne averseris, obsecro : quin potius, sicut mitissimi ac clementissimi Dei mater es, ita me peccatorem benignissime suscipe, et meam sordidissimam, impurisque labiis meis expressam orationem clementer admitte : necnon dulcem quidem Filium tuum, meum autem Dominum ac Deum maternis pietatis tuæ visceribus amanter libenterque exora : ut ipse mihi quoque illa inexhaustæ misericordiæ suæ viscera reserare dignetur : et postpositis innumerabilibus peccatis meis, ad salutarem me pœniten-

tiam convertat, suaque me rectius complere mandata faciat.

II. Adesto mihi nunc, et semper, o Virgo Dei genitrix, mater misericordiæ, benigna et clemens, in præsenti quidem vitæ cursu fervens protectrix atque auxiliatrix, hostiles quoscumque impetus a me avertens, et in via salutis me constituens; ac in extremo vitæ articulo miseram meam animam conservans, et tenebrosos atque horrendos pessimorum dæmonum aspectus ab ea procul repellens : in tremendo autem die judicii, ab æterna me damnatione liberans, et postremo, in numerum justorum me referens; atque inaccessæ tui filii et Dei gloriæ me hæredem efficiens. Quod utinam, per piam intercessionem tuam atque patrocinium, Domina mea, sanctissima Dei mater, mihi, et omnibus humiliter ad te recurrentibus, et spem totam in te figentibus post hoc exilium concedatur, gratia, miseratione, et benignitate unigeniti tui Filii, Domini et Dei, ac Salvatoris nostri Jesu Christi. Quem decet omnis gloria, honor, potentia, et adoratio, cum æterno ejus Patre, et sancto ac vivifico Spiritu : nunc et semper, et in æterna sæcula sæculorum. Amen.

[illegible]

S. P. N. EPHRÆM

SYRI

OPERUM.

CLASSIS XVI. — CANTICA ET HYMNI.

CANTICUM I.

In nativitatem Domini.

Vigiles ecce exultant hodie, quod Vigil venit, ut nos vigilare faciat.
Hac nocte ergo quis dormiet, in qua mundus totus vigilat ?
Quia suis peccatis Adam induxit somnum mortis in mundum,
Descendit vigil, ut nos vigilare faciat a servitute peccati.
At ne vigilemus ut fœneratores, qui de argento, quod fœnerati sunt, cogitant,
Noctuque multum vigilant ad computandum sortem et fœnus.
Nec ut fures vigilemus, qui somnum in terra defodiunt suum,
Totaque ipsorum vigilantia in id incumbit, ut dormientibus suspiria pariant.

Nec vigilemus ut prodigus, qui crapulæ deditus cecidit in pauperiem,
Ejusque vigilantia peperit illi cruciatum, quod moderate non vixerit.
Nec vigilemus ut mercator, qui noctu micat digitis,
Ut suum computet talentum, an duplo, triploque sit auctum.
Nec vigilemus ut dives, cujus somnum excusserunt divitiæ,
Canesque ejus dormiunt, et ipse vigilans suas opes observat a furibus.
Nec vigilemus ut avidus, cujus somnum absorbuit aviditas,
Illique finis cum instet, assideatque pulvino, tamen sollicitus est in annos.
Diabolus enim vigilantiam pro vigilantia venditat, ac docet,
Ut bonis quidem dormiamus operibus, malis vero impense vigilemus.
Judas quoque Iscariotes tota nocte vigilabat,
Tamen sanguinem vendidit innocentem, qui totum mundum redemit.
Scribæ etiam filii tenebrarum tota nocte vigilabant,
Vigilarunt tenebrosi, ut tenebras obducerent lumini illi immenso,
At vos ut luminosi vigilare satagite in hac nocte luminosa,
Quæ colore etsi nigra, virtute gloriosa est, ac splendida.
Ne decipiamur ergo, dilectissimi, quod vigilamus;
Nam qui pro meritis non vigilat, expedientius illi est ut non vigilet.
Qui digne non vigilat, ejus vigilantia dormire est,
Et qui pure non vigilat, ejus vigilantia contra se est.
Vigilantia quoque invidi est illi urceus detrimenti,

Ejusque vigilantia est mercimonium derisione plenum et contemptu.
Iracundus si vigilat, ab iracundia ejus perturbatur vigilantia,
Eritque ipsius vigilantia furore referta, et blasphemiis.
Loquax si vigilat, os ejus vector fiet,
Ad vulnera quia infligenda sollicitum; ad orationes vero effundendas pigrum.
Prudens, ac discretus unum e duobus sibi eligit,
Aut enim dormit suaviter, aut vero sancte vigilat.
In nocte pura, quidem purus ortus est, qui nos puros reddere venit,
Nihil impurum admittatur, quod vigilantiam nostram conturbet.
Semita aurium pura reddatur, conspectus oculorum pudicus exhibeatur,
Cogitatio cordis sancta fiat, loquela oris purificetur.
Quis sat est ad laudandum filium veritatis, qui nobis ortus est,
Quem in suis generationibus videre desiderarunt justi?
Adam expectavit illum, cum sit Dominus Cherubim,
Ipseque poterat illum ad arborem reducere vitæ.
Abel quoque desideravit, ut suo veniret tempore,
Ut pro agno quem obtulit, agnum Dei videre posset.
Eva expectavit illum, quia nudatio plurimum ipsam angebat,
Illeque solus poterat pro foliis inducre eos gloria, quam amiserant.
Turris, quam plures extruxerunt, unius designabat mysterium.
Quod descensurus erat ædificare turrim, qua ad cœlum scanderetur.
Arca quoque animalium, typum Domini referebat,

Quod ipse ædificaret Ecclesiam, in qua protegerentur animæ.

Phaleg, in cujus diebus terra divisa est in septuaginta linguas,

Expectavit illum, qui terram linguis divisit Apostolis suis.

Terra, quam diluvium inundaverat, Dominum suo designabat silentio,

Qui descendit, et aperuit Baptismum, quo ad cœlum feratur.

Seth, Enos, Caïnan, et Enoch, qui filii Dei cognominati sunt,

Filium Dei expectarunt, ut illi per gratiam fierent fratres.

Paulominus, quam annos mille vixit Mathusalem,

Expectans Filium, ut vitam sibi tribueret, quæ nunquam deficiat.

Ipsa gratia conatu quodam pro illis deprecata est,

Ut eorum tempore veniret Dominus, ipsorumque levaret necessitates.

Spiritus enim sanctus, qui in illis pro illis secreto rogabat,

Indicavit eis, quod eodem Spiritu viderent Salvatorem quem desiderabant.

Anima justorum in eo fructu vitæ inesse medicamen præsensit,

Optavitque, ut suis diebus veniret, ut ejus gustaret dulcedinem.

Enoch exoptavit eum, cumque in terra eum videre non potuisset,

Fide, et operibus est auctus, ut ascenderet in cœlum videre illum.

Quis calumniari poterit gratiam, quia donum, quod magno labore consequi non potuerunt priores,

Gratis consecuti sunt posteriores?

Ipsum quoque Lamech expectavit, ut veniens sua pietate illum levaret,
Ab operibus manuum, laboribus, ac terra, quam justus maledixit :
Cumque vidisset ipse Lamech, quod Noë filius suus mysteria Filii gereret,
Loco Domini remoti, solatum est eum mysterium proximum.
Ut illum videret, et Noë exoptavit, quia ejus prægustavit opem :
Etenim si typus ejus animalia servavit, Archetypus ipse quam vitam dabit?
Ipsum expectavit hic Noë, et experientia didicit per ipsum Arcam stetisse.
Si ergo Typus ejus ita salvat, Archetypus ipse quanta præstabit ?
Spiritu præsensit Abraham, quod Filii longe distaret nativitas,
Quare loco ipsius personæ, diem ipsius videre desideravit.
Ut illum videret Isaac, impense desideravit, nam salutare prægustavit ejus :
Si ergo typus ejus ita salvat, Archetypus ipse quanta præstabit ?

CANTICUM II.

De Maria, et Magis.

Nato Filio lumen affulsit, et ex mundo tenebræ fugatæ,
Illuminatusque est orbis; laudes ergo referat Nato, qui illum illuminavit :

Ortus est ex utero Virginis, eoque viso defecerunt umbræ:

Et tenebræ erroris ab eo expulsæ, Orbisque totus illustratus : laudes ergo illi referat.

In populis tumultus magnus factus est, et lumen ortum est in tenebris,

Exultaruntque gentes, ut laudes referant illi, qui sua nativitate illuminavit eas.

Immisit in Orientem lumen suum, et sideris fulgore illuminata est Persis ;

Ortus invitavit, et annuntiavit ei, ad victimam jam venisse omnes exhilarantem.

Præcurrens luminare effulsit inter tenebras et vocavit populos,

Ut venientes fruerentur magno illo lumine, quod in terram descendit.

Unum ex stellis nuntium misit Æther ad annuntiandum

Persis, ut se se pararent occurrere Regi, et adorare illum.

Magos vocavit, et dixit eis : « Magna Assyria cum præsensisset :

Accipite munera, et ad honorandum festinate Regem magnum, qui in Judæa ortus est. »

Exultantes igitur principes Persidis ex sua regione acceperunt munera,

Et Filio Virginis attulerunt aurum, myrrham, et incensum.

Ingresi ut Infantem repererunt illum in domo jacentem Pauperculæ:

At procidentes exultando adoraverunt eum, et suos ipsi obtulerunt thesauros.

MARIA. Dixit Maria : cui hæc? Et ad quid? et quæ caussa Vocavit vos ex vestra regione, ut ad Puerum cum thesauris vestris veniretis?

MAGI. Respondent illi : Rex est filius tuus, et diademata connectit, cum sit Rex omnium.

Altiusque mundo est regnum ejus, ac imperio ipsius singula parent.

MARIA. Quando contigit hoc unquam, ut paupercula Regem pariat ?

Inops sane sum, ac egena, undeque mihi erit, ut Regem pariam ?

MAGI. Tibi soli hoc contigit, ut magnum Regem parias,

Et per te magnificabitur paupertas, Filioque tuo subjicientur diademata.

MARIA. Non sunt mihi gazæ regum, nec divitiæ unquam mihi obvenerunt ;

Domus en paupercula est, et vacuum domicilium : cur ergo Filium meum Regem prædicatis ?

MAGI. Gazæ magnæ est Filius tuus, et divitiæ, quæ omnes ditare valent ;

Gazæ namque regum deficiunt ; ille vero nec deficiet, nec mensurabitur.

MARIA. Ne alius forte sit vester Rex, qui natus est, hunc perquirite ;

Etenim hic Pauperculæ est Filius, quæ Regem vel videre nequit.

MAGI. Numquid fieri unquam potest, ut aberret viam lumen, quando immittitur ?

Siquidem non tenebræ nos vocarunt, et adduxerunt : sed in lumine ambulavimus, et Filius tuus Rex est.

MARIA. Ecce videtis Infantem silentem, et Matris domum inanem, et vacuam,

Nullumque in ea Regis apparere vestigium ; quomodo ergo ejusmodi incolens domum Rex est ?

MAGI. Ecce sane videmus illum silentem, et quietum, sed Regem, etsi pauperem, ut dixisti :
At videmus etiam eum suo commovere imperio astra cœli, ut prænuntient ortum ejus.

MARIA. Oportet, homines, ut investigetis, quis est Rex ille, ac tum eum adoretis,
Forte enim viam aberrastis, et alius sit ille Rex, quem quæritis.

MAGI. Oportet, Puella, credas Filium tuum esse Regem nos esse edoctos
A luminari, quod errare non potest, et via, per quam nos adduxit, plana quidem est.

MARIA. Parvulus est Infans, et ecce, ut cernitis, nec diadema regium habet, nec thronum,
Quid ergo videtis, ut honoretis eum thesauris vestris, ut Regem?

MAGI. Parvulus est, quia ipse voluit, et diligit mansuetudinem, et humilitatem, donec manifestetur.
At erit tempus, cum incurvabuntur illi diademata, ac illum adorabunt.

MARIA. Virtutes nullas habet, neque legiones, neque cohortes Filius meus,
In paupertate suæ jacet Matris, et Rex a vobis quomodo apellatur?

MAGI. Virtutes Filii tui desuper sunt, cœlum equitant, et micant flammis,
Ex quorum numero unus nos vocare venit, totaque perterrita est regio nostra.

MARIA. Infans est natus, et qui fieri potest? ut Rex sit, cum et mundo sit ignotus,
Potentes autem, ac famosos, quomodo Puer reget?

MAGI. Infans tuus, Virgo, senex est, antiquus dierum, omniumque primus,
Et quidem Adam illo junior est, et per illum orbis totus renovabitur.

MARIA. Oportet vos sane, ut exponatis totum mysterium, et aperiatis,
Quis manifestavit vobis arcanum Filii mei, quod Rex sit in regione vestra.

MAGI. Oportet te, etiam ut credas, quod nisi rei nos impulisset veritas,
Nequaquam huc e finibus terræ appulissemus, aberrantes propter Filium tuum.

MARIA. Totum mysterium ut actum est apud vos in regione vestra,
Aperite nunc mihi, ut amici : et quis vocavit vos, ut ad me veniretis?

MAGI. Magna stella nobis apparuit, reliquis multo splendidior stellis,
Cujus lumine nostra terra est inflammata, et quod Rex ortus sit, nobis annuntiavit.

MARIA. Nollem, vos quæso, loquamini hæc in regione nostra,
Ne sentientes reges terræ, machinentur sua invidia adversus Puerum :

MAGI. Ne timeas, Virgo. Quia omnia diademata solvet Filius tuus :
Eaque pessumdabit, nec sua invidia nocumentum inferre illi valebunt.

MARIA. Herodem timeo, lupum pollutum, ne me perturbet,
Et gladium stringat, quo præcidat dulcem botrum adhuc immaturum.

MAGI. Herodem ne timeas : per Filium enim tuum subvertetur ejus thronus,
Et statim atque regnabit, destruetur, et ejus diadema decidet.

MARIA. Torrens sanguinis est Hierusalem, in eaque optimi quique cadunt,
Quare si hoc præsenserit, machinabitur in illum; ideoque secreto loquamini, precor, et ne tumultuetis.

MAGI. Torrentes omnes, et lanceæ etiam per manus Filii tui sedabuntur,
Et Hierosolymæ obstupescet gladius, et nisi voluerit, non cadet.

MARIA. Scribæ, et sacerdotes Hierusalem, qui sanguinem subdole effundere solent,
Excitabunt forte letale litigium adversum me, et adversum Puerum; Magi, quæso, silete.

MAGI. Scribæ, et sacerdotes nequaquam valebunt sua invidia Filio tuo nocere;
Et per ipsum solvetur eorum sacerdotium, et solemnitates eorum cessabunt.

MARIA. Angelus apparuit mihi, quando concepi Puerum, quod Rex sit Filius meus,
Et quod ab alto sit ejus diadema, et non solvetur, ipse quoque explicavit mihi, ut et vobis.

MAGI. Angelus igitur, quem dicis, ipse venit sub specie sideris,
Et apparuit nobis, atque annuntiavit, quod Puer major sit et splendidior stellis.

MARIA. Explicavit mihi, dum annuntiaret Angelus ille, qui mihi apparuit,
Quod regni ejus non erit finis, et arcanum servandum est, ne reveletur.

MAGI. Explicavit nobis et stella, quod regum Dominus sit filius tuus,

Aspectus igitur ejus immutatus est. Et cum esset Angelus, nobis non indicavit.

MARIA. Mihi cum apparuisset Angelus, Dominum suum, antequam conciperetur, vocavit eum,

Et Filium Altissimi mihi ipsum prædicavit, et ubi sit Pater ejus, ignoratur.

MAGI. Apud nos prædicavit sub stellæ specie, quod cœli Dominus natus sit,

Et luminaribus dominetur filius tuus oportet, et absque ejus imperio non oriuntur.

MARIA. Coram vobis ecce aperio aliud arcanum, ut confirmemini :

Scilicet, virgo peperi filium, filiumque Dei, euntes, prædicate ipsum.

MAGI. Jam nos prædocuit stella nativitatem ejus extra ordinem esse naturæ,

Et super omnia esse filium tuum, eumdemque etiam filium esse Dei.

MARIA. Altitudo testatur, et profunditas, omnesque Angeli ac stellæ

Illum esse filium Dei ac Dominum : In terram vestram ejus referte nuntium.

MAGI. Altitudo universa per unam stellam commovit Persidem, et confirmata est

Filium Dei esse filium tuum, et omnes gentes ipsi subjectum iri.

MARIA. Pacem referte in terram vestram, pax gliscat in finibus vestris :

Veraces veritatis nuntii habeamini in toto itinere vestro.

MAGI. Pax filii tui nos reducat incolumes in regionem nostram, ut duxit,
Et cum imperium ejus mundo manifestabitur, invisat terram nostram, et benedicat illi.

MARIA. Gaudeat Persis vestro nuntio, exultet Assyria vestro reditu,
Et quando regnum filii mei manifestabitur, in regione vestra suum collocabit vexillum.
Laudes referat exultans Ecclesia, quod natus sit Altissimi filius,
Illuminavitque altitudinem et profundum. Benedictus, qui sua nativitate exhilaravit omnes.

HYMNUS I.

Gloria Trinitati
Perpetuæ atque æternæ
Super incensum hoc suavitatum,
Quod offerimus in honorem tuum.
Remittas in eo, Domine, debita nostra,
Et dimittas in eo stultitias nostras,
Et sit in eo requies mortuis,
Ac spes et custodia vivis.
Erigantur in eo Ecclesiæ,
Et custodiantur in eo monasteria :
Multiplicetur in eo tranquillitas in terra.
Et in regibus pax dominetur.
Mitte in eo, Domine, sanitatem,
Et curationem omnibus languentibus,
Et surgent e lectulis

Corpora jacentia in angustiis.
Et ille, qui fecit de labore suo
Indigentibus ac pauperibus,
Opus gratiæ tuæ
Habitare faciat in tabernaculo ejus benedictiones.
Et illorum, qui attulerunt oblationes
Et primitias ad templum sanctum,
Oblationes acceptentur,
Ac peccata dimittantur.
Benedic fruges anni,
Ac semina et fructus custodiantur,
Et a noxiis prohibeantur,
Et edant esurientes,
Et gratias agant tibi.
Recordamur in oratione
Super incensum hoc suavitatum
Annuntiationis tuæ, Domine, et conceptionis,
Nativitatis et nutritionis tuæ,
Baptismi et humiliationis tuæ
Et crucifixionis tuæ pro nobis,
Mortis et sepulturæ tuæ,
Excitationis ac resurrectionis tuæ,
Ascensionis tuæ in cœlum,
Ac sessionis tuæ ad dexteram,
Et totius dispensationis tuæ,
Quam operata est apud nos voluntas tua.
Et parentum ac magistrorum nostrorum,
Qui fatigati sunt, et laboraverunt, et docuerunt nos,
Et ostenderunt nobis viam vitæ,
Ut ambularemus in ea in domum regni.
Et mortuorum ac defunctorum,
Qui induerunt te ex Baptismo,
Et participes fecisti eos per pietatem tuam

Corpore tuo et Sanguine tuo sancto.
Et omnes qui dixerunt : « Recordamini nostri
In oratione propter Dominum nostrum, »
Visita eos, Domine, pietate tua,
Et per miserationem misericordiæ tuæ,
Nobisque venia et remissio
Sit a thesauro tuo,
Per orationem benedictæ Mariæ
Matris, quæ genuit te,
Et per orationem Martyrum benedictorum,
Qui interfecti sunt propter te,
Et Sanctorum ac Justorum
Qui placaverunt te odore incensorum suorum.
Pater, et Fili, et Spiritus sancte,
Unus Deus verus,
Tibi gloria, ac super nos misericordia tua
In omni momento in sæcula. Amen.

HYMNUS II.

Fide obtulit Abel sacrificium pacificum :
Abraham etiam fide obtulit Isaacum.
Mortuis oblationem prodesse hinc patet,
Et animam sentire, quando pro ea offertur sacrificium.
Non omnis qui defunctus est, memoriam fieri oportet in Propitiatorio.
Sunt enim defuncti, qui Filium Dei nequaquam agnoscunt.

Mortui illi, qui comederunt corpus ejus et biberunt ejus sanguinem,
Hi sunt, quorum æquum est mentionem fieri in Propitiatorio.
Panem et vinum introducit Sacerdos in Sancta Sanctorum :
Sacramentum Corporis et vivi Sanguinis Filii Dei.
Mortem Jesu et crucifixionem ejus ibi commemorat :
Et accedunt adveniuntque omnes Spiritus ut sese oblectent.
Gloria Patri, qui suscepit sacrificium Abrahæ justi :
Et adoratio Filio, qui a gladio Isaacum liberavit :
Gratiarum actio Spiritui, qui justi Noë holocaustum accepit :
Unum in numero trium ; ipsi gloria.

HYMNUS III.

Tribue mihi, Domine, ut ego vigilans
Vigilanter in conspectu tuo consistam,
Quod si mihi dormire contingat,
Sit sine peccato somnus meus ;
Si vero vigilans, quidquam iniqui admisero,
Per gratiam tuam, Domine mi, veniam consequar.
Et dormiens si peccavero,
Sit clementia tua condonatrix.
Et per crucem tuæ humiliationis
Quietis somnum mihi largire.
Meque a malis somniis libera,
Et a fœdis imaginationibus.

Et in somno tranquillitate pleno
  Tota nocte me dirige.
Neque dominentur in me mali,
  Et cogitationes iniquitate plenæ.
Angelum lucis da mihi,
  Qui omnia membra mea custodiat.
Et ab execranda concupiscentia libera me,
  Per corpus tuum vivum, quod comedi :
Et cubitum eam, et quiete dormiam,
  Sanguisque tuus sit custos meus.
Animæque, quæ tua est imago,
  Confer libertatem formæ tuæ.
Et corpus, quod effinxerunt manus tuæ,
  Protegat dextera tua,
Et circumda me muro misericordiarum,
  Tanquam scuto protegente.
Et cum quieverit ac dormierit corpus,
  A virtute tua custodiatur :
Et veluti suffitus aromatum sit
  Somnus meus coram majestate tua.
Nec accedat malus ad cubile meum,
  Intercessione illius, quæ te peperit.
Ac per sacrificium tuum, quod pro me factum est,
  Cohibe Satanam, ne me perturbet.
Et perfice mihi, Domine, promissum tuum,
  Et audiam, et exequar voluntatem tuam.
Vesperam, Domine, tranquillitatis plenam,
  Et noctem justitiæ
Jesu Christe, Redemptor noster,
  Quia tu es lux vera :
Et in luce habitat gloria tua,
  Et filii lucis te adorant.

Qui in luce habitas, et in luce commoraris,
  Jesu Verbum Deus,
Vivos per crucem tuam conserva,
  Et defunctis parce propter misericordiam tuam.
Atque laus tibi detur, Patrique tuo, qui te misit,
  Et Spiritui sancto in omni tempore.

FINIS.

ORDO NOVUS

CUM

VETERI COMPARATUS.

TOM. I.

CLASSIS I. — DE SCRIPTURA.

TOM. II.

CLASSIS I. — SEQUUNTUR EXPOSITIONES DE SCRIPTURA.

Ordo novus.	*Ordo vetus.*
Explanatio in I Regnorum, qui et III Regum, pag. 3.	Tom. I Syriacus, pag. 439-516.
Explanatio in II Regnorum, qui et IV Regum, pag. 95.	Ibid., pag. 517-567.
Commentaria in librum Job, pag. 139.	Tom. II Syriacus, pag. 1-19.
Commentaria in Esaïam prophetam, pag. 197.	Ibid., pag. 20-97.
Commentaria in Jeremiam prophetam, pag. 323.	Ibid., pag. 98-162.
Commentaria in Jeremiæ prophetæ Threnos, pag. 417.	Ibid., pag. 163-164.
Commentaria in Ezechielem prophetam, pag. 421.	Ibid., pag. 165-202.
Commentaria in Danielem prophetam, pag. 477.	Ibid., pag. 203-233.
Commentaria in Hoseam prophetam, pag. 523.	Ibid., pag. 234-248.
Commentaria in Joëlem prophetam, pag. 551.	Ibid., pag. 249-254.
Commentaria in Amos prophetam, pag. 559.	Ibid., pag. 255-268.
Commentaria in Abdiam prophetam, pag. 581.	Ibid., pag. 269-271.
Commentaria in Michæam prophetam, pag. 585.	Ibid., pag. 272-284.
Commentaria in Zachariam prophetam, pag. 605.	Ibid., pag. 285-311.
Commentaria in Malachiam prophetam, pag. 543.	Ibid., pag. 312-315.

TOM. III.

CLASSIS I. — SEQUUNTUR EXPOSITIONES DE SCRIPTURA.

Ordo novus.	*Ordo vetus.*
Sermones in Scripturam Exegetici, pag. 3.	Tom. II Syriacus, pag. 316-395.

CLASSIS II. — SERMONES DE SE IPSO.

Reprehensio sui ipsius, atque confessio, sermo I, pag. 111.	Tom. I Græcus, pag. 18-23.
Reprehensio sui ipsius, atque confessio, sermo II, pag. 117.	Ibid., pag. 119-144.
Sermo de fine vitæ suæ sive testamentum, pag. 155.	Tom. II Græcus, licet textus sit Syriacus, pag. 395-410.

CLASSIS III. — SERMONES SEU TRACTATUS DE FIDE.

Sermo I in eos qui dicunt terræ motus a terræ inflatione fieri, pag. 173.	Tom. III Græcus, pag. 47-48.
Sermo II. Ne decipiamur gentilium erroribus, pag. 175.	Ibid., pag. 48-51.
Sermones polemici octoginta adversus scrutatores, pag. 178, et septem de Margarita, pag. 382.	Tom. III Syriacus, pag. 1-164.
Sermones tres in idem argumentum, pag. 401.	Ibid., pag. 164-208.
Sermo de iis, qui Filii Dei naturam scrutantur, pag. 409.	Tom. III Græcus, pag. 418-424.
Sermo adversus Judæos, pag. 468.	Tom. III Syriacus, pag. 209-224.

TOM. IV.

CLASSIS III. — DE FIDE CONTINUATIO.

Ordo novus.	*Ordo vetus.*
Sermones XCII-CXLVII. Adversus hæreses polemici LVI.	Tom. II Syriacus, pag. 437-560.
Sermo CXLVIII. Adversus hæreticos, in quo tum ex Margarita, tum ex aliorum claris argumentis ostenditur credendum esse sanctam Deiparam præter naturæ leges Dominum ac Deum nostrum pro mundi salute et concepisse et peperisse, pag. 186.	Tom. II Græcus, pag. 259-279.
Sermo CXLIX et CL. Divinæ dispositionis contemplationes II, pag. 213.	Tom. III Syriacus, pag. 608-612.
Sermo CLI. De Dei justitia, et misericordia, pag. 219.	Ibid., pag. 613-615.
Sermo CLII. Cur aliquibus Deus petitionibus annuat, quasdam vero rejiciat, pag. 222.	Ibid., pag. 615-618.
Sermo CLIII. Omnia a Deo disponi ad hominem salutem, pag. 227.	Ibid., pag. 618-620.
Sermo CLIV. De Divina gratia, pag. 230.	Tom. III Græcus, pag. 42-47.
Sermo CLV. De nostra libertate, et quod liber factus est homo, pag. 236.	Ibid., pag. 434-435.
Sermo CLVI-CLIX. De libero humanæ voluntatis arbitrio IV, p. 237.	Tom. III Syriacus, pag. 359-366.
Sermo CLX. De inspiratione, pag. 247.	Tom. II Græcus, pag. 323-324.
Sermo CLXI. De iis, qui dicunt resurrectionem mortuorum non esse, pag. 249.	Tom. III Græcus, pag. 127-134.

Ordo novus.	*Ordo vetus.*
Sermo CLXII. De Sacerdotio, pag. 258.	Tom. III Græcus, pag, 1-6.
Sermo CLXIII. Interrogationes et responsiones, pag. 264.	Ibid., pag. 104-113.

CLASSIS IV. — DE MYSTERIIS.

Sermo I. De festis diebus, pag. 277.	Ibid., pag. 11-12.
Sermo II-XIV. In Natalem Domini XII, pag 279-332.	Tom. II Syriacus, pag. 396-436.
Sermo XV. In Natalem Domini, pag. 338.	Ibid., pag. 599-602.
Sermo XVI. In Transfigurationem Domini, Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, pag. 343.	Tom. II Græcus, pag. 41-49.
Sermo XVII. In sanctam Parasceven, et in Crucem et latronem, pag. 354.	Tom. III Græcus, pag. 471-476.
Sermo XVIII. In pretiosam et vivificam Crucem et in secundum adventum, et de charitate et eleemosyna, pag. 360.	Tom. II Græcus, pag. 247-258.
Sermo XIX. De Passione Salvatoris, pag. 365.	Tom. III Græcus, pag, 244-248.
Sermo XX. De Christi Passione et Resurrectione, pag. 371.	Tom. III Syriacus, pag. 603-604.

CLASSIS V. — DE SANCTIS.

Sermo I. In Noë, seu de continentia, et de non æmulandis peccatoribus, qui se temporis prætextu excusant, pag. 375.	Tom. III Græcus, pag. 236-237.
Sermo II. In Abraham et Isaac, pag. 376.	Tom. II Græcus, pag. 312-319.
Sermo III. In Lot et de securitate, pag. 385.	Tom. III Græcus, pag. 237-239.
Sermo IV. In pulcherrimum Joseph, pag. 389.	Tom. II Græcus, pag. 21-41.

Ordo novus.	*Ordo vetus.*
Sermo V. In sanctum Eliam prophetam, pag. 415.	Tom. III Græcus, pag. 240-243.
Sermo VI. Apologia ad fratrem quemdam, de Heli sacerdote, pag. 428.	Ibid., pag. 6-11.
Sermo VII. In Danielem prophetam, et in sanctos tres pueros, et in eum qui dicit : *Tempora mala sunt, salvari nequeo*, pag. 427.	Tom. II Græcus, pag. 319-320.
Sermo VIII. De laudibus Dei genitricis Mariæ I, pag. 430.	Tom. III Syriacus, pag. 604-608.
Sermo IX. De sanctissimæ Dei genitricis virginis Mariæ laudibus II, pag. 435.	Tom. III Græcus, pag. 575-577, sed latine tantum.
Sermo X. Threni, id est, lamentationes gloriosissimæ virginis Mariæ, super passione Domini, pag. 440.	Ibid., pag. 574-575.
Sermo XI. Encomium in Petrum et Paulum, et Andream, Thomam et Lucam, et Joannem, et in lectionem Evangelii secundum Joannem, pag. 444.	Ibid., pag. 462-470.
Sermo XII. Encomium in gloriosos Martyres, qui in toto mundo martyrium sunt passi I, pag. 454.	Tom. II Græcus, pag. 306-312.
Sermo XIII. Encomium in Martyres II, pag. 462.	Tom. III Græcus, pag. 248-254.
Sermo XIV. Encomium in sanctos quadraginta Martyres, pag. 470.	Tom. II Græcus, pag. 341-356.
Sermo XV. Encomium in sanctum Basilium, pag. 489.	Ibid., pag. 289-296.
Sermo XVI. In vitam beati Abrahami et neptis ejus Mariæ, pag. 498.	Ibid., pag. 1-20.
Sermo XVII. De Juliano asceta, pag. 525.	Tom. III Græcus, pag. 254-260.

TOM. V.

CLASSIS VI. — DE MORTE.

Ordo novus.	*Ordo vetus.*
Sermo I. In Patres defunctos I, pag. 3.	Tom. I Græcus, pag. 172-175.
Sermo II. In Patres defunctos II, pag. 8.	Ibid., pag. 175-180.
Sermo III. In eos qui in Christo obdormierunt, pag. 14.	Tom. III Græcus, pag. 260-273.
Sermo IV. De mortis cogitatione, seu de habenda semper in mente die exitus vitæ, pag. 31.	Ibid., pag. 356-357.
Sermo V. De recordatione mortis, et de virtute, ac de vitiis, pag. 33.	Ibid., pag. 114-119.
Necrosima, seu funebres canones, pag. 40.	Tom. III Syriacus, pag. 225-358.

CLASSIS VII. — DE RESURRECTIONE ET JUDICIO.

Sermo I. De resurrectione mortuorum, pag. 217.	Tom. III Græcus, pag. 119-127.
Sermo II. De timore Dei, et consummatione sæculi, pag. 228.	Tom. III Syriacus, pag. 629-638.
Sermo III. In secundum adventum Domini nostri Jesu Christi I, pag. 240.	Tom. I Græcus, pag. 167-171.
Sermo IV. In secundum adventum Domini nostri Jesu Christi II, pag. 246.	Tom. II Græcus, pag. 192-208.
Sermo V. In secundum Domini nostri Jesu Christi adventum III, seu de communi resurrectione, de patientia et de charitate, pag. 267.	Ibid., pag. 209-222.
Sermo VI. Paræneticus, in secundum adventum Domini IV, pag. 272.	Tom. III Græcus, pag. 152-159.

Ordo novus.	*Ordo vetus.*
Sermo VII. In secundum adventum Domini nostri Jesu Christi V, seu sermo utilis de pœnitentia et judicio, et de separatione animæ et corporis, pag. 282.	Tom. III Græcus, pag. 376-380.
Sermo VIII. De secundo adventu Domini nostri Jesu Christi VI, seu de patientia et consummatione hujus sæculi, ac de secundo adventu; nec non de meditatione divinarum Scripturarum : et quæ quantaque sit quietis silentiique utilitas, pag. 288.	Ibid., pag. 93-104.
Sermo IX. De adventu Domini nostri Jesu Christi VII. *Alias.* Sermo in adventum Domini, et de consummatione sæculi : et in adventum Antichristi. 302.	Tom. II Græcus, pag. 222-230.
Sermo X. De judicio et resurrectione, pag. 313.	Tom. III Græcus, pag. 148-150.
Sermo XI. In illud : *Duo erunt in agro*, pag. 317.	Ibid., pag. 23-24.
Sermo XII. De judicio et compunctione, pag. 318.	Tom. II Græcus, pag. 50-56.
Sermo XIII, De resurrectione et judicio, et de regno cœlorum et munditia animæ, pag. 327.	Tom. III Græcus, pag. 553-557, latine tantum.
Sermo XIV. De die judicii, pag. 336.	Ibid., pag. 579-581, sed latine tantum.
Sermo XV. De resurrectionis die I, pag. 343.	Ibid., pag. 361.
Sermo XVI. De resurrectionis die II, pag. 344.	Ibid., pag. 362.
Sermo XVII. De timore animarum. 345.	Tom. I Græcus, pag. 183-187.

CLASSIS VIII. — DE BEATITUDINIBUS.

Ordo novus.	*Ordo vetus.*
Sermo I. Seu Beatitudinum capita LV, pag. 351.	Tom. I Græcus, pag. 282-292.
Sermo II. Beatitudines aliæ; capita xx, pag. 359.	Ibid., pag. 292-299.
Sermo III. De Beatitudinibus atque infelicitatibus, pag. 367.	Tom. II Græcus, pag. 334-335.
Sermo IV. De mansionibus beatis, pag. 269.	Tom. III Græcus, pag. 25-26.
Sermo V. De locis beatis, pag. 270.	Ibid., pag. 26-28.
De paradiso Eden Sermones XII, pag. 374.	Tom. III Syriacus, pag. 562-598.

TOM. VI.

CLASSIS IX. — DE PŒNITENTIA.

Ordo novus.	*Ordo vetus.*
Liber de pœnitentia, pag. 3.	Tom. III Græcus, pag. 589-599, latine tantum.
Sermo I. De pœnitentia, pag. 36.	Ibid., pag. 160-205.
Sermo II. De pœnitentia, pag. 95.	Tom. I Græcus, pag. 148-153.
Sermo III. Oratio in vanam vitam, et de pœnitentia, pag. 103.	Tom. III Græcus, pag. 308-314.
Sermo IV. De pœnitentia et compunctione, pag. 110.	Ibid., pag. 369-370.
Sermo V. De pœnitentia, pag. 112.	Ibid., pag. 79-81.
Sermo VI. De pœnitentia, pag. 115.	Ibid., pag. 81-83.
Sermo VII. De pœnitentia et patientia, pag. 117.	Ibid., pag. 83-86.
Sermo VIII. De patientia et compunctione, pag. 121.	Ibid., pag. 86-92.

Ordo novus.	*Ordo vetus.*
Sermo. De morum perversitate, pag. 481.	Tom. II Græcus, pag. 368-370.
Sermo. De pravis animi affectionibus compescendis, pag. 480.	Tom. III Syriacus, pag. 624-627.
Sermo. Ad correctionem eorum, qui vitiose vivunt et honores appetunt, pag. 487.	Tom. I Græcus, pag. 111-118.
Sermo. De his, quæ hæc vita continet, pag. 498.	Tom. III Græcus, pag. 24-25.
Sermo. Prætereuntis hujusce sæculi deliciæ a perpetua beatitate animos avocant, pag. 499.	Tom. III Syriacus, pag. 620-622.
Sermo. De humani ingenii inconstantia, pag. 502.	Ibid., pag. 622-624.
Sermo. Ad eversionem superbiæ, pag. 505.	Tom. I Græcus, pag. 23-28.
Sermo. De his, qui animas ad impudicitiam pelliciunt, cum dicant nihil mali esse, pag. 512.	Tom. III Græcus, pag. 56-64.
Sermo. De abstinendo a cupiditatibus carnalibus, et de certamine ac de multa securitate, ad fratrem qui excidit, pag. 522.	Ibid., pag. 64-66.
Homilia. In Meretricem, pag. 526.	Ibid., pag. 385-395.
Sermo. In mulierem peccatricem, quæ unguento Dominum unxit, pag. 528.	Tom. II Græcus, pag. 297-306.
Sermo. Adversus improbas mulieres, pag. 541.	Tom. III Græcus, pag. 70-74.
Sermo. De ebrietate vini fugienda, ac vitando consortio mulierum, pag. 546.	Ibid., pag. 481-482.
Sermo. De agone, seu de luctaminibus hujus sæculi, pag. 547.	Ibid., pag. 557-560, sed latine tantum.
Sermo. De morbo linguæ, et pravis affectibus, pag. 554.	Tom. II Græcus, pag. 279-289.
Sermo. De octo cogitationibus, pag. 567.	Ibid., pag. 321-322.

Ordo novus.	*Ordo vetus.*
Sermo. De non suscipiendis rebus hisce momentaneis, et ne patiamur nos decipi hujus vitæ oblectamentis : et in Psalmum septuagesimum secundum, pag. 573.	Tom. III Græcus, pag. 29-31.
Sermo. Ad animam negligentem, pag. 576.	Ibid., pag. 459-461.
Sermo. Quod ludicris rebus abstinendum sit Christianis : et de amore pauperum, pag. 579.	Ibid., pag. 51-56.
Sermo. De non scandalizando proximo, et de recta vitæ ratione, adhortatio, pag. 586.	Ibid., pag. 33-36.

TOM. VII.

CLASSIS XII. — DE VIRTUTIBUS.

Ordo novus.	*Ordo vetus.*
Sermo. De recta vivendi ratione, pag. 3.	Tom. II Græcus, pag. 56-72.
Sermo. De exercitatione bonorum operum, et de Dei patientia, pag. 18.	Tom. III Græcus, pag. 396.
Sermo. De directione virtutis, pag. 19.	Ibid., pag. 397.
Sermo. De Fide, pag. 20.	Tom. II Græcus, pag. 336-340.
Sermo. De charitate, pag. 26.	Tom. III Græcus, pag. 13-17.
Sermo. De Psalmo, pag. 33.	Ibid., pag. 18-19.
Sermo I. De oratione, pag. 35.	Ibid., pag. 19-21.
Sermo II. De oratione, pag. 37.	Ibid., pag. 455-458.
Sermo. De vera renuntiatione, et quo pacto anima Deum inveniat; quam ob causam ad nos venit Dominus, pag. 42.	Ibid., pag. 36-38.
Sermo. De peregrinatione, pag. 44.	Tom. III Syriacus, pag. 650-651.
Sermo. De statu spirituali, pag. 46.	Tom. II Græcus, pag. 432.

Ordo novus.	*Ordo vetus.*
Sermo. De oculorum custodia, necnon adversus divinarum rerum scrutatores. Ibid.	Tom. III Syriacus, pag. 627-629.
Sermo. De Virginitate, pag. 49.	Tom. III Græcus, pag. 74-79.
Sermo. De abstinendo ab omni consuetudine perniciosa, et de continentia, pag. 56.	Ibid., pag. 67-70.
Sermo. De continentia, ac de non æmulandis peccatoribus, qui se temporis prætextu excusant, et in Noë, pag. 60.	Ibid., pag. 236-237.
Sermo. De patientia, pag. 61.	Tom. II Græcus, pag. 326-334.
Sermo I. De contemptu vanitatum, pag. 72.	Tom. III Græcus, pag. 358-359.
Sermo II. De contemptu vanitatum. Ibid.	Ibid., pag. 359-360.
Sermo. De discussione conscientiæ, pag. 73.	Ibid., pag. 480-481.
Sermo I. De jejunio, pag. 77.	Ibid., pag. 22-23.
Sermo II. De jejunio, pag. 78.	Tom. III Syriacus, pag. 638-643.
Sermo. De conversatione fratrum mutua in concordia et dilectione, pag. 85.	Tom. III Græcus, pag. 314-316.
Sermo. De reprehensione, pag. 88.	Tom. III Syriacus, pag. 654-687.
Sermo De amore pauperum, pag. 130.	Tom. III Græcus, pag. 21-22.
Sermo. De humilitate, pag. 133.	Ibid., pag. 435.
Sermo. De humilitate et superbia, pag. 134.	Tom. III Syriacus, pag. 644-650.
Capita C. Quomodo quis humilitatem sibi comparet, pag. 142.	Tom. I Græcus, pag. 299-335.
Sermo. In illud quod dixit Dominus : *In hoc mundo pressuram habebitis*, et de perfectione hominis, pag. 183.	Tom. III Græcus, pag. 278-307.

CLASSIS XIII. — DE VITA ASCETICA.

TOM. VIII.

CLASSIS XIII. — DE VITA ASCETICA.

Ordo novus.	*Ordo vetus.*
Sermones parænetici ad monachos Ægypti, pag. 3.	Tom. II Græcus, pag. 72-186.
Catechesis ad monachos, pag. 160.	Ibid., pag. 370-372.
Adhortatio ad fratres, pag. 164.	Tom. III Græcus, pag. 205-215.
De panoplia ad monachos, pag. 177.	Ibid., pag. 219-226; reliqua usque ad pag. 234, alias reperiuntur.
De quibusdam interrogationibus, pag. 186.	Tom. II Græcus, pag. 365-366.

CLASSIS XIV. — EPISTOLÆ.

Epistola ad Joannem monachum, etc., pag. 189.	Tom. II Græcus, pag. 186-191.
Hypomnisticum, pag. 196.	Tom. I Græcus, pag. 188-193.

CLASSIS XV. — PRECATIONES.

PRECATIONES AD DEUM.

Precatio I, pag. 205.	Tom. I Græcus, pag. 137.
— II, pag. 206.	Tom. III Græcus, pag. 482.
— III, pag. 207.	Tom. I Græcus, pag. 199-201.
— IV, pag. 210.	Tom. III Græcus, pag. 578, sed latine tantum.
— V, pag. 213.	Ibid., pag. 483-484, sed syriace.
— VI, pag. 214.	Ibid., pag. 484-485.
— VII, pag. 215.	Ibid., pag. 485.
— VIII, pag. 216.	Ibid., pag. 523.

PRECATIONES AD CHRISTUM.

Precatio I, pag. 217.	Tom. III Græcus, pag. 486.
— II, pag. 218.	Ibid., pag. 487-488.
— III, pag. 221.	Ibid., pag. 489.
— IV. Ibid.	Ibid., pag. 489-490.
— V. pag. 222.	Ibid., pag. 490.

PRECATIONES FERIALES.

Ordo novus.	*Ordo vetus.*
Planctus ad vesperas feriæ tertiæ, pag. 223.	Tom. III Græcus, pag. 497-502.
Planctus ad vesperas feriæ quartæ. pag. 229.	Ibid., pag. 502-507.
Planctus ad vesperas feriæ quintæ, pag. 235.	Ibid., pag. 507-512.
Planctus ad vesperas feriæ sextæ, pag. 241.	Ibid., pag. 512-516.
Planctus ad vesperas sabbati, pag. 246.	Ibid., pag. 516-519.
Planctus ad vesperas iterum sabbati, pag. 250.	Ibid., pag. 520.
Planctus ad vesperas dominicæ, pag. 251.	Ibid., pag. 521-523.

PRECATIONES AD S. VIRGINEM DEIPARAM.

Precatio I. pag. 255.	Tom. III Græcus, pag. 524.
— II, pag. 256.	Ibid., pag. 524-526.
— III, pag. 258.	Ibid., pag. 526-528.
— IV, pag. 260.	Ibid., pag. 528-532.
— V, pag. 265.	Ibid., pag. 532-536.
— VI, pag. 269.	Ibid., pag. 536-539.
— VII, pag. 273.	Ibid., pag. 539-543.
— VIII, pag. 277.	Ibid., pag. 543-545.
— IX, pag. 280.	Ibid., pag. 545-548.
— X, pag. 283.	Ibid., pag. 548-550.
— XI, pag. 286.	Ibid., pag. 551-552.
— XII, pag. 288.	Ibid., pag. 577, latine tantum.

CLASSIS XVI. — CANTICA ET HYMNI.

Canticum I. In Nativitatem Domini, pag. 291.	Tom. III Græcus, pag. 600-601, latine tantum.
Canticum II, De Maria et Magis, pag. 295.	Ibid., pag. 601-602, id.
Hymnus I, pag. 302.	Ibid., pag. 604-605, id.
— II, pag. 304.	Ibid., pag. 605-606, id.
— III, pag. 305.	Ibid., pag. 606-607, id.

SERMONES, TRACTATUS AUT FRAGMENTA,

Quæ ex industria fuerunt prætermissa, sive quia non sunt S. Ephræm, sive quia alibi iisdem ferme verbis leguntur, sive quia breviora sunt et parvi momenti.

TOM. II Græcus. S. Ephræm testamentum græcum, pag. 230-247.
Et erat condens, pag. 324.
Et vixit Jared, pag. 235.
In Enoch. Ibid.
De domina Sala, pag. 393-394.
Adhortatio ad monachos, pag. 372-377.
De perfectione monachi, pag. 322-323.
Interrogationes et responsiones, pag. 377-393.
Excerpta in Scripturam, pag. 424-425.
In Transfigurationem Domini, pag. 425-427.
De Nativitate Domini, pag. 427-428.
De octo cogitationibus, pag. 428-432.

TOM. III Græcus. De sua conversione, pag. XXIII.
Sermo I. In adventum Domini, pag. 134-136.
II. — pag. 136-140.
III. — pag. 140-144.
De signo Crucis quod apparebit in cœlo, pag. 144-148.
De abrenuntiatione, pag. 215-219.
De silentio et quiete, pag. 234-236.
De secundo adventu et judicio, pag. 273-278.
De pœnitentia et in secundum adventum, pag. 371-375.
Quomodo convertatur quis retrorsum, pag. 381-385.
De pœnitentia, pag. 398-401.
De judicio, pag. 401-403.
Ad Joannem monachum, pag. 407-417.
In fratrem defunctum, pag. 436-438.
Reprehensio sui ipsius, pag. 439-454.
De luctamine spirituali, pag. 461-462.
Interrogatio. *Quæ figura maris,* etc., pag. 476-478.
Plura et breviora fragmenta, pag. 478-479.
Precatio, pag. 490-491.
Planctus ad vesperas feriæ secundæ, pag. 492-497.

FINIS.

TITI
BOSTRENSIS EPISCOPI
OPERUM.

LIBRI TRES ADVERSUS MANICHÆOS.

TITUS

BOSTRENSIS EPISCOPUS,

GRÆCUS.

CIRCA ANNUM 376.

Titus, civitatis Bostrensis episcopus, quæ est Arabiæ metropolis, non minus humanis litteris quam scientia ecclesiastica peritus, inter doctos suæ ætatis episcopos doctissimus, celeberrimusque veritatis propugnator ab Hyeronimo (*Epist.*), Sozomeno (Lib. III, c. 14) et Theodoreto (Lib. I. *Hæret. fabul.* cap. 26) prædicatur. Vivente adhuc Constante, anno videlicet 350, jam ejus nomen inclaruerat; sed, regnante Juliano, non parum exagitatus, imperatoriis calumniis sæpius, sed frustra appetitus est. Legitur usque adhuc principis istius apostatæ epistola, qua bostrensem populum contra sanctum antistitem falsis criminationibus incitat. Reddita autem a Joviano pace, affuit Titus Synodo Antiochiæ, a Meletio congregatæ ad asserendam Verbi consubstantialitatem. Quo anno defunctus sit plane ignoratur, licet Valente imperante e vita excessisse, teste Hyeronimo, probabilius credatur.

Scripserat sanctus hic episcopus *quatuor contra Manichæos libros*, quorum quarto deperdito, tres solummodo supersunt. Restat tamen quarti libri argumentum, quo deperditorum sensus intelligi datur. Eidem aliquando tributus fuit *Sermo in Ramos palmarum*, qui a Combefisio, Cellerio, aliisque criticis vulgo rejicitur. Unde ab illo promulgando abstinebimus, prelo tantum subjectis tribus contra Manichæos libris, quibus plura utilissima, quædam autem non satis veritati consentanea, in physicis præcipue, leguntur.

Reperiuntur libri contra Manichæos tum in bibliothecis Patrum, ex Turriani versione; tum in Canisii collectione, Antuerpiæ an. 1725, curante Jacobo Basnagio, qui servatam Turriani versionem, sæpius quidem, sed non quantum opus fuisset, corrigere tentavit. Potiorem tamen hanc versionem secuti sumus, quæ iterum et accuratius stampata fuit in bibliotheca patrum Gallandii, unde illam eruimus.

TITI
BOSTRENSIS EPISCOPI
OPERUM.

LIBER I.
ADVERSUS MANICHÆOS.

ARGUMENTUM.

Primus liber continet confutationem præcipuorum capitum doctrinæ manichæorum, quæ sunt penitus aliena, et cum communibus notionibus natura insitis, et anticipatis pugnantia.

I. Quibus studium est causas eorum, quæ homines peccant, a Deo removere, aiunt sanctum, et verum esse Deum; huc spectant tales, et hoc eis propositum est tueri. Cum enim non negant procurare Deum res nostras, recte, ac vere hominibus peccata eorum assignant; alioqui parum quid sanare qui voluerunt, in graviorem et difficiliorem impietatis ægritudinem inciderunt, Dei providentiam, quæ in universitate rerum cernitur, negantes. Manichæus vero, qui a barbarie et furore nomen ducit, nocentiore adhuc contra impietatem remedio abusus est; cum enim demonstrare voluisset non esse Deum auctorem mali, malum ei opposuit ingenitum, ut ait, ingenito, vivum vivo, semper obsistens ac repugnans, et nunquam non negotium et molestias inferens; quodque ab eo funditus extingui et interire nequeat, utpote æterna, et completa substantia, tanquam

ingenita : sic « Fugiens fumum, ut est in Proverbio, in ignem incidit. » Etenim ne videatur Deus, ut Manichæus existimat, nostrorum malorum esse in causa, ex toto quodam, et integro malo apud se fructum fingit percipere. Quid enim, si res tractat Deus, ut Manichæus ait, toleranter et sapienter? at nunquam opinione hujus, bello et pugna carebit : quo quid potest de Deo, quod minus eum deceat, cogitari?

II. Quod pium quidem sit apud homines, totis viribus confiteri Deum non esse injuriarum, et maleficiorum auctorem, prima doctrina Ecclesiæ catholicæ studuit profiteri. Cum autem quærimus, quomodo nos peccamus, nolente Deo ut peccemus? de gravioribus nos Deum accusamus, cum a levioribus eum, sicut ille, defendere volumus.

Sed qui viam veritatis ex sanctis Scripturis et ex communibus notionibus cognitam habemus, pergamus firme ad talem quæstionem, piam argumentationem pro Deo concludentes, nos ipsos studio veritatis accusando; non enim ut verbo accusationem eorum, quæ in nos inter nos peccamus, declinemus, decebat in Deum impios esse, poscentes ab eo, quæ sunt contumeliosiora omnibus et quæ nequaquam sunt.

Præterea qui existimamus peccata apud homines sanabilia esse, utpote quæ non a principio quodam contra eos effluant, sed alio modo a nobis fiant, (quem disputatio suo tempore explanabit,) non solum non sumus in Deum impii non audentes conjecturam facere non posse Deum propter difficultatem resistere vitio, quod ei non inest, sed quæ a nobis vitiose aguntur, nitimur in eis cessare; cum iis, qui advertunt, demonstramus, quæ a nobis principium ducunt, ut fiant, per nos etiam, ne fiant, finem assequi, tametsi non apud omnes : non enim hoc generale in singulis est, sed in singulis eorum, qui studium adhibuerunt, (judicium tamen

universi est, posse esse in singulis :) verumtamen qui barbare cum impietatem excogitavit, fingens malum sine principio, contra Deum vere principio carentem, ac solum, et hoc secundum principium insane constituens, non solum malum collocat in ordine æquali Deo, tanquam hoc honorare velit, quod scilicet odit; sed mala, quæ ex malo, quod principio caret, insanabilia penitus esse, cum necessario affirmat, facit insidiose, ut existiment qui ei credunt, injustitiam non posse apud homines corrigi; ita ut anticipata voluptate peccatorum, pro conversione desperatio objiciatur, quasi fieri non possit, ut impetus vitii, quod principio caret, coërceatur. Præterquam si quis cupiditate gloriæ, quod plus boni, ut isti fingunt, habere videatur, studium adhibeat, ut, quoad fieri potest, non peccet, ut manifestum faciat, non aliunde quam a se peccatum proficisci. Existimabitur tamen apud ipsos melior esse propter admixtionem naturæ, qui non natura, sed labore, et sudore usus est, qui quidem putabit se laudari cum alioqui vera laude privetur, Veram enim gloriam ex labore ac studio virtutis proficiscentem relinquens, siquidem pietati erga Deum studebat, necessitatem naturæ rapinam esse falso ducit, qui utilitatem industriæ ad impietatem in Deum adhibet; ut nec animus ignaviæ et inertiæ deditus, cum male agit, pungatur, siquidem alteri cuidam principio actiones ascribit : neque qui studio utitur, laude dignus habeatur, quippe qui in id cogitatione incumbat, quod est omnium atrocissimum, institui scilicet ad impietatem adversus Deum.

III. Cum vero Manichæi rationem creationis mundi a Deo facti non intelligerent, non solum actiones hominum a ratione aversas excutientes, eo modo, quem diximus, lapsi sunt, sed etiam plurimas creaturas, imo fere omnia in crimen vocaverunt, quæ nullam tamen vituperationem vere admittunt; mala autem hæc appellaverunt, in aliis qui-

dem mixtionem contrariorum, boni scilicet et mali, ut loquuntur, mentientes; in aliis vero malum simplex, et unius formæ reprehendentes; et quantum in ipsis fuit, omnia confuderunt, apellantes mala, quæ minime mala sunt. Si enim injustitiam, in qua homines sunt, quæ sola est injustitia, accusarent tanquam malum, sic etiam oportebat nomen, et opinionem de ea munire, tanquam quæ esset, dum est actio; aut non esset, dum non est actio; non autem oportebat introducere principium ipsum contra Deum, fuisset tamen eorum error affatim circumscriptus, et terminatus. Nunc autem cum fere omnia, quæ fabricata sunt, mala esse dicant, blasphemiam in Deum in infinitum auxerunt, et producunt tanquam certa, et ratione, ac judicio probata, omnes bestias, et feras, non putantes oportere facta esse hæc a bono, non solum eorum opinione inutilia, sed hominibus nocentissima. Quamvis demonstrari possint utiliora, et commodiora esse quam ea, quæ vere hominibus conducere videantur : ac multa quidem alia connectunt ad accusationem rerum, et gubernationis universi.

IV. Dabitur vero opera, ut nihil tam eorum, quæ dicta, quam quæ dicenda sunt, disputatio non ratione conclusum relinquat; fingunt enim cogitatione duarum naturarum contrariarum admixtionem, et his, ut eis videtur, res omnes distribuunt. « Undenam, inquiunt, mala, si hæc non ex aliquo principio sunt? » Si quis vero percontetur, qualia peccata in homines confertis? quæcumque fabricatus est Deus et totam ipsam rerum compositionem ac gubernationem vituperant : ut jam si quis demonstret omnia bene, et necessario facta esse, et fieri, necesse est excidat eis, et avolet ratio contrarii principii; cum enim ea, quæ infra sunt, non intellexissent quomodo habeant de iis, quæ sunt supra, sunt commenti ; neque percepissent quomodo ea, quæ videntur, disposita sint, id quod non videtur, calumniati sunt; et cum

studere viderentur, ut cognoscerent, quia non cognoverunt, in majorem ignorantiam inciderunt; etenim veluti in tenebris quærerent, quæ de iis, quæ apparent, ignorabant, non solum non invenerunt, quod quærere videbantur, quin potius majores ignorantiæ tenebras sibi offuderunt. Nos vero primo de duobus principiis contrariis, quæ ponunt, disserentes, ad conclusionem argumentationis de universo veniemus, esse scilicet bona, et necessaria omnia, et illa maxime, ut superius dixi, in quæ maximum impetum, et incursum faciunt, quasi omnium concessu mala sint; præterea etiam omnium rerum gubernationem, atque illa, in quibus severitatem providentiæ, qua, quæ magis necessaria sunt, procurantur, improbant; et non solum hæc, sed de iis etiam, quæ apud homines injuste fiunt, neque propter hæc principium mali contra Deum oportere cogitare; docebimus enim hæc etiam bonitatem Dei, qui nos fecit, declarare; et neque ab hominibus fieri secundum voluntatem Dei, nec ex principio quopiam contrario in nos ferri.

V. Igitur aggrediamur deinceps ad principium impietatis illorum commentitiæ, inquirentes utrum notiones naturales duo contraria principia rerum admittant; si enim ne consentientia quidem admittunt, multo minus pugnantia. Scribens igitur ille ipse furens Manichæus, ubique incipit; « Erat » Deus, et materia; lumen, et tenebræ; bonum et malum » in omnibus summe contraria; » ut in nulla re alterum cum altero communionem, et societatem haberet, ambo ingenita, et viventia; igitur aut disjungent se; aut si fuerint simul, amica et nequaquam contraria esse apparebit. At patet dicere eum, sejuncta esse hæc. Igitur utrumque cum altero finitum, et terminatum erit secundum substantiam, et neutrum incircumscriptum, et infinitum; circumscribere autem Deum secundum substantiam, et non nosse, et confiteri infinitum esse, quomodo non est admodum impium? quan-

doquidem non solum circumscribi, et terminari substantia Dei videbitur, sed a malo, ut ille ait, hoc accipere. Quod quidem extra communes notiones est, quæ menti suggerunt, ut eum ubique esse noscat, et natura incomprehensum.

VI. Præterea etiam, si hæc necessario a se dissident, non solum Deus opinione illius insana naturæ circumscriptæ esse videbitur, sed in privato loco esse, et residere prope contrarium. Quæ enim a se mutuo arcentur, propriis, et privatis locis circumscribunt. Excutienda igitur sunt hæc, si ambo contraria tanquam ingenita antiquiora locis erant, aliquando rursus prius erant communiter a pugna inter se libera. Sin vero disjunctio substantiæ utriusque simul ex æternitate fuit, antiquior erat locus substantiæ utriusque, vel simul cum illis ingenitus; si autem antiquior, ut jam ambo videantur utriusque loci propagines, non sunt hæc ingenita, nec æterna, quod quidem locis, ex quibus hæc extiterunt, videbitur inesse. Si vero locus est simul cum illis ingenitus, erant plura ingenita, et non jam duo; necesse enim est, ut alia sint illa loca præter hæc, quæ in illis sunt, sine quibus nec esse possunt.

VII. Ad hæc poscendum est ab istis intermedium, et utrisque interjectum, quod alterius cum altero communitatem arceat, et prohibeat, ne finibus inter se commixta, rursus rationem ac naturam contrariorum tollant. Quid igitur erit istud, quod ambo illa disterminet, et intersepiat; opus enim habet, apud istos cujusdam tertii commentum fabulæ. An dicturi sunt nobis esse murum adamantinum, aut aliud quid delirum? Cujusnam vero providentia hoc quidquid sit, interseptum esse dicent? utricumque enim contrariorum hoc assignare velint tanquam postea immissum, non reperient exitum in hac causa, neque se hinc expedient. Revocata enim ascendendo ad antiquius, disputatio rursus

deprehendet contraria inter se separata, tanquam nullo modo contraria. Sin vero neutrius providentia interseptum, quod declarant, esse dixerint, necessario fatentur introducere se aliquid ingenitum, quod neutrius substantiam participet, ut omnino dirimendo separet hæc : atque ita fiet, ut reperiantur turbam ingenitorum ponere, qui duo ingenita esse dixerunt.

Attamen hoc, quod disterminat, et interseptum est, sive murus est, sive terra sine domibus, sive aliud quodlibet, numquid alicubi quidem habet basim, alicubi vero culmen? Atqui perspicuum est infra quidem habere basim. Sed ubi, et quantam? Supra vero culmen, sed ubi, et quantum? Supra enim et infra nomina fabricationis mundi, ante fabricationem sunt apud istos : atqui oportet etiam interseptum profundius, et altius esse quam ea, quæ disterminantur, ne si quid ex parte inferiori, aut superiore deficiat, aditum contrariis præbeat, ut simul sint. Si autem cum umbra et sole comparent illud, quod interseptum vocant, putabunt quidem nihil habere commune umbram cum sole; convincetur tamen deceptos esse eos turpiter a Manichæo : umbra enim communione solis, et præsentia fieri solet mole quadam interposita, quæ communionem, et præsentiam solis ad alteram partem transmittit; nihilque aliud umbra est, quam indicium luminis corpore quopiam interjecto impediti; nocte enim, cum non adest lumen, nec pars umbræ esse potest. Ubi igitur umbra est, ibi lumen; quæ enim ultra umbram sunt, lumine collucent, præterquam, cum id, quod umbram facit, multa altitudine superat id, quod illuminat : et malum in lumine habitans lumen esse apparebit, nisi murum maxime ridiculum positum habeat. Quomodo enim umbra esse poterit lumine materiam ex omni parte collustrante, nisi quid in medio prohibeat, et lumen omnino ab ea excludens umbram effi-

ciat? in lumine non videbitur posuisse pro muro ridiculo : quod interpositum si non sit, et quam maxime disterminet, perpetua erit communitas malo cum lumine.

Rursus, meridianam partem malo tribuentes, somnium fabricæ describunt : ubi enim erat meridies ante meridiem? Locus autem in mundi fabrica alius alio inhonoratior non potest esse : quod enim ad lævam est in occasum aspicienti, ad dextram rursus est aspicienti in orientem. Verum absurdissimum est hoc barbaricum dogma : duo enim prorsus principia quomodo principia sint, aut appellentur? siquidem principium est, quod omnibus est antiquius, et omnium tenet principatum, et imperium, quorum neutrum in neutro duorum esse potest : esse enim ambo ejusdem temporis, et cognata, rationem eorum inter se principatus, et excellentiæ tollit : imo quæ non solum a principatu potestatis inter se libera sunt, utpote contraria, sed natura pugnant, quomodo cogitari possunt habere omnino principatum? Quod si ratio principatus neutrum horum incolume servat, quomodo principia vocabuntur?

VIII. Quomodo rationes naturales admittent, ut sint duo secundum substantiam contraria, ubi primo quidem nomen substantiæ commune est utriusque? Primum igitur, quatenus utrumque substantia est, perspicuum est convenire inter se, et non esse contraria. Deinde ambo sunt animalia, præterea æqualiter ingenita. Quorum autem eadem sunt nomina, et eadem descriptio, horum substantia quomodo contraria, aut pugnans esse potest? siquidem nomina res significant : dicitur enim de unoquoque quod unumquodque est, ut esse potest : itaque cognoscimus vim nominum esse res, utrumque igitur eorum, quæ Manichæus contraria putat, substantia vivens, et ingenita nominatur, manifestumque est, cum talis error principium ducat a barbaris, esse etiam apud eos sublatam communium no-

tionum consecutionem : integra enim atque eadem est utriusque ex æquo descriptio, quæ non modo omnem contrariorum suspicionem ejicit, sed neque differentiam ullam in iis, quæ nominant, esse permittit.

IX. Aiunt autem Manichæi asseclæ hoc quidem bonum, illud vero malum, qualitates videlicet ante substantiam intelligentes; nominata enim similiter in utroque substantia (sunt enim ambo substantia vivens, et ingenita) supervacanea est, deinceps sunt veluti qualitates contrariæ, etsi enim non decet nominare in Deo qualitatem, esse tamen prius quodammodo est cogitatione, quam talem esse; substantia autem significatur, cum dicitur substantia vivens, et ingenita. Præterquam si dicant propria accidere ambobus contraria, quod est omnium stultissimum : ingenito enim nihil accidit, cui enim non accidat esse, huic neque taliter esse acciderit. Quod non est, non accidit.

Qualitates igitur contrarias licet in rebus invenire, substantias vero nequaquam : album enim et nigrum contraria sunt, utrumque in corpore eadem substantia ; sunt autem talia partim contraria inter se, partim non contraria : primum namque subter unum genus sunt; utraque enim sunt color. Deinde etsi contraria esse videantur, tamen aspectum varie delectant; neutrum enim illorum immoderatione hunc offendit : imo etiam virtus, et vitium in anima : atque hæc quidem contraria non solum in eadem substantia, sed in uno genere nominantur : utrumque enim est habitus, quæ tanquam accidentia insunt in anima, a qua abesse possunt; anima, in qua hæc sunt, alias aliter affecta, et disposita, ut liqueat aliud esse de substantia loqui; aliud de iis, quæ substantiæ accidunt.

Atqui fit aliquando, ut album quidem, et nigrum abesse non possint ab iis, in quibus insunt; nemo tamen ab his unquam illa, in quibus hæc sunt, nominavit : nullus enim

cum voluit significare lac, potius nomine albi abusus est, quam usus nomine substantiæ imposito speciei, ne pro uno multa significare videatur, quibus inest albus color : quinetiam corvum non declaramus nomine nigri, sed nomine avis, et speciei. Hæ igitur et hujusmodi qualitates inseparabiles sunt; virtus autem et vitium in anima ex qualitatibus, quæ accidunt, sunt, ut magis conveniat, ut minime videatur substantia hominis ab his nominari : sed oportere hanc proprie significare. Nemo igitur quid est homo, ex vitio quod alicui inest, significaverit : sed primo speciem substantiæ dixerit, deinde quis sit, adjicit; postea qualitatem in eo dicit.

Qualitates igitur contrariæ, sicut ante dixi, in iis, quæ accidunt, reperiri possunt, partim quidem separabiles, partim vero non : in Deo autem omnis qualitas ejecta est, quandoquidem nihil eorum, quæ de eo dicuntur, aliud est præter ipsum : simplex enim est, et compositionis expers : cogitatione tamen, ut superius dictum est, prius est esse, quam talem esse.

X. Quamobrem rursus dicimus, si utraque eorum, quæ Manichæus contraria esse dicit, substantia vivens, et ingenita sunt ; non enim negabunt, vel ambo bona ut magis ad id quod bene pieque sonat, propter vere bonum, ipsum contrarium, quod minime est, trahatur; non enim dicemus, vel contra, si ambo mala : quod enim ingenitum est, omnino bonum est. Continuo igitur Deus cum ingenitus sit, nequaquam habet hoc ipsum non ingenitum esse tanquam malum, sed tanquam bonum certe. Quæ igitur sortitio ista, eamdem rem, et nomen apud Deum quidem pulchram, et bonam esse, contra vero malam apud malum, ut isti aiunt? in generationem quidem inveniri queat differentia, differentia tamen, et non contrarium. In eo vero, quod est ingenitum esse, quid potest esse diffe-

rens, nedum contrarium? Quamobrem omnino fieri non potest, ut ingenitum ingenito contrarium sit : si quid enim sit, nullum eorum debet nec esse, nec appellari contrarium, ut in omnibus rebus nulla sit cum contrario communitas, ac societas.

Si enim non sit omnino contrarium, quatenus ei communitas cum altero est, non est contrarium : contraria tamen sunt esse, et non esse. Fortasse vero nec hæc contraria sunt, non enim pugnant. Quod vero est, non est contrarium ei, quod est. Si autem quomodo est, penitus cum eo quod est, convenit, unum et solum, quod vere est, omnibus erit principium ut sint.

XI. Aiunt præterea etiam ipsi oportere omnia, quæ sunt Dei contraria, appellare materiam; verbi gratia, si Deum appellemus lumen, contrarium vocemus tenebras : si bonum, illud malum. Si tamen appellaremus Deum ipsam illam veritatem, patet vocandum esse contrarium, mendacium. Quod autem vere est, ut opinati sunt, quomodo erit mendacium? quod enim est, si dicatur non esse mendacium fuerit. Quod vero vere est, quod facit ut verum sit esse aliquid, nunquam erit mendacium. Si enim dicat esse, verum dicit : si vero non dicat esse, ut non dicat verum, neque dicet non esse, ut mentiatur; quod si dicat non esse, notione mentitur, non est igitur ipsum mendacium, vere enim est.

Deinde si vocant isti bonum immortalitatem, malum vocabunt interitum; at cujus erit interitus ipse interitus? boni enim non poterit, sin erit sui ipsius interitus, multis sæculis a se interivit, et frustra, ac vane eum esse cogitatione fingunt. Quomodo autem erit interitus? aliud namque tollit interitus, non se ipsum : sin vero se ipsum, neque principio subsistere potuit : videbitur enim magis se ipse interimere, quam esse : interitus enim immortalis non po-

test secundum communes notiones cogitari; quod autem est ingenitum, necessario est ab interitu liberum, et æternum, unde et immortale : supra mortale enim est quod ingenitum est : si autem hoc habet materia, ut nunquam facta fuerit, quod majus est, quomodo non hoc, quod minus est, non ei inest, nunquam scilicet interitum cepisse? Si autem non capit interitum tanquam æterna, neque sui ipsius est interitus, et non erit substantia ipsius interitus.

Sed qui ex schola Manichæi profecti sunt, hujusmodi disputationes cum audiunt, unde, inquiunt, ea ordinis perturbatio, quæ in rebus cernitur? At sæpe dictum est propter ignorantiam divinæ gubernationis, et quomodo res dispositæ sint, falsam et impiam cognitionem sibi comparasse propter inscitiam eorum, quæ scire sibi videbantur, quæ pejus, quam si ignorassent, sciverunt, et quod verius est, amisso, quod quærebant, prius quam quærerent : disputatio vero nostra, cum tempus erit, quam putant perturbationem ordinis rerum, bonum ordinem esse a Deo altissimo proficiscentem conficiet et concludet : et quæ ipsi dicunt mala alia quidem in actione tantum posita, alia vero secundum substantiam, minime mala esse docebit.

XII. Erat, inquit Manichæus, tempus, cum materia sine ordine ferebatur; et generabat, et crescebat, ac multas potestates producebat, aucta igitur evehebatur nesciens substantiam boni. Postquam vero magis evecta novit terram, et lumen boni, nitebatur ascendere ad ea, quæ non erant propria. Bonus vero potestatem quamdam mittit, cui nomen, quod ei visum est, imponit, custodituram scilicet præscripta, re autem vera futuram ipsi materiæ illecebram et invitamentum ad moderationem ejus a voluntate alienam. Quod quidem factum est; cum enim vidisset materia potestatem missam quasi adamans, concupivit quidem eam, sed ardentiore appetitu prehensam absorbuit, et quodam-

modo tanquam bellua ligata est. Usi autem sunt hoc exemplo, tanquam cantione potestatis missæ sopitam esse. Facta igitur est, aiunt, mixtio et temperatio ad hunc modum, absorptaque potestate boni, et materia absorbente, sic ex utraque, fabricatum esse universum a bono scilicet : non enim malum providit ortum mundi. Hinc aiunt alia quidem bona esse, alia vero mala facta mixtione illa et duorum coïtu per vim contrariam rerum, quæ hic sunt.

XIII. Decernit autem omnem quidem animam esse ex parte boni : corpus vero et carnem ex parte materiæ, et jam quidem corpus animam tanquam in carcere detinere : jam vero animam detineri tanquam belluam a cantione. Sic bonus cum materiam decepisset mundi, inquit, factus est facricator, non quidem quod ipsum fabricari desiderasset ; restitit enim ei, sed propter seditionem a malo excitatam, quam corrigere, et moderari cogitaverat, non tamem fieri potuisse, ut venenum mali, quod est in rebus, quas videmus, extraheretur, sequi vero hoc, ut opinati sunt, ex perturbatione ordinis, et ex inæqualitate rerum nostrarum, atque hunc quidem divitem esse, illum vero pauperem : hunc gloriosum, illum inhonoratum, et inglorium, et quæcumque talia sunt, studium vero boni esse liberare animam a malo, et hanc quodammodo ex materia exhaurire; hoc autem fieri per lunam crescentem, et decrescentem, ut nos videre videmur, revera, inquit, ipsa in modum hydriæ impleta, ex substantia infusa in bonum cognatum exinanitur, etsi enim non his verbis, hæc tamen vult dicere, quæ multo honestius a nobis dicta sunt : plurimum enim absurdi, et incredibile est in ejus narratione.

IV. Quæcumque igitur alia aniliter, et commentitie loquitur, et scribit, sermone syriaco utens, quomodo terra sustinetur, non devitans poëticam fabulam : quomodo imbres fiunt, et sudores esse principium materiæ; hæc, et

alia ejusmodi, quæ præter negotium sui certaminis tractat, supervacuum esset ad confutandum proferre. Oportet quæ de singulis delire scribit, quæ omnibus nota sunt, non pati, ut librum infinitis nugis dilatent; quippe cum satis sit, confutato capite insaniæ ejus, reliqua contemnere; etsi non contingeret, ut necessario hæc causa sermonem de providentia complecteretur, quo demonstrare oportet omnia esse bene, ac divine ordinata, et ineffabilem Dei sapientiam prædicare, ridiculum esset vel aliqua saltem confutatione, quæ proposita sunt, digna esse putare; quæ quidem extra communes notiones congesta, sponte sua apud eos, qui mentem habent, coarguuntur.

XV. Satis autem erat, postquam non minus demonstratum est nequaquam duo principia esse, præsertim contraria, de homine jam et de reliqua fabrica disserere; nihil tamen prohibet, quin consideremus, quomodo proposita incredibilia sunt. Ferebatur, inquit, aliquando materia perturbato ordine. Qua ordinis perturbatione? an secum sola? an contra aliquem? omnis enim injustitia non est sui injustitia, sed altero indiget, in quem fiat. Cui igitur non erat communitas cum alio : in quem perturbato ordine ferebatur? aut quæ ratio ipsius perturbationis?

Generabat quidem primum nequitia progrediens, et crescebat; igitur ingenita generabat, et non erit locus dicendi æternam aliquid novi moliri; aut enim natura molietur, atque ita nunquam intermisit rerum novarum molitionem : si modo appellare oportet novarum rerum motitionem, contra quam negotium a Deo susceptum minime principium temporis habeat : aut si hoc cogitatione utens facit, rationem habet, et cognitionem : et eversa est causa nequitiæ ratione carentis. Sive igitur ratiocinatione utens, sive motu rationis experte seditionem movit, quæ ratio patitur, in infinitis sæculis dimissa sit hujusmodi se-

ditionem movere? ex quo enim dicit cohibitam, et retentam esse, punctum temporis fluxisse reperietur, si cum infinitis sæculis præteritis comparetur. Quod enim incipit, et terminat, finitum est; qui autem sunt ex toto infiniti, æterni sunt, et ingeniti.

Præterea, si ratiocinatione utens ad seditionem depravabatur, quomodo non potius aggressio rei, quæ fieri non poterat, interrupta, et rescissa est? tanquam non posset contra sapientiam invictam incursionem facere? unde factum est, ut caverent, ne ei rationem et cognitionem tribuerent, ut locum haberet commentum seditionis contra Deum, et necessario ab ignorantia, et natura non ratiocinante tracta, non expectabit infinita sæcula, dum se armat, et se exercitu sepit, ut fiat ad audaciam promptior. Si enim copiosior fiebat iis, quos generabat, nequaquam tamen appetitum naturæ augebat : neque motus naturalis quidquam appetitus assumebat; neque accidisset ei primum quidem augescere, atque ita seditionem movere, hoc enim naturæ ratione utentis est, quæ ex proposito nequiter agit.

Quomodo autem augeri poterat nequitia (id est Satanas) accessione sobolis? si enim iis, quos gignebat, ad nequitiam perficitur, imperfecta erat nequitia, et non erat in summo, et fastigio nequitiæ; sin vero erat perfecta, et summa secundum rationem propriam : rursus minime videbitur augeri nequitia per propagationem generatorum, neque fiet audacior, et præfidentior, cum non sit particeps rationis : nec ad auxilium suum adhibebit quos genuit : alioqui videbitur antequam procrearet, imperfecta fuisse non solum nequitia ad nequitiam, sed ad vires, et robur, quod alienum est ab ingenito.

XVI. Explanans autem modum seditionis hujus factæ : « Qui, inquit, ex ea nati sunt, se mutuo insectati sunt, et devoraverunt; dura, et gravia passi; neque prius destite-

runt in se ipsos moveri, quam lumen sero tandem viderent; » his enim verbis utitur : a se enim ipsi exagitati, cum alioqui nescirent, ita tamen ausi sunt usque ad lumen accedere. Ecquid his incredibilius, et magis commentitium? eos, qui unam matrem sibi ascribunt, et vindicant, et cognatione naturæ juncti sunt, in se ipsos frustra invadere, et vicissim membra sua devorare, et nunquam in hac re cessare? Quod quidem si verum erat, præstabat ipsos a se ipsis consumi : et inaniter demens Manichæus ἀταξίαν, id est, perturbationem ordinis vocat in eo quod utile est : huic enim nequitiæ ascribit, et assignat perturbationem ordinis ante mundum, quam sic vocat, tanquam doleat, et se misereat materiæ, quod non prius a se ipsa utiliter, et convenienter consumpta esset : et tanquam quidem amicus hujus, mœrens, ac graviter dolens, quod sibi nocuisset, quæ contra se utiliter fecit, in iis perturbationem ordinis vocat, cum deberet potius compositionem ordinis excellentissimam vocare, interire scilicet malum a se ipso : ille autem ait : « In perturbato ordine erant, et sibi inter se nocebant, viso lumine desiverunt. »

Igitur insidiatum est lumen utilitati, si quidem malos a mutua cæde liberavit, et tanquam medicina medici profuit ægrotis. At non conveniebat bono, ut parceret malo, et sineret permanere incolume, et non sineret a se ipso consumi : si enim, ne a se consumeretur, hoc prohibuit, ipse plane servavit ipsum : essetque verior ἀταξία, id est, aberratio a bono ordine hoc, quod ait, sublatam esse perturbationem ordinis. Sic igitur est in libro, qui apud ipsos fertur, seditione inter ipsos orta, prodierunt usque ad confinium, et viderunt lumen, spectaculum quoddam pulcherrimum, et maxime decorum : tunc commotione sua in insaniam acti consultaverunt de lumine, quid faciendum esset, ut se cum eo, quod præstantius erat, miscerent. Hoc autem cogitare non

poterant, sed præ cupiditate melioris arbitrati futuram esse propriam prædam, cum multi essent, exercitum instruunt.

XVII. Manichæus, quæ sunt omnium pulcherrima, et bellissima, filiis nequitiæ testimonio suo nesciens tribuit. Etenim si quod est pulcherrimum, et maxime omnium decorum, amanter viderunt, et cupiditate incensi propriam prædam esse existimaverunt, liquet recte sensisse. Quare consilium capiunt, qui non sunt rationis participes, quomodo se ipsi cum lumine misceant : et relinquitur, ut invidia esset, non permittere istis frui bono : non enim erat sermo Manichæi constans. Si enim contra se insaniebant, oportebat quidem dimittere eos, ut a se ipsis interirent. Si desiderio luminis tanquam elegantes tenebantur, honestum etiam erat eis concedere, ut fruerentur. Decorum enim, et laudabile omnino est secundum naturam desiderium boni, quo frui non potuerunt, sicut ait qui dogmata Manichæi scripsit, cum alioqui desiderarent, potuerunt tamen se conficere, et destruere; tale enim penitus est bonum, ut neque consumi possint, neque possit insidias ei ponere, qui ejus participes sunt. Quomodo autem omnes simul in militiam profecti sunt, qui non cognoverant, quis resisteret, et adversaretur? Sic enim est in libro, unde ista Manichæi apposuimus, quod neque Deum in lumine habitare sciebant, neque se unquam impune laturos, si in Dei domicilium invadere auderent.

XVIII. Si igitur non cognoverunt contrarium, quod obstabat eis, alienum est prorsus a ratione educere exercitum contra eos, a quibus se repelli nesciebant : par enim erat armari eos, ut aiunt ipsi, igne, et tenebris, si prævidissent se ab alienis arceri. Sed quia omnino ignorabant, non solum non est credibile, sed plane sibi repugnans, armaturam, et exercitum describere, cum nullus penitus expectaretur ad resistendum affuturus. Non minus contrarium

est dicere, tum cupiditatem luminis illos habuisse, tum apparatu bellico usos esse confiteri: armis enim bellicis omnis hostis contra adversarium se tegit, et munit, non contra id, quod cupit esse præmium certaminis. Si ergo non erat adversarius, quatenus ipsi ignorabant; quomodo non sunt contraria, cupere et belligerare? Quomodo autem illud etiam non est magnopere repugnans, eos, qui in iis, quæ secundum naturam sunt, nunquam concordes fuerunt, inter se ab bellandum conspirasse? Simul, inquit, contra lumen consilium ceperunt. Qui enim membris suis inter se vicissim pascebantur, et semper nulla unquam intermissione facta contra se insaniebant, quomodo in iis, quæ præter naturam sunt, ad habendam cupiditatem, et ad commotionem iræ contra Deum concordes fuerunt?

Si vero juvit spectasse lumen, nonne oportebat duci eos a Deo ad perfectam naturæ mutationem, adhibita illis curatione, ad fruendum ipso bono, hoc est, Deo perfecte? Quomodo juvit spectaculum luminis visi profectos ad bellandum cum exercitu? quibus hoc ipsum lumen non permisit contra se ipsos furorem amplius exercere, ut quidem exercere oportebat; contra se vero ipsum præter quam oportebat, permisit? Verum in his quidem commentis multum deliramenti est, quæ aliter etiam convincimus, non posse condonari; nominant enim terram boni (id est Dei) qualem vero terram ante mundi creationem? Apud eos scilicet ortum rerum anticipant nomina; prius enim quam fateantur creasse Deum mundum, ait absurdissimus Manichæus, esse quod nondum factum erat. Terra namque si quidem fuerat, erat: sin vero non erat facta, erat simul cum Deo terra ingenita. Quid vero opus erat Deo terra, qua non fuit usus? Sed hic insipienter terram Dei vocat, antequam dicat factam esse, nec enim ante creationem poterat testimonium dici de terra facta.

XIX. Deinde a Deo quidem creatum est lumen in aspectum cadens; ipse autem Deus lumen est intelligibile, non sensibile. « Vidit igitur, inquit, nequitia lumen summi boni. » Si lumen, quod in sensum cadit, nondum erat mundus, nec ortus mundi. Quomodo igitur vidit, quod nondum factum erat? cui enim fuisset usui, nondum homine, qui uteretur, creato? utilia enim utenti cognata sunt, non enim Deo, qui ab omni participatione sensili liber est, utile erat. Si autem ipsum Deum, quod est lumen intelligibile, omnino vidit similitudine naturæ simile, necesse igitur erat, ut ipsa lumen sensibile vidisset; sensibile autem quorsum fuisset, et in quem usum ante sensibilia creata? Alioqui quomodo tenebræ vident lumen? Si enim viderunt lumen, diabolus non erat tenebræ; magnam enim societatem, et conjunctionem habet sensus cum sensibili : naturalis enim conjectus oculorum propter similitudinem aspectus cum re, quæ videtur, statim exprimit figuram ejus propter legitimam naturæ communionem; corpus enim corpus videt; simile in simile intendit aciem; neque possunt oculi naturæ inferioris quod natura præstantius et excellentius est, videre, nedum quod naturæ contrariæ est. Si autem, quod est naturæ excellentioris, quippe cum non sit contrarium, præterquam incorporeum, ab inferiore utpote corporeo omnino non potest videri; sane contrarium a contrario, si modo est, videri non potest. Sunt igitur ista, quæ scilicet se vident, cognata et amica, et nequaquam contraria.

XX. Sed plenum est commentum barbara pernicie; ait enim : « Non solum vidit materia, sed decrevit ascendere, tanquam studium quoddam adhibens ad demonstrandum habere se communionem, et societatem cum lumine : » fortasse eos, qui ex ipsa nati sunt, pœnituit, quod infinitis sæculis superioribus non fuissent experti lumen, et quomodo tenebræ asciscunt, et vindicant sibi lumen? aut

quorsum, et in quem usum volunt tenebræ invadere lumen? an ut naturam mutent, et efficiantur lumen? an ut nutriantur lumine, alimento naturæ contrario? At ignorans voluit ascendere; etenim si cognovisset, ratio constaret, cur mutari voluisset; nunc autem cum natura sit nequitia et ignorans, integra eversio totius rei, et causæ est, non fugere a contrario.

Quod autem magis a ratione aversum est, ait missam fuisse a bono potestatem, non jam lumen sensibile, sed velut diceret, sobolem Dei. Hanc cum vidisset materia, concupivit quidem tanquam amans eam: impetum vero in eam fecit, et absorbuit, et suis potestatibus distribuit: qua via fieri non poterat, ut videret missum ex natura boni, hoc, inquit, effectum est, ut absorbere posset missum. Utar enim adhuc amplius eodem verbo, quoniam si vel solum vidit, quod ex substantia Dei propagatum erat, non est nobis opus alio quopiam verbo ad evertendum commentum; vidit enim omnino tanquam similis simile. Quod enim est penitus secundum naturam contrarium, et summe contrarium, nunquam videre poterit contrarium, nec propinquabit ei, quia si vel solum videat, ratio contrarii prorsus tollitur.

XXI. Hoc autem addit cæteris, quæ dixit, absurdius, et secum vehementer pugnans, ne opus sit, ut alius contra eum dicat. Amavit enim, inquit, potestatem illam visam tanquam oblita penitus naturæ propriæ; non illa quidem oblita est, quæ non erat, sed hi sunt suorum commentorum immemores: aiunt enim, prius quam hæc seditionem moveret, non habuisse cognitionem boni: ne cognitione boni naturam ab ipso accusatam ornent. Nonne amentia est, putare eam, quæ in se non habet unde cognoscat esse bonum, potuisse videre, et postquam vidit, desiderasse? longe enim majus est substantiam aspectu videre, quam cognoscere

esse. Primum non solum nos, sed potestates angelicæ excellentiores, esse quidem bonum cognoscimus, ac cognitione sola ad pietatem in Deum alimur; tanto vero excellentius Angeli, quanto natura sunt excellentiores; videre autem substantiam Dei neque nobis, nec illis licet; siquidem nos quandiu corpus secundum naturam indûti sumus, nec Angelos ipsos videre possumus.

Manifestum enim est, et plane concessum, qui videt, simile sibi videre. Si quis vero existimet futile esse quod dicimus; videmus enim solem, lunam, et stellas, præterea apud nos lapides, aurum, argentum, denique mare ipsum, et omnia animalia, ac nullo pacto his similes sumus : advertat iste, quod etsi eorum, quæ enumeravimus, diversæ species sint, at horum omnium genus supremum corpus est. Substantia namque partim inaspectabilis est, ut incorporea; partim aspectabilis, ut corpus. Prima igitur partitio omnia hæc tanquam genus separat, et distinguit. Quare corpus, corpus videt : et quatenus corpus, simile et cognatum est videns viso, quamvis sint diversæ horum species propter varietatem, et ornatum universi.

Ridiculum enim esset, si quia flos pulcherrimum aspectum habet, et ab auro differt, et quod est floridum differt a viridi, non uterque vocaretur, qui in re est, color; color enim est uterque, tametsi diversus; idem enim aspectus cum utroque conjunctionem et societatem habet; sic omnia corpora sunt aspectabilia, licet differentes sint species. Esse autem corpora alia aliis præstantiora, nihil prohibet, quin omnia corpora sint spectabilia : ex quo fit, ut non sit quod sub aspectum cadit maxime, et præcipue, adorandum ab eo, qui illud cernit tanquam, ab ibso comprehensum.

XXII. Si igitur materia vidit, quod ex substantia Dei erat, cognatione magna, et similitudine ducta, ad spectaculum venit : nec amplius opus erat dicere contra hanc

fabulam, quæ consistere non potest; si vero etiam desideravit, quod vidit, de re omnium optima testimonium illi perhibuit homo stultus, ut videatur nomen quidem nequitiæ imposuisse ei, substantiam vero bonam esse eidem attestatus. Quid enim majus esse poterat ad probandum bonitatem, quam desiderasse bonum? Quod autem dicit apprehendisse, et absorbuisse, ut substantia Dei contraria tanquam semine fieret gravida, et distribuisse suis potestatibus, o furorem amentis! non solum vidit, sed desideravit; et non tantum desideravit, sed absorbuit, et non solum absorbuit, sed etiam retinuit. Hæc omnia perspicue non contrariam naturam definiunt, sed potius summam, et altissimam cognationem utriusque concedunt.

Sive enim succensens, quod quidem ratiocinationis indicium est, sive desiderans absorbuit quod vidit, hæc plane ad communitatem naturæ pertineant. Si enim summe contraria fuissent, nequaquam utraque coissent; ut alia omittam; neque hoc barbarus advertit, quod potestas a Deo missa, siquidem incorporea erat, nullam partitionem recepisset, et nullo modo posset dividi secundum substantiam in contrarias potestates, ac multo minus absorberi: quod enim expers corporis est, quonam modo absorbeatur? Si vero corporea erat, omne corpus sectum, et in frustra partitum quodammodo perit, et non potest vitam suam vivere. Igitur vel incorporea erat potestas a bono missa, et nullo modo absorpta est, nec in multos divisa est, atque ita ex toto fabula sublata est: vel corporea quædam potestas erat, et a nequitia deleta est, et interitum cepit, quod est ad contumeliam Dei sceleratius, quin potius ad eversionem fabulæ valentius: corpus enim per se divisum, et dissipatum, ac dispersum, (mens enim non dividitur) quas vires habet ad subigendam nequitiam, quod tantum detrimentum, et contumeliam in naturam propriam accepit,

ut videatur deletum esse, et interisse? hoc enim corporis divisi proprium est.

XXIII. Quod autem amentius est, si cum voluisset Deus terram eripere nequitiæ, ex natura propria emisit illud nudum ad contumeliam, et interitum ipsius substantiæ, tot sæculis sessurum, et habitaturum simul cum nequitia, et particeps ejus futurum, ac cum ea pariter peccaturum. Quod quidem vel unam horam, aut punctum temporis substantiam Dei passam esse, ut nequitiæ subjecta esset, et pariter cum ea deliquisset, omnem amentiam superat. Quanto melius erat traditam esse terram, quam substantiam Dei comprehensam esse? Si enim non fuisset ferenda incursio in terram, ut materia ordinem perturbaret, quanto minus ferenda erat tanta servitus, et naturæ divinæ subjectio, idque non ad brevissimum tempus, sed ad universum, et immensum sæculum? ut neque nequitia peccare desisteret, et Deus cum ea per potestatem ex se genitam peccaret.

Unde consequens est, neque Deum voluisse mittere n - quitiæ ex substantia sua genitum ad peccandum cum ea, nec illud missum inductum fuisse, et obtemperasse, ut ad tantum malum, et luem proficisceretur; ut impleretur scilicet omni iniquitate, et injustitia, simul et impietate, idque pro terrena liberatione terræ non jam tunc captæ, sed capiendæ, tanquam non potuisset Deus aliter huic terræ præesse. Vide quam plane infirmum mentiatur Deum Manichæus in Deum furens, tanquam defensor possessionum alicujus pupilli, et cujus infirmitatem necessarium est confiteri, ut partes patroni impleat. Ut enim contra defendens nequitiam nequaquam per se consistentem, omnia quidem fecisse contra Deum narrat, seditionem, impetum in res ejus, postremo, quod est omnium flagitiosissimum, obtinuisse omni sæculo substantiam ejus, eamque in infinitas

partes divisisse, præfocare, et in se ipsa reprimere, habereque eam sociam in omni prava actione, et intemperantia, Deum autem non potuisse locum suum ullo alio modo neque valenter eripere, neque saltem vacare a peccato, quod naturam ejus decebat.

Quæ enim id quod ex ipso secundum substantiam genitum est, pariter cum materia peccat, plane in eum, qui genuit, redundant. Sic demum omnem potentiam in Deum testimonio suo tribuit nequitiæ, Deum vero dicit passum esse omnium durissima, et audet subjungere; quod potestas Dei missa sopivit materiam tanquam belluam cantione, non solum summe contraria, sermone omni probabilitate carente miscens, et quæ nullo pacto esse possunt secundum naturam, commento suo largiens, sed contra quam vult hic etiam conficiens et concludens; ex utrisque enim ait hunc Deum universum hoc fabricatum esse. Corpus vero hominis esse quidem nequitiæ: animam vero Dei, sive cum sunt unius formæ, sive cum jam ex contrariis composita, quorum neutrum, ut paulo post docebimus, consistere potest: corpus tamen solum, ac per se nihil mali neque cogitat, neque facit; non enim occidit, neque adulteratur, neque latrocinatur, nec aliam injuriam facit, cum non adest anima.

XXIV. Atqui ob hanc causam excogitavit Manichæus hypostasim principii contrarii, et mixtionem contrariorum, ut causa malorum reperiretur. Sed si admixtio animæ, quæ Dei est, cum corpore, quod diaboli, causas et primordia injuriarum, ac peccatorum hominibus præbuit; per se autem non delinquit corpus; melius erat, ut anima a Deo creata non admisceretur nequitiæ non extanti : nullum enim ex peccatis, quæ homines committunt, in vita cerneretur, neque penitus esset. Quod enim esset homicidium nemine occiso? Si per mixtionem contrariorum, ut est in hac fabula

ridicula, non fuisset factus mundus; quod adulterium esset non extante corpore, neque per se concupiscente, nisi anima, quæ Dei est, missa esset in corpus? alterum enim ex duobus relinquitur, aut dicendum esset gubernatione Dei provida coisse contraria, ut tanquam a bono Deo fieret mundus, atque ita ipse omnino malorum in hominibus auctor esset, siquidem volens usus est nequitia contra eos, qui futuri essent; aut vi coactum esse a nequitia, et jam nequitiam victoriam devicto Deo reportasse.

XXV. Sed dicam iterum, quale homicidium erat, si neque homo erat, neque gladius, nec aliud genus teli aut instrumenti ad occidendum, nisi per conjunctionem contrariorum ædificatus esset mundus? Materia enim per se, ac sola, quanquam nati ex ipsa seditionem in se ipsos movebant, homicidium quidem ignorabat : non enim habebat mortalem, quem occideret; adulterium nesciebat, quia sponsiones nuptiarum ad eam non versabantur : nec erat calumnia, omnino enim judicare non poterat, cum esset rationis expers. Cupiditas autem divitiarum, quæ est omnium malorum radix, ne nominabatur quidem : cupiditas enim divitiarum apud homines est propter usum, et necessitatem, qua erat liberata materia. Ambitio non participabat perturbationem rationis, quia erat in materia vacuitas rationis : gulæ, ac ventris vitium, et fornicatio, ac masculorum concubitus apud eam locum non habebant; et ut summatim dicam, omnia mala, quæ apud homines feruntur, ante mundum ædificatum minime habebat materia.

Itaque non fuit ligata commixtione, sed potius contra convenienter eidem causæ amenti, sicut equus campum nactus, cursu fertur ad injustitiam malorum hominum; quæ enim erant ante mundi fabricationem mala, ex quo mundus est, in mundo versantur. Quamvis enim ponamus, ut ille dicit, natos ex materia fecisse seditionem, et furore

in se ipsos fuisse percitos, et infinitis malis se vicissim affecisse, et contra lumen exercitum eduxisse; non tamen bibens ea mala, quæ in homine numeravimus, cum illis fuisse cogitatione fingetur, quia non poterant humana mala agi prius quam homo esset : et ubi esse potest, qui dicat, quod ligata nequitia frenata est, quæ neque malorum humanorum meminerat; postquam vero ligata est, de his accusatur?

Quid autem nocebat bono sola secum ordinem perturbans, et non habens, cui perturbationem ordinis inferret? evertere enim bonum nullo pacto poterat; si autem nitebatur invadere in loca aliena, aliter impetum ejus amentem reprimere oportebat : quæ enim prius non nocebat, ordinem contra se perturbans, nunc quidem videtur aliud quid assumpsisse, in quod tanquam in familiare, et conjunctum perturbationem ordinis nocentiorem efficiet. Continuo dicemus, quod etiam homines per se ipsos malefici, volent quidem aliquid mali facerè : non habentes autem in quem faciant, otiosi reperiantur; se vero ipsi benevole aspiciant ob concordiam ad maleficium; materia autem neque volebat, non enim consilium capiebat, cum esset expers rationis : neque poterat, cum esset sola et per se. Igitur quæ a Manichæo vocatur materia, videtur sumpsisse fere a bono per animam veriorem materiam ad operationem nequitiæ, quam nesciebat; accusabatur enim ante mundi fabricam de perturbatione ordinis nobis ignota, et minime apparente. Didicit autem operari manifesta mala, et quæ cernuntur : excitavit ergo belluam cantio, et nequaquam sopivit, ut ille dicit.

Si autem dicit noluisse Deum, ut fieret mundus, percunctandum est, qui erat, quis voluit? an malitia, quæ non habebat cognitionem? Quis est, qui ex utrisque fecit, quæ sunt? numquid materia? non esset in admiratione ejus ope-

ratio. Sed numquid non voluit Deus, coactus tamen est? Si ita esset, magis subjectus fuisset, quam subjecisset; atque supervacaneum esset illum admirari sapientiam Dei vi coactam, et damnum eorum, qui futuri erant; quæ enim nullo modo mala erant ante conjunctionem contrariorum, neque saltem nominabantur, hæc post ortum mundi floruerunt.

XXVI. Annon est absurdum dicere voluisse Deum perturbationem ordinis, quæ nobis demonstrari non potest, a materia tollere, et actionis malorum, quæ videmus, et in hominibus apparent, omni ordine, et ratione carentis auctorem fuisse? Perturbationem namque ordinis, de qua materiam damnabat, verbo solum proferre potuit, non tamen rebus ipsis, et operibus demonstrare: mala autem, ex mixtione ista contrariorum conficta, et quæ fieri non potuit, oculis cernens insanus homo, dissimulare ea non potest. Quare dum docere vult non esse Deum auctorem injustitiæ humanæ, maxime esse plane confitetur: imo plenius quam si hoc solum studeret.

Age jam, consideremus mala, quæ ab hominibus fiunt, ad quem vere pertinent. Aggredietur fortasse introducere mixtionem animæ cum contrariis, quam suspicaturus est. Sive ipsa anima sit μονοειδής, id est, simplicis, et unius formæ ex bono apud ipsum, sive ex compositione contrariorum ex parte ejus, quod est bono contrarium; facile secundum hoc impium fundamentum, et principium demonstrabuntur mala quæ fiunt. Est igitur anima expers corporis, quæ nullo pacto compositionem secundum substantiam, præsertim contrariorum recipit. Qui enim visi sunt eam componere, non substantiam variam, et a se differentem introduxerunt, sed operationes ejus ex iis, quæ videntur, descripserunt, cum non possent extruere unam simplicem definitionem qua comprehenderetur.

XXVII. Etsi enim variis qualitatibus, quas alias aliter

recipit, a se differt, tamen secundum substantiam, quæ opus Dei est, immutabilis est, et non componitur ex diversis ; a contrariis tamen mixtionibus tantum abest, ut ipsa per se corpus esse videatur. Ponamus igitur, ut ille mentitur, si quidem hoc dicere aggrediatur, esse scilicet animam hominis compositam ex bono, et malo, nonne quod in ea est particeps rationis, opinione istius attribuendum est bono, id est, Deo? Quod vero ratione caret, nequitiæ? liquet, nihil aliud posse dicere. Excitata ergo cupiditate sive ex corpore, sive ex ea parte animæ, quæ ad nequitiam pertinet, an fortuito actio prodit? Nonne antegreditur in homine consideratio, et consilium, deinde judicium, et electio actionis, atque ita desiderium ad effectum perducitur? Crimen vero nequitiæ ex actione, non ex desiderio conflatur, ut si maneat in loco cogitatio desiderii non progrediens ad opus per electionem partis ratiocinantis, primum quidem cito potest desinere incensum simul et extinctum. Deinde nequaquam existimabitur crimen, non solum commune, sed neque si judicetur secundum summum virtutis.

Apparent igitur peccata convenienter rationi, parti animæ rationis participi assignata esse, et ascripta, et non corpori, nec ulli alii parti hujus animæ. Ut nequitia quidem ratiocinationis expers liberata sit a culpa, atque accusatione eorum malorum, quæ apud nos sunt, quippe cum nec ipsa extet, videanturque hæc secundum sermonem illius, ex parte Dei depromi : licet nulla alia ratione vera utemur. Si enim anima non discernens qualitatem cupiditatis, ad actionem sine ulla ratiocinatione procederet, affirmare quis posset quæ inconsiderate, ac præter rationem fiunt, ex parte rationis experte depromi. Sin autem sæpenumero ratio ipsa jam eligit cupiditatem, tanquam prava institutione flexa libens : jam rursus repudiat, cum aliquis

metus eam refrenat, aut desiderium virtutis ad se attrahentis : liquet solum rationem esse, quæ recte, et prave facta sibi vindicat, et asciscit.

Hic versatur et vertitur ad occurrendum contra excussio eorum, quæ male a Manichæo probata sunt; non enim, ut apparet, ullum materiæ peccatum est in nostris actionibus, sed animæ, vel partis hujus, quæ est rationis particeps, quæ, Manichæo auctore, ad partem Dei pertinet.

Ad hæc si accideret, ut in iis, qui pudicitiam colunt, esset insitum, non excitari ad cupiditatem, posset quis in impudicis liberare rationem a criminibus, quasi cupiditas rationem ex toto ab actionibus averteret, quam cupiditatem ille dicit esse ex parte mali. Sed si quis maxime apud eos, qui pudicitiam amplectuntur, hac via, et ratione eam colere reperiat, quod illi cupiditates naturæ ratione frenant, et cohibent, perspicue concluditur rationem esse, quæ delinquit, et virtutem colit, quæ utrumque et virtutem, et vitium novit. Quare autem insita nobis sit peccatorum cupiditas, dicemus, cum erit opportunum, docentes pertinere hoc maxime ad admirationem Creatoris.

XXVIII. Quod autem nunc quæritur, si non satis confectum est, nullo modo peccata nostra esse opus alicujus materiæ, aut nequitiæ, sed contra solius rationis; licet etiam aliter confirmare quod dictum est. An aliud quid dicere possunt esse homicidium quam malum, et scortationem, atque adulterium, et furtum et mendacium? Si non aliud possunt, perspicuum est quod mala erunt. Quid ? si judex occidit eum, qui injuriam fecit, cædes igitur lege sancitur? Atqui idem efficit, qui violente occidit, et qui lege, sed propositum distinguit factum. Quin potius eadem est actio ejus, qui cum sua, et qui cum aliena se miscet : sed propositum separat, quæ similiter facta sunt.

Præterea, furari a Manichæo quæ sunt apud eum, vel

instrumenta, vel cibos, annon videtur idem opus esse, atque furtum criminosum facere? non tamen ratione idem est, sed penitus differens. Deinde, si furens homo gladium repetat, quem deposuit, sanæ mentis cum esset, ut necesse sit ei, cui commissum est depositum, mentiri non se accepisse, quid verbis differt mendacium a vera perfidia, nisi proposito asseverantium discernantur?

Ex his igitur patet actionem ut plurimum non per se explorari, sed mentem vel cogitationem ejus, qui suscepit. Eadem ratio in contrariis reperiri potest. Si quis enim pecuniam, vel alimentum impertiat egenti, non ut illi benigne faciat, sed ut laudem eorum, qui vident, aucupetur, nonne perspicuum est factum quidem esse pulcherrimum, et benignum, propositum tamen valde humile, et criminosum? Si quis prolixe precetur, et frequenter jejunet, religionem, et tolerantiam hominibus ostentans, liquet non esse propter opus laudandum : sed propter mentem, quam in iis, quæ fecit, habuit, vituperandum. Quinetiam si quis alius temperans sit, et a multis cupiditatibus abstineat non desiderio virtutis, sed ut pecuniæ parcat, annon satis manifestum est hunc, qui sic est, affectione affectiones alias vincere, ipsam vero tolerantiam specie extrinsecus apparente pro nequitia animo, et proposito suscipere?

Si igitur sæpe quæ prava existimantur, ex animo facientis honesta esse apparent : vel quæ non prava existimantur, sed contra potius honesta, et bona putantur, voluntate, et proposito suscipientis convincuntur nequitiæ, quis jam potest contradicere ex magna parte actiones non apud veritatem explorari : mentem vero esse, quæ in iis, quæ aguntur, excutitur?

Quæ igitur opera ascribemus nequitiæ? illa-ne, quæ videntur mala, quæ quidem sunt bona, quando ratione virtutis fiunt? Quæ vero asciscemus bono? an quæ ap-

parent bona esse, quæ quidem ratione fiunt? Igitur neutra neutri solummodo : solum rationem, et quod in mente actionem suscipientis præcipuum est, dijudicabimus : utrum recte suscepit, an secus. Quod autem maxime principale mentis hominis est pertinere ad meliorem partem animæ, ut ille tradit, licet infinite insaniant Manichæi, non possunt negare.

Iniquum igitur judicium pronuntiavit Manichæus contra materiam, a se factam assignans illi quæ nullo pacto ei conveniebant, si eorum, quæ apud homines fiunt, causa erat. Imo contra potius ad partem boni convenienter rationi pertinere existimarentur, si duo quædam principia contraria sunt, ut ille insane tradit.

XXIX. Dicit præterea studuisse Deum, ut potestatem absorptam, quam vocat animam omnium, rursus ad se reciperet, ne quod erat ex ipso materiæ alligatum, et in supplicio semper sine ullo fine permaneret. Quid igitur principio hoc protrahebat, ut tot sæculis neque respirare posset, et magis pateretur, quam ageret? Si enim in fabula esset, Deum quidem nullam contumeliam in substantiam suam accepisse, neque vel paululum inhæsisse materiæ valde indecoræ, sed alium quemdam alienissimum a natura ejus, et hunc continuo ereptum esse, ita ut hujusmodi prehensio magis apparendo in speciem, quam succumbendo facta esse videretur, habuisset commentum paulum saltem ad suadendum in mendacio. Nunc vero immensum sæculum ponunt, et hoc esse ex natura Dei, manere vinculis constrictum, ut ipse Deus comprehensus esse videatur propter similitudinem ejus, qui detentus est, et quia hoc, quod captum tenebatur, ex natura ejus erat : unde majore studio ad se ipsum, ut aiunt, recolligere desiderabat : materia autem simplexerat et ἀπαθής, utpote magis agens quam patiens.

Ex his perspicitur omnia, quæ ille planus composuit, ad blasphemiam Dei composuisse, qui nihil horum contra se fecit. Itaque vult, inquit, et studet, ut ad se recipiat illam virtutem : et hæc est apud ipsos salus expectata, et beatitudo, esse scilicet redditum Deo, quod erat ejus proprium. Ipse igitur expectabat sibi finem, sperans accipere beneficium : siquidem recuperaturus est, quod ex natura ejus est, libertatem : ut quæ destruxit, ædificet, et nihil aliud, et spe nutritus sedeat tolerans, et in finem intuens, ut se ipsum quodammodo a nequitia liberet : quod quidem si retardetur, et non cito fiat, ipse sit, qui tarditate punitur.

Liquet enim non esse penes ipsum celeritatem finis : olim enim in hac re spem habuit : quoniam aliud ridiculum dicit Manichæus, quod cum ii, qui erant ipsius materiæ, sentirent se male perituros, lumine paulatim ablato, ex adverso machinati sunt carnis constructionem, ad vinciendas magno vinculo animas. Quare ut ille tradit, perspicuum est, quandiu illi carnem suppeditabunt, tandiu animæ Dei inhærescent materiæ et vinctæ tenebuntur, eritque penes illos non circumscribi mundum tempore, et non erit in potestate boni finis ejus.

XXX. Quid aliud dicere potest qui advertit, quam quod non constat sibi Manichæus ; quin potius huc, et illuc se transferens a se ipso redarguitur ? Qui enim ait Deum esse fabricatum mundum, quomodo rursus ait eos, qui sunt materiæ filii, opposuisse ei carnem, tanquam partita esset Deo cum illis fabricatio mundi, et hac quidem ratione facta Deo violentia, concedens vero illis hoc tanquam munus, non compleret universum secundum propriam voluntatem.

Tanquam autem causæ suæ et principii oblitus planus, dicit futuram esse pestiferam materiæ ademptionem, et

ereptionem virtutis illi admixtæ, qua posuerat frenatam esse perturbationem ordinis in illa principe materia. Si enim, cum adest, nequitiam ligat; rursus recedens relaxat, erit magna causa lætitiæ ipsi materiæ hæc ereptio. Si igitur ad extremum spes ipsi est rediturum esse ad Deum, quod ab ipso disjunctum fuit, quod a principio decrevit, et adegit illud subire infinitis sæculis laborem inanem, et malas sordes, non in eo spem maximam, et beatitudinem ponere, si rursus recuperaretur? Materia enim nullo pacto apparet refrenata, ac repressa; imo contra potius majorem licentiam ad excogitanda prava opera adepta.

At oportebat, inquit, hanc ligare, cum igitur paulatim abstracta erit virtus detenta, quid fiet? liquet rursus reversuram esse materiam ad perturbationem. Negat Manichæus; nequaquam inquit; ad extremum enim vincet eam, facietque ut redacta in glebam a se ipsa comburatur : cur igitur non fecit hoc a principio? Utrum non voluit, an non potuit? Si noluit, quomodo rursus volet, pœnitentia ductus, judicans, et eligens quod melius est? Nonne pertinebat ad bonum aliter a principio funditus delere nequitiam, siquidem poterat? Sin vero non poterat, periculum infirmitatis in auctorem mundi emergit. Quomodo ergo postea poterit? an viribus, quas non habebat, assumptis vel augescens, vel accessionem, et incrementum adhibens? si enim ambo contraria ingenita sunt, neutrum accretionem, aut imminutionem recipit.

Totum igitur commentum barbari consistere nequit. Quid vero? an dicit Manichæus sensu se percepisse majorem, vel minorem partem virtutis admixtæ materiæ ereptam, et ademptam? Siquidem, ex quo luna crescit, et decrescit, Deus, inquit, paulatim recuperat quod lunæ proprium est, et tamen tot sæculis lapsis, neque genus huma-

num numero viventium imminutum est, nec ullum aliud genus quadrupedum diminutionem ullam cepit : quin potius quæ facta sunt, solito more fiunt, et desinunt esse, et adhuc magis humanitas in multitudinem crevit. Unde igitur insanus ille opinatur paulatim auferri virtutem, quam fingit admixtam esse nequitiæ? siquidem eadem similiter se habent in mundo; eadem enim est mensura diei, eadem noctis; neque lumen magis tenue factum est, neque tenebræ majores; idem namque est curriculum solis, et lunæ, id est, idem ordo, qui a principio factus est, perseverat.

XXXI. Percontandum etiam illud, num animæ, quæ peccaverunt, et infinitorum malorum in vita reæ fuerunt, dabunt pœnas eorum, quæ commiserunt, an non? Siquidem dabunt, quod quidem et ipse confitetur, cum ait in gleba has infigendas esse cum nequitia, reperietur Deus naturam suam punire, quo quid absurdius et flagitiosius fieri potest? Si vero impunitæ, et inultæ erunt, non solum neque dolorem, neque damnum afferet peccatum, sed etiam plus justitiæ habere videbitur, quanquoquidem in hoc sæculo voluptatem afferat suscipienti, et in futuro non sit supplicii causa.

Præter hæc omnia, illud est in isto stupendum, ubi ait, quod nequitia hic occupata, id est, ligata, Deus interim profundum implet aggere, unde materia emersit, nihil ipso in gravissima mentis alienatione intelligente ὡς τὸ ἐπιβαλλόμενον, ut quod injiciebatur. Si erat ex terra boni, quomodo in loco contrario recipitur? Si autem ex partibus nequitiæ, quod ex parte nequitiæ est, et ei convenit, non includet inde exortam materiam. Sedet autem Deus, auctore Manichæo, transferens semper aggeres, et paulatim quædam profunda aggeribus replens. O amentem furorem! ad quem pluribus vel saltem respondere, res est ridicula.

Si vero vultis scire dæmones ipsos non esse malos a radice, neque habere radicem vitii et turpitudinis, sed voluntate huc processisse, cum non essent natura mali, neque natura ascripti ignorantiæ; non nox et tenebræ secundum substantiam, sed habitu et studiis, et tractatione hujusmodi studiorum facti tales, inquiramus disputando. Cæca igitur natura neque minimum quidem aspectum habebit, et ipsa ignorantia neque stillam cognitionis sibi vindicabit, neque nox ipsa et tenebræ sic natura ortæ vel in parvum splendorem mutabuntur; apparet autem cognovisse dæmones Salvatorem, ac Dominum confessos esse: «Scimus, inquiunt, »quis sis, Filius Dei vivi [1]. » Cognoscere autem non potest ignorantia, neque videre cæcitas. Sciunt, et verum dicunt scientes, et non per calumniam dicunt; dicunt enim, tametsi non legitima et sincera affectione veritatem. Non jam de cæca natura aut ignorantia accusantur, alioqui ne minimum quidem vidissent; nec ei supplices fuissent; neque cessissent dicto; neque secernere potuissent eum, qui apparuit; sed potius existimassent ex suis esse, nihilque inter se ipsos et illum interesse.

XXXII. En animalia non utentia ratione sapientes ab insipientibus non internoscunt. Si autem cognoverunt dæmones, et propter judicium soluti sunt lege non internoscendi aliud ab alio, et dijudicando agnoverunt talia, convincitur non naturam in hac re, sed voluntatem moderari; quamvis enim ægrotet voluntas, quamvis erret, non tamen desinit esse rationis particeps; quin potius non est hoc interemptum. Sic dæmones agnoverunt eum, rogaverunt, supplices ei fuerunt, ne juberet eos abire in abyssum. Si erant filii abyssi, si cognationem cum abysso habebant, cur cognata refugiunt? cur radicem suam recusant? potius enim eam amplexi essent, arbitrantes requiem


[1] Marc. I, 24, et Luc. IV, 34.

suam esse in cognatione positam; siquidem in cognatis fit recreatio; in peregrinis vero et alienis afflictationes; magis erat illis recusandus Jesus; magis recusandus hic locus, ubi boni et æqui sunt; amplectendus vero discessus in abyssum. Contra vero dum recusant et cavent, et illuc abire detrectant, imo ob hanc causam supplices orant, satis indicii dederunt nullam se necessitudinem et cognationem cum loco tormentorum habere; nihil enim se ipsum affligat et malo afficit; omne autem quod affligatur, et malo afficitur, ab alio affligatur; necesse enim est, quod affligat, non sit sui afflictatio ac cruciatus, sed alterius, quod aptum natum est, ut affligetur, et malo afficiatur.

Ecce ignis non comburit se, sed aliud, neque se consumit. Ecce aqua non inundat se ipsam, quæ alia inundare solet, se vero ipsa non potest. Ecce aër refrigerare se ipse non potest, quoniam omne quod facit et cruciat, aliud quid cruciat et dolore afficit. Si autem abyssus cruciat, et dæmones cruciantur ab ipsa abysso, estque abyssus locus tormentorum; torquentur enim dæmones, non jam torquentur a simili, sed alii cum sint, ab alio torquentur, non ab hac natura, neque substantia, qua scilicet dæmones sunt, alterius enim substantiæ est abyssus. Atque esse quidem dæmones alterius generis ac substantiæ, præter abyssi substantiam, satis ex iis, quæ dicta sunt, perspicitur. Ipsa vero abyssus locus est tormentorum ac suppliciorum, non tamen æternus, nec ingenitus; sed postea fuit, sero tandem factus, ut esset medicina, et opem ferret peccantibus. Sacræ sunt plagæ, quæ sunt remedia, et auxilia erratorum; non enim, ut sint mali, factæ sunt plagæ; sed ut non sint mali, verbera inducta sunt; mali enim dolore plagarum amputant et præcidunt vitia. Idcirco non querimur de abyssis; quin potius tormentis et suppliciis scimus castigari ac corrigi eos, qui deliquerunt.

Si autem abyssus est, ubi dæmones torquentur, et supplicio afficiuntur, et substantiam habent, quæ subire potest tormenta, et dolorem sentire, et supplicia sustinent, et habent remunerationem pœnarum, quibus puniuntur, quomodo ingeniti? quomodo semper? quomodo nunquam esse cœperunt? quomodo ex se sunt, qui impatibiles non sunt, qui pati possunt, qui possunt puniri? ingenitum enim nihil unquam mali sustinebit, nec ab ullo punietur. Quin potius a se ipso principium ducens, se ipso consistit, et non ab altero cœptum est; nec ab altero supplicium fert; et cui non assignatur auctor, non assignabitur vindex, et non judicabitur ab altero, qui ab altero non est cœptus, ac neminem metuet, qui a nemine accepit, ut esset. Quid enim metuet, si in perfectione consistit? si perfectam consummationem habet? si a se consummatus est? si se ipso aptatus? quorum enim aptatio incommodari potest, timent eum, qui aptare potest; quod potest male affici, timet male afficientem. Si autem timent dæmones, et possunt male affici, non sunt ingeniti; quod enim ingenitum est, impatibile est; et non potest pati, quod extra naturam genitorum est.

Quod autem supplicant, in sensu sunt, et sciunt, quid sint, et quod pœnas sustinere possunt; non enim se ignoraverunt, non se impatibiles esse cogitarunt; nosse autem aliquem se ipsum, et non ignorare, signum est sensus, et indicium. Si vero quia erant patibiles, formidaverunt, et formidantes supplicaverunt, et supplicaverunt ei, qui poterat, non ignoraverunt eum, qui interrogabat; ipsa enim supplicatio testatur cognovisse eos interrogantem, atque esse quidem se patibiles non ignoraverunt; esse vero illum, qui interrogabat, Dominum, et regem universitatis rerum ex supplicatione apparet scivisse. Hæc de dæmonibus dicta sunt, ut neque de dæmonibus disputatio vacaret.



Possunt et hæc addi, naturam esse sibi similem, nihilque eam a se differre. Ecce ignis totus, similis sibi est; non minus calidus, quam sit ipse, neque magis; non habet plus, et minus; in naturis enim vacant plus, et minus; ubi enim est plus et minus, non est natura, sed accessio voluntatis. Si autem de dæmonibus scriptum est ire, et assumere septem alios spiritus nequiores se [1]; et apparet ex sermone esse accessionem, quia hoc est nequam, illud vero nequius, differentia nequitiæ est. Ubi est natura non sibi similis, si differentia reperitur in nequitia; et differentia voluntatis, non naturæ testis est? Ac de his quidem satis dictum sit.

XXXIII. Aggrediemur deinceps commentum primum istorum fabulæ exponere, et confutationibus refellere. Malum, inquit, erat, et ingenitum erat; erat autem et Deus bonus, et divisa loca habitationis, et uterque apud se ab altero sejunctus, ac separatus quidem Deus a malo; separatus item a Deo princeps mali, et uterque apud se erat, uterque suis imperabat, et gubernabat, ut natus, et aptus erat, malus quidem male; bonus vero bene; malus nocens, et suis rebus nocens, et suis nocere non desinens; bonus semper bonus, et juvans, et res suas juvans, et nunquam non juvans. Omnis enim utilitas a bono cœpit proficisci. Cum doctrinis pugnaverunt, extrema quæsierunt; invenire non potuerunt, qui a principio, quæ consectaria erant, non approbaverunt. Ac parva quidem sunt hæc, et non multa, satis tamen sunt ad disputationem quæstionis; formam tantum protuli; non excurri ad multitudinem testimoniorum. Quæ enim affinitatem et cognationem cum his habent, quæret lector, et ex his ad similia, et affinitate conjuncta legendum progredietur.

Age nunc, instruamus paremusque illorum disputatio-

[1] Luc. xi, 26.

nem, ipsorum dogmata apponentes. Malus quidem erat Satanas, bonus vero Deus, et sic res erat. Fabulam verto, ut fabulam repudiem, et nisi opponam, quæ exponunt, non possum fabulam evertere. Bonus quidem erat Deus, inquit, malus vero Satanas, et nunquam non erat; erat enim semper, et a nullo profectus; erat enim, et radix erat, inquit; erat item Dominus, et ipse erat, et radix erat: et radix bona, et radix bonorum, et omne bonum ab hoc profectum est; duæ namque radices erant; et duo surculi provenerunt, surculi radicibus respondentes; ab illa talia, ab hac talia fieri jactant.

Insistamus hic, deinde quæstionem aggrediamur, videamusque argumentationes, et quæ dicta sunt, recordemur, ut argumentationibus conclusiones conficiamus; et ex iis, quæ diximus, fidem faciamus; dicemus enim istis: « Si Deus erat radix, et bona radix, et boni fructus ex bonis radicibus profusi; ac Satanas radix erat, et mala radix, ac fructus mali ex mala radice fusi; cujus radicis Apostoli fructus extiterunt, ut ex fructibus, quod quærimus, cognoscamus? » Nondum a radicibus argumentum sumo; dicemus enim, mala radix nihil boni proferre potuit; neque radix bona quidquam mali. Videntur autem Apostoli quandoque boni, quandoque mali fuisse, ac sero quidem boni, principio autem mali, mutasseque malos mores.

Si enim dicamus esse Apostolos Satanæ fructus propter vetera delicta, adhibebunt eis reverentiam propter apostolatum, et perfectionem virtutum. Sin vero Dei fructus, quid dicent de antiquis eorum peccatis, et de antiqua vita diabolica? ad pudorem enim revocabit eos Scriptura, et eorum judicium redarguet. Si vero non reperientes exitum, et quo se vertant nescientes, nos rursus interrogent, dicantque nobis quoque difficiles esse quæstiones ad solvendum; difficile item ratione concludere; respondebimus non esse

fructus Dei Apostolos, sed factos, et fictos; non enim tanquam fructus ex radice profusi sunt, sed tanquam creaturæ a Creatore, et auctore creati; creaturæ enim ejus sunt, non tanquam ejusdem substantiæ, cujus ipse est. Geniti sunt ab ingenito, cum aliquando non essent, postea facti sunt; qui ut essent quidem ab eo, qui fecit, acceperunt, non substantiæ ex substantia, sed facti hypostases, bonitate auctoris; atque ita facti, ἵνα προαιρέσει πιὺ ἀρχμὺ ἔχωσι, ut voluntate habeant principatum. Ait igitur Salvator: « Si quis » vult venire post me [1] : Si vis perfectus esse [2] : Si vis sanus » fieri [3]. » Si is, qui fecit, sic loquitur, per quem Pater omnia fabricatus est, intellige voces auctoris: in voluntate posuit leges; in voluntate legitima recondit : voluntatem agentium scit dominam actionum esse.

XXXIV. Sane quidem ut nos honoraret, voluit Verbum, ut communitas actionum in voluntate penderet : « Si vo» lueritis, inquit, et audieritis me, bona terræ comedetis; » si autem nolueritis, nec audieritis me, gladius devorabit » vos [4]. » Sed absurdum est prætermittere sermonem de improbissimis, ac præterire considerationem de iis, qui turpissime, atque effrenatissima licentia in vita versantur, ne nostrum silentium periculosissimam desperationem eis comparet. Non magnopere accusant Nabuchodonosorem? non valde reprehendunt Pharaonem? non ad summum fastigium turpitudinis progressos existimant? talia enim de illorum vita, et instituto ubique jactant. Si igitur in illorum animis nullum studium cerneretur, alia ratio esset. Sin vero in adeo malis etiam partes aliquæ eorum, quæ bona sunt, reperiuntur, sensus, perceptiones, intelligentiæ, pœnitentia, ac supplicationes, quid jam dicturi sunt? Si enim hic turpissimus appareat habere partes quasdam virtutis, et

[1] Matth. XVI, 24, et Luc. IX, 23. — [2] Matth. XIX, 2. — [3] Joan. V, 6. — [4] Isaï. I, 19, 20.

mores aliquos idoneos, quid dicent? Si enim respondebunt mixtum esse Satanam, ut qui fructus ex virtute, ac vitio mixtos attulerit, aut fructus hos non esse diaboli; non enim fructus mixti, fructus fuerint carentis mixtione; neque quod non est mixtum, radix mixti erit; hi autem mixti esse, aliquo tempore apparuerunt, et percepisse scientias, et improbitate capti esse; hac ratione apparebunt non esse veræ personæ, sed fictæ cogitatione.

En Pharao, cum increpatur, remittit et mollitur, flectitur mente, et percussa anima non perseverat in duritia. Quin potius duo facit, poscit quod optat, et accusat factum; et non videtur anima oculis capta, sed ad pœnitentiam procedens, ac petitionem, et supplicationem amplectens, et in precibus blandiens. Si autem natura malus fuisset, quomodo de precibus, et pœnitentia cognitionem habuisset? Si enim bona est pœnitentia, et bona item precatio; si vero natura mala, quomodo malum cum bono mixtum fuit? Quomodo ex malo bonum prolatum est? Apparent non intelligere quæ loquuntur; quin potius mente rudi et inerudita, sputa magis verborum, quam verba proferre.

Nabuchodonosor, quamvis moribus sævus esset, et fornacem præparasset, et imaginem fecisset, et minis terreret, atque imaginem venerari cogeret, statim ut sancti pueri in fornacem illati sunt, et cedebat flamma, et corpora non attigit, factaque est fornax synagoga, ac pro lamentis hymni et laudes adhibebantur, neque jam tanquam igne carnem urente lamentatio fiebat, sed ab anima lætante cantus celebrabatur; statim, inquam, prospexit quæ intra fornacem fiebant, honoratusque est Angeli spectaculo, misitque vocem : « Nonne tres viros in fornacem intulimus? » en, quatuor video, et quartum tanquam similem filio Dei[1] : » Continuo igitur legem de hac re scribit, ut confiteantur

[1] Dan. III, 91, 92.

Deum, ut testentur veritatem, fit interpres et enarrator visi. Accusabimus igitur enarrationes, an laudabimus? præclara res est « Legatione fungi pro Christo [1], » an hoc in malam partem accipi sinamus? Si obire legationem pro divina Scriptura, et testes esse veritatis gloriosum est; obivit autem legationem Nabuchodonosor, et scripsit, et ad universam ditionem suam misit, sublata est natura mali; siquidem cum sciret, quod erat bonum, ad doctrinam de bono respexit. Si vero doctrinam affectione turpitudinis hebetavit, accusatur; aliud enim est, non posse agere quod honestum est; aliud vero scire quid est, quod honestum est, non tamen agere posse inclinationi affectus succumbentem.

Quod si in hominibus non sunt reperti fructus diaboli: et eorum, quos diximus, mores pudendi fuerunt, ipsorumque turpitudo convicta est, quo demum convertemus nos? nisi forte ad dæmones eamus; nisi forte dicant nullum quidem hominem esse fructum diaboli, dæmones vero solos fœtus, et partes ejus esse. Sed si hoc dixerint, hic quoque pudendi erunt. Primum vero audiant, si dæmones sunt fructus diaboli, et nullus homo est diaboli fructus, igitur nulla est diabolo in hac vita cum hominibus communitas, sed potius ab omnibus disjunctus est, ab omnibus alienatus est; ejectus est.

Quia vero in errore, et fallacia adhuc progredientes, magis adhuc fallacia et mendosa verba proferunt, ne silentio prætermittamus ea; aiunt enim quod nequitia cuncta antegressa, et sola procedens, se ipsam injuria afficiebat, et sibi nocebat; postquam vero affuit in loco veritatis, obstupuit, et repentinum lumen admirata est, pugnæ suæ oblita est. Invasit quod apparuit, rapuit lumen, absorbuit spectatum. Jam hic risus multus, et magnum ludibrium;

[1] 2 Cor. v, 20.

hic omnis fabula græca protrita est, et victa hujus fabulæ habitu; fabulæ enim fabulæ dicuntur, sed tanquam fabulis creditur; hæc autem si ut fabula dicitur, sic tanquam fabulæ crederetur, parum damni fieret : nunc vero vincit fabulas, et stulti credunt ei tanquam veritati. Si enim apud se manens, ut dicitis, se ipsam obsedit, cum venisset in fines luminis, vidit lumen, et obstupuit, et a sua pugna liberata est, et adorta est lumen visum, et rapuit quod spectavit, quomodo non apparebunt hæc non posse fieri, et falsa esse? Quomodo enim nequitia sibi ipsa injuriam faciebat? se ipsa interimebat? se ipsa delebat? Quomodo nunc quidem absorbens, nunc vero generans, si ingenita erat? dissolvebatur enim se ipsam interimens, et non jam esse poterat sibi interitum afferens. Si autem partes suas habebat intereuntes, quod pignus esse potest satis idoneum, non totam interire, partibus natis aptis ad intereundum? Si autem se ipsam generabat, et esse incipiebat, et incipiens esse, generabilis erat; quomodo erat ingenita?

XXXV. Quamobrem non ab alio absurda eorum opinio, sed ab eorum nugis redarguenda est; multa enim dicunt secum pugnantes : nec expectant faciat alius, ut erubescant, sed ipsi hoc aliis invident, et ipsi se erubescunt. Quod enim dissolvi potest, et dissolvitur, et potest interire, quomodo fuerit ingenitum? quomodo a se extiterit? quomodo non ab alio originem duxerit? cum hoc quidem tale liberum sit ab interitu, et impatibile, illud vero tolli, et perire possit, cum non sit a se. Quod si perit, ut dicitis, hoc enim verbis vestris definitis, ac decernitis, confitentes absorberi, et captam atque absorptam interitum cepisse, potest igitur capi, et dissolvi, et dissoluta atque capta non jam sustentabit ea, quæ sunt non intereuntium; cum vero non habeat naturam ab incommodo, et interitu alienam, non jam ingenita esse putabitur, et si ingenita non

est nequitia, neque ortu, neque fine carere apparebit, cum alias quidem non sit, modo vero solum insonare videatur. Quod enim est, non est substantia, sed morbus quidam, qui substantiis accidit, qui potest a substantiis et personis separari. Quod autem deceptor, quod est, ruina et lapsu accidit, ut esset, ipsa ruina et lapsu attestante ademptionem bonorum priorum, testatur quidem Isaïas propheta, cum ait : « Quomodo, cecidit e cœlo lucifer, qui mane » oriebatur [1] ? » cum vero hunc talem ejus statum ex lapsu accidisse sciret Salvator, antiquum vero statum divinum, ac splendidissimum, et maxime decorum fuisse, de eo testatur in Evangelio inquiens : « Ecce video Satanam tanquam » fulgur cadentem de cœlo [2] ; » si autem sic natus erat, si sic aptus natura, non diceretur tum cecidisse, tum decidisse ; quod enim cadit, ex statu quopiam cadit ; et quod decidit, ex quapiam abundantia excedit.

Si nominatur in iis, qui ceciderunt, erat aliquando in statu et stabilitate ; si autem in iis, qui deciderunt, accusatur, non erat inops, non erat Irus aliquando, cum affluebat bonis copiose, quibus propter morbum aliquem privatus, in iis qui ceciderunt, numeratur, et habetur. Sane quidem affluentiam ejus Scriptura fatetur ; si enim in eo, quod ait : « Quomodo cecidit lucifer, » nomen luciferi affluentia erat, et qui erat lucifer, ipsam luciferi effectionem, et vim, et affluentiam, et possessionem habebat, et ab hac cum decidit, hac factus est vacuus : inops quidem est illius affluentiæ luciferi ; vagatur mendicus, et est pene Irus, et in casum, ac ruinam datus, qui olim valde copiosus erat. Si autem secundum Evangelium ex eorum numero est, qui cadunt, et humi jacent, et in pavimento volvuntur, stetit aliquando, et poterat dicere : « Stantes erant pedes nostri in » atriis tuis Jerusalem [3] ; » poterat audire illud : « State suc-

[1] Isaï. xiv, 12. — [2] Luc. x, 18. — [3] Psal. cxxi, 2.

» cincti lumbos vestros in veritate [1], » et cum posset hoc audire, adhibuit ad cautionem, et firmitatem, quod ait Scriptura : « Qui stat, videat ne cadat [2], » et cum nihil munierit contra hoc, in talibus hodie vertitur, ac volvitur, quod enim semper humi jacet, nunquam cadet; jacet enim humi; quod autem cecidit, et est humi, non deveniet ab stantibus, et erectis ad cadendum; et quod semper est in inopia, et nunquam accidit ut affluat, nunquam cadet; semper enim nihil habet, et cadere non potest, quod nihil unquam habuit. Quod casum, et ruinam sentit, propter abundantiam et rem amissam sentit. Ac ratio quidem prima opinionem istam convincendi talis est.

XXXVI. Sed quia dicunt, quod nequitia adhuc progrediens, ac se ipsam intendens ac roborans et lumini appropinquans, rapuit ex eo, et absorbuit : age legationem, quam pro diabolo contra veritatem susceperunt, dissoverene defugiamus, extollunt enim his verbis malum : extenuant autem veritatem, et nervos tribuunt nequitiæ; veritatem vero sine nervis ponunt. Etenim si nequitia rapuit, lumen vero raptum est, et quod dominaturum erat, patitur; et quod patitur, patibile est; patibilis igitur ipsorum opinione Deus est; Satanas vero expers naturæ patibilis, ille quidem male affici potest; hic vero male afficere. Si enim lumen patibile est, et ipse Deus est patibilis, cum non sit aliud præter lumen. Quod si potuit male affici, et non a se male affici, sed ab hoste, et pugnante, et deficere a se, et esse apud deterius, quomodo a propriis separatum est, quod naturam habet copulatricem? quæ enim secundum naturam apta nata sunt, ut a se ipsis separentur, non insunt natura; si autem ingenitum erat lumen, et erat cum ingenito copulatum, quomodo unquam separari potuit? quomodo a se divelli, et fieri aliud quam erat? Si enim mi-

[1] Ephes. VI, 14. — [2] I Cor. X, 12.

nistravit malo, idque per vim a nequitia illatam, deinceps nequitiam eligebat, et quæ sunt nequam, perpetrabat, et ignorabat se, nec se jam amplius agnoscebat, sed sui potius oblitum erat, putabat enim se tale esse, quale est malum : si ita erat; apparebunt hæc repugnantia. Quod enim ingenitum est, neque se ignorat, nec aliud erit, præterquam est, sed potius tale perseverat, quale erat : nec unquam a se disjungi potuit, quod nunquam cœpit esse.

Verum quia anilia, et commentitia loquuntur, non intelligentes quæ dicunt, sed ex iis ipsis, quæ dicunt, revicti et se erubescentes, hoc etiam ad ea, quæ dicta sunt, addamus. Si poterat lumen commutari, et aliud præterquam erat ipsum fieri, et esse apud nequitiam, ac sui oblivisci, et facere quæcumque nequitia facit, potuit hoc evenire principibus nequitiæ, ut magis potuerint mutari in bonum. Si autem mutatio fieri potuit, et variatio, quomodo non melius erat ex vitio in virtutem mutari, quam ex virtute in vitium? Quomodo passus est Deus et permisit rapi lumen? Quomodo non prohibuit aggressionem? Quomodo non servavit sua? Quomodo postquam ablata sunt, noluit eorum providentiam et procurationem habere? Quomodo non prius impetum, et conatum coërcuit? Quomodo non magis servavit ne caperentur, sed potius capta, et direpta auxilio non honoravit? Si ideo fecit, ut lumen cum in malis esset, mala mutaret, quasi mutari possent mala : non igitur mala natura mala sunt; quæ cum mutari possunt, sponsionem in mutatione ipsa accipiunt, non esse natura mala.

Si autem sciebat non mutari, neque natura apta esse, ut mutationem caperent, quomodo frustra sivit, ut bonum jacturam faceret, et lucrum non tribueret malo? Quomodo sivit ipsa mala non mutari, se vero et sua bona mutata neglexit? Absurda est enim hæc præscriptio, ipsum esse mutabilem, quia sua mutantur : non esse autem mutabilem

materiam. Atque hoc quidem sic redarguimus, ut prolixum sermonem contrahamus, silentio prætereuntes illa integumenta, quæ obtendunt, illas repugnantias et fabulas et pugnas Gigantum, ut quæ de principio rerum dicta sunt, instar cujusdam subsidii dicta sint, habeanturque tanquam semen quæstionum.

LIBER II.

ADVERSUS MANICHÆOS.

ARGUMENTUM.

Secundus liber docet, et explanat non peccare hominem ex quodam malo æterno, et sine principio, ac Deo contrario, quod quidem non est, et nullum esse malum secundum substantiam in iis, quæ sunt, nec ullam inæqualitatem in nostris rebus; ac vane et valde impie gubernationem universi improbari, et reprehendi. Denique omnem de providentia disputationem summatim complectitur, docetque minime necesse esse suspicari ex rebus ullum esse secundum principium Deo contrarium.

I. Ducit jam nos deinceps ratio disputationis ad disserendum serio de Deo. Fortassis enim nihil a ludo differunt, quæ hactenus ad confutationem fabulæ illius dicta sunt. Ne igitur risum moveamus prudentibus, commentum valde sibi repugnans accuratius excutientes; quæ autem a Manichæo magis mystica inventa sunt, quæ sunt complura, silentio prætereuntes, aggrediemur jam docere nequitiam quidem nequaquam secundum substantiam existere, neque materiæ principium ullum principio carens Deo contrarium esse. Unum vero esse principium omnium, et unum Deum, qui omnia creavit bona, et ipsius sapientia digna.

Manichæi enim, postquam in disputatione de principiis convicti sunt, ob hanc dubitationem tanquam difficilem ad enodandum et multas tendiculas, et captiones contra

disserenti præbentem deducuntur. Quærunt enim, unde mala existant? nos autem fidenter respondemus, cum unus sit Deus, qui cuncta fecit, nihil quidem secundum substantiam malum esse, cuncta autem valde bona, et differenter bona, et ad varios usus facta : nihilque eorum, quæ facta sunt, sine ratione factum esse, sed unumquodque eorum, quæ effecta sunt, parvum et magnum, in cœlo, et in terra, et in mari habere in se rationem suæ essentiæ, fabricatamque esse sapientiam Dei ineffabilem, universum hoc tanquam integrum, et totum corpus constitutione partium, et membrorum, ut quidquid ademeris rationi eorum, quæ facta sunt, tanquam supervacaneum, et inutile, totum corpus mutilatum esse videatur. Siquidem quod in rebus videtur vilissimum, et despicatissimum, absolutionem corporis complet; nihilque in rebus otiosum est, neque temere, atque inaniter factum, nec ad supervacuam ambitionem interpositum.

Sola vero hominum ad nequitiam peccantium injustitia recte et juste, ac vere nequitia est, non tamen ex nequitia principio carente profecta, quam Manichæus, cum non sit, esse excogitavit tanquam ab hac principio carente, quam finxit, proficiscentem; ut satis in superioribus disputatio aperuit, et docebit clarius in iis quæ sequuntur.

II. Quamobrem cum de hoc primo actum sit, sic via et ratione progrediemur, docentes nihil esse in rebus malum secundum substantiam, quin potius quæcumque in sæculo gubernat, ac dispensat Deus, decore, ut sapientiam ejus decet, et ad utilitatem eorum, propter quos hæc facit, gubernat, ac dispensat. Ornatum igitur extruxit Deus, et de hoc ii, contra quos disputamus, non fluctuant, neque tempestate jactantur; si enim mundum ornatum et decorum in inornatum mutant, de modo, et causa facti mundi confitentur. Hominem vero, etsi est pars mundi,

tamen quia eum civem rationis participem præposuit, ac præfecit Deus, in cæteris aliis, quæ neque ad nequitiam, nec ad virtutem spectant, ut gubernaret, sibi ipsi reservavit; virtus et vitium ut in potestate ejus esset, fecit, ingenerans naturæ utriusque cognitionem, ut instar oculi hanc adducens et adhibens, non solum cum perfecta scientia in vita ambularet, sed etiam esset auctor officiorum virtutis.

Homo igitur injuste operans, juste de peccato accusatur. Si enim peccatum committit tanquam non possit ab eo se abstinere, injustam querelam subit; sin autem, cum posset non facere, facit contrarium, merito accusatur tanquam injustitiam suscipiens, et peccatum recte ratione criminis appellatur peccatum, quod semper committitur præter rationem, qua uti potuit. Ut sit jam peccatum omne id, quod præter rationem fit; quamvis ex iis, quæ sunt secundum naturam, occasionem, et subsidium accipiant; usus enim eorum, quæ sunt secundum naturam, a ratione aversus, efficit, ut peccatum existat; ratio autem in nobis exploratrix est eorum, quæ secundum naturam sunt; ex quo fit, ut non lateat, cum committitur.

Si ergo ad exercitationem virtutis rationem nobis insitam exerceamus tanquam corpus temperato motu, sanam hanc, et benevolentem reddemus. Sin vero exercitatione, et accuratione hanc non excoluerimus, languescens obscurior efficitur, ac demum neglecta cæcatur. Penes nos vero est, ubique ratione, quæ in nobis est, uti; et sicut qui artem ædificandi exercent, sic norma ac regula ad accurationem virtutis adhibita, hanc rationem excolere, tanquam semina in terra sparsa, quæ cum neglecta sunt, pereunt.

Hoc loco ambiguitas quæstionis exoritur: Quare tanto

periculo objecti sumus, ut penes nos sit esse bonos, et non esse? ut non omnino boni efficiamur, sed plerumque, non tantum quandoque mali, necessarium non simpliciter, utile periculum. Alioqui a toto aberraremus, totoque frustraremur; etenim si fecisset nos Deus, ut non possemus peccare, nunquam facti essemus boni; bonus enim apud homines est, qui justus, et temperatus est; abstinens autem ab injustitia fit justus; et fugiens intemperantiam, temperatus. Potestate igitur contrariorum comparatur, et acquiritur possessio contrariorum. Ut si quis non habeat potestatem intemperantiæ, non possit fieri temperans; non enim non posse suscipere incontinentiam, facit continentiam : nec infirmum esse ad injustitiam, facit injustitiam; sed posse facere, ratione vero abstinere ne faciat, hæc est virtus temperantiæ, et justitiæ; et non posse solum, sed a natura invitari, et titillari, ut aliqua vera laus sit voluisse non facere; hæc enim, et non alia inveniri potest apud homines virtus. Deus enim non est vocandus temperans, aut fortis, et alia hujusmodi; siquidem supra humanam virtutem est; etsi enim dicitur justus, aliter quam nos dicitur. Homo autem, quatenus homo, quomodo fiat bonus, quærimus unicuique enim eorum, quæ facta sunt, mensura naturæ decreta, et constituta est : quam quidem transire et superare non potest; sed deficere potest perfecta, et absoluta virtus. Quæ igitur mensura homini ad virtutem definita est, et ut sit bonum temperantiæ, et justitiæ, et aliarum virtutum? supra hæc enim ut homo sit bonus, fieri non potest. Si enim temperantia est continere cupiditates voluptatum, oportet esse in potestate ea, quæ temperantiæ sunt contraria, quorum dicitur continentia, quæ est temperantiæ nomen, et officium, atque opus. Non esse autem in potestate voluptates, privationem temperantiæ plane efficit. Similis ratio est justitiæ, et aliarum virtutum.

III. Si quis vero contra dicat oportuisse nos non esse aptos ad suscipienda contraria virtutibus, ut intemperantiam et injustitiam, sicut Deus, nihil aliud hic dicit, quam oportere nos non esse homines, ut si quis spectaret aquilam in sublime volantem, et succenseret naturæ equi, eamque acerbe vituperaret tanquam dissimilem naturæ aquilæ, cum oporteret equum ex natura equi considerare. Sane quidem hominem fecit Deus, qui esset homo, animam item cum corpore, quia est habitator mundi corporeus. Hic igitur si fiat bonus, quoad natura hominis patitur, spectatus et probatus reperiatur. Quomodo autem fiat homo probus, inquirendum est: atque requirendum a Deo, utrum fecerit eum. Homo igitur fiet bonus, si sit temperans et justus; si enim liceat meliore modo fieri hominem bonum, accusandus sit Deus, qui illo modo præstantiore non fecit hominem bonum. Sin autem quantum in natura hominis situm est, nihil melius, opus est homini temperantia et justitia, aliisque virtutibus. Hic rursus quærendum est, quomodo homo temperatus, et justus esse potest? vult enim qui eum fecit, ut talis sit. Igitur temperantia sine comparatione, et contentione contrarii fieri non potest; similiter justitia: alioqui nunquam erit temperantia, neque justitia.

Quod si hoc modo non possit fieri justus, et temperatus, non aliter fiet homo justus et temperatus, et tunc merito reprehendatur Deus, quia fecit, ut impossibile esset fieri hominem bonum, temperatum dico et justum, quo quidem modo tantum, et nullo quopiam alio futurus erat gloriosus, et sapientia auctoris sui dignus habendus. Si autem qui contra dicit, perseveret contendens oportuisse natura, et non labore fieri hominem temperantem, rursus hic omittens quid sit temperantia, ad eligendum, ac sumendum, quod a ratione aversum est declinat; tum quia

ponit et statuit, posse hominem sine temperantia et justitia esse dignum auctore suo, qui eum fecit; tum quia non vult considerare, quomodo possessio harum virtutum comparetur, quia quod vinculo naturæ factum esset, nunquam esset temperantia, quæ minime aliter quam resistentibus voluptatibus cognoscitur; ut pugnans et vincens eas vocetur, et sit temperantia : similiter in aliis. Sic sane hominem construxit natura quidem neque bonum, neque malum, committens rationi electionem melioris. Si vero neque bonum, neque malum, quæritur quid restet.

Considerandus est puer parvus, in quo cernitur utriusque extremi ademptio, id est, neque bonum, neque malum esse: subtantia enim hujus bona est, bonitatem vero secundum virtutem nondum ascivit. Sic item et aurum bonum est natura, ratione vero virtutis non est bonum, cum sit inanimatum: similiter pretiosi lapides et omnia, quæ sunt, unumquodque secundum propriam in aspectu pulchritudinem. Hac ratione homo etiam pulcher est, valde pulcher substantia et essentia ipsa; bonitas vero per solam virtutem asciscitur, labore comparatur. Idcirco fecit Deus, ut hoc in potestate ejus situm esset : si igitur potestatem quidem dedisset Deus, non autem naturæ præfecisset cognitionem virtutis et vitii, visus esset cæcum aurigam currui velocissimo præficere. Sin vero ambo simul commiscuit potestatem, ad asciscendum quod melius est, et cogitationem ad discernendam, et muniendam electionem, artificem quidem aurigam mentem adhibuit. Hæc autem currum naturæ salvum, et incolumem agitabit, nisi somnum in stadio capiens a voluptatibus deturbetur.

IV. Substantia quidem et natura pulcher est homo, ut aurum, ut lapis pretiosus, ut opus Dei; bonus vero, aut contra malus, proposito : hæc enim adjacent ei, tanquam quæ fieri possunt. Qualitates vero adveniunt, et adjungun-

tur secundum institutum, quo ducitur, et secundum electionem propositi, ut nequitia, quæ in actione consistit solum, ante actionem non existit per se. Habet tamen homo potestatem nequitiæ, quam potest operari; habet, inquit, potestatem ejus, non ut eam operetur, sed ut non operans eam, optimus appareat. Si enim non esset penes eum actio, videretur subire invidentiam Creatoris, ut haberet impedimentum approbationis, et privationem libertatis; ut qui non haberet in potestate sua situm, ut esset bonus; ut jam conditio, partesque naturæ, quæ in homine inferiores videntur, verissime superiores, ac valentiores essent. Nunc autem nequitia minime per vim subit, cum non sit secundum substantiam, et si homo non haberet ejus potestatem, non esset penes eum fugere eam : fugit enim, non tanquam existat, quod non existit, sed tanquam id, quod ab ipso fieri potest.

Quomodo autem, qui odit malum, quod optimum est compararet, nisi illud, quod facere poterat, volens recusaret? virtus enim in hominibus pene nihil aliud est, quam recusatio, ac declinatio vitii : temperatus enim est, qui non est intemperans; et justus, qui non est injustus, et similiter in aliis. Deus enim bonus est, non quia non facit injuriam, tametsi possit; sed quia solummodo beneficus est; quamobrem solus est bonus. In hominibus vero bonum ex fuga mali primum existit, cujus potestatem necesse est esse ei, qui vult esse bonus, ut sit penes ipsum non facere malum. Etsi enim a perfecto præter fugam contrariorum requiruntur etiam actiones, fuga tamen et declinatio deterioris majus quid est ad probationem. Hinc fit, ut apud homines nemo vacuus a peccato reperiatur : quippe cum probatior sit homo propter difficultatem abstinendi a peccato : quandoquidem hoc potissimum modo signatur

virtus, actionem autem bonam etiam apud valde malos reperimus.

Liquet igitur beneficium esse homini potestatem suscipiendi peccatum, a quo quidem se abstinens spectatur et probatur, et non aliter. Libera igitur potestate virtutis et vitii honoratus est homo, habens natura horum cognitionem, quæ in actionem venire possunt, et prius quam veniant, non sunt. Ubi enim erit quod agitur, si non est, qui agat? Quare adest nequitia, cum est actio ejus; abest, cum non est. Continuo etiam Deus bonus cum sit, et solummodo beneficus, nihil mali facit, neque per ignorantiam abstinet a nequitia, neque quia deest potestas, omnino ab ea sejunctus est. Quomodo enim ignoret nequitiam, quam docet, non adhibere eam ad actionem? Quomodo rursus rationi consentaneum est existimare, quia desit potentia, Deus a nequitia abstineat? non enim ille, qui est solus bonus, quia non potest injustus esse, bonus est, sed quia perfectam potestatem habet non volendi injustitiam.

V. Si autem dicamus non posse Deum aliquid injustum facere, recte quidem dicimus : attamen non posse, non ad infirmitatem referimus; sed ad summam perfectionem non volendi quod injustum est, et ad immutabilem declinationem deterioris : cum enim sit secundum naturam immutabilis, immutabile est ei nolle quidquam mali facere. Quamobrem potest quidem, sed non facit natura immutabili non volendi malum; atque ita non est nequitia apud Deum, non solum quia non existit per se, sed quia nec est in actione. Quia vero hominibus quodammodo non est immutabilis recusatio nequitiæ, etsi quis ad virtutem ascendit, solum videtur esse nequitia, dum est in actione; non autem est ante actionem. Sic hominem Deus honoravit fabricans eum ad imaginem suam, ut sicut ipse

libertate naturæ bonus est, sic homo libertate propositi imitator Dei esset, non abstinens a peccato, quia desit naturæ ipsi potestas, sed libertate propositi virtutem honorans.

Hæc autem satis abundeque declarant tot mutationes ad virtutem et vitium, quæ in hominibus sæpenumero reperiuntur, in quibus neutrum horum diuturna consuetudine fixe inest. Quæcumque enim necessitate naturæ facimus, horum mutationem non recipimus. Quæcumque vero ratione propositi et deliberationis facimus, hæc in nobis variantur, et alias aliter habent ad propensiones, quæ in proposito fiunt. Non igitur peccare naturale est et necessarium hominibus, sed voluntarium est maleficium. Declarat autem labor virtutis voluntarium eorum, qui eam acquisiverunt, in quibus si paulum negligentiæ insit, periclitatur possessio virtutis parta.

Si quis vero adversus hoc producat eum, qui vult quidem quandoque a pravis, dicit tamen se non posse; advertat ipse, quod sicut morbus corporis diuturnus non facile mutatur, sic animæ habitum non bonum tempore fixum, non est facilis ratio depellendi in longinqua consuetudine: nisi majus aliquod bonum subeat, quo antegressum malum expellatur. Hinc fit, ut sæpe aliquis cum effrenate in turpe quoddam opus impetum fecisset, vel propositum esset adulterari, solo aspectu mariti, metu cupiditatem repressit, aut memoria legum in mentem revocata. Alius cum deliberasset latrocinari, metu supplicii cupiditatem coërcuit. Sic peccata opera sunt affectionum, non autem ex natura efflorescunt. Honoramus autem omnes et amamus, qui æquitatis participes sumus, leges, quæ maleficos sine ulla excusatione puniunt, sic communi opinione per opera confirmamus non cogi homines natura ad maleficia, sed quia proposito et deliberatione ea eligunt, supplicio dignos declarari.

VI. Sed quia Manichæi aliter etiam nituntur convincere duas naturas contrarias in nobis esse, quia aliquando quidem nos cogitamus mala; aliquando vero bona, advertendum est, quia naturalis cognitio utrorumque in nobis inest, necessario nos ad cogitationem eorum, quæ cognoscimus, excitari, nullam quidem jacturam, aut damnum facientes; sed potius totum lucrantes, præposito et antelato, quod melius est. Quomodo enim in hominibus motus, et excitatio ad melius testata esset, nisi utrumque naturaliter cogitari posset, justitia scilicet et injustitia. Cognitio namque necessaria est ad dijudicandum cogitatio vero rimatur cognita; propositum autem in quam partem vult, propendet : hæc vero non sunt partes animæ differentes, sed tanquam operationes ejus; non tamen inest oculo nostro naturaliter ut videat aliud si accidat, vel actiones malas et bonas, ac neutrius causa fuerit; mens enim aspectum recipit, visa dijudicat, atque discernit : sic cogitatio necessario instar oculi movetur ad ea, quæ fieri possunt, non movens animam ad ea fieri possunt, non movens animam ad ea per vim, sed cognitione naturali hæc attendens. Continuo quidem si volumus, simul contraria cogitamus, simul tamen contraria facere non possumus.

In hunc mundum actio quidem electione propositi decreta est; cogitatio vero naturalem cognitionem virtutis et vitii testatur : nisi enim hæc præcognosceremus, nec ea cogitaremus, neque quod melius est, elegerimus, prægressa omnino electione deterioris, pravis institutis anticipati. Quamobrem magis est studendum, et laborandum hominibus in educatione filiorum, quam agricolis in incremento arborum. Interpretari igitur cogitationem nostram indicium esse duarum naturarum contrariarum, perinde est, ac si quis diceret, esse aspectum mixtionem omnium colorum, quia in hæc omnia aciem intendit. Quod igitur necessario

accepit homo ut posset peccare, sic a Deo factus, ut non aliter posset ex virtute vivere, id quod Deus cum esset bonus et non invidus, naturæ insitum esse voluit, et quod propter ea, quæ injuste apud homines fiunt; nullo pacto necesse est putare materiam principio carentem et nequitiam resistere Deo, nec existimare penitus secundum substantiam per se extitisse nequitiam, sed in actione consistere, superius demonstratum et conclusum est.

VII. Deinceps de sapientissima Dei gubernatione et de iis, quæ inaniter, et temerarie a Manichæo in criminibus ad asserendam nequitiam objecta sunt, pro viribus dicendum est. Multam perturbationem ordinis in nostris rebus accusat. Divitias et paupertatem, sanitatem et invaletudinem, tanquam sit in eis inæqualitas, criminatur. Item illud, sæpe maleficum supplicium legum effugere, innocentem vero puniri, quandoque etiam improbos imperium in alios invadere. Dicendum igitur est productum esse hominem ab auctore suo in hanc vitam, ut nullum aliud negotium ageret, quam ut solam pietatem et virtutem compararet? Hæc enim si acquisivisset, recte hanc vitam tranaret. His vero neglectis, periculose demergeretur deceptus; alimentum autem corporis et vestitum, reliquum tegumentum dedit Deus ipsi non tanquam dona præcipua, sed tanquam necessaria ad vitam hic tuendam, ut dum corpus habet, tum horum præsidio vivat, tum impigre laborem suscipiat, et quæ dicta sunt, paret.

Lumen autem ascivit ei corporeum naturæ ejus conveniens, tum aërem ad ducendum spiritum et aquam, et quæcumque alia necessaria: hæc enim auctore Deo communia sunt naturaliter cum omnibus hominibus, nec ullus dicere possit minus luminis impartiri pauperi, neque minus aquæ suppeditari, neque minus aëris ad respirationem, quæ est ad vivendum maxime naturalis, et alimentum ne-

cessarium, tametsi non sine sudore suppeditat. Aurum autem et argentum, et lapides pretiosos qui habent, ab ipso accipiunt. Non tamen plus conferre possint ad facultatem, quam superius diximus, nisi magis etiam impedire; tamen neque profectio hominibus a Deo proposita, paupertate impeditur, neque divitiis facilior efficitur. Sed utraque conditione studiosis et maxime industriis, ac gnavis licet constitutam viam et destinatam conficere : parpertas enim per tolerantiam et libertatem, opulentia vero per modestiam et cultum, honoremque auctoris bonorum, quem anteponit bonis ipsis, perficere potest, quod studet et laborat; ut neque pauper sine difficultate, et laboribus assequatur virtutem; sed egeat studio et accuratione, si qua in ipso inest incuria, ne propter paupertatem aliquid illiberale faciat, et dum iniquo animo fert paupertatem, animum suum, ac voluntatem patefaciat, ut qui magis, quam Deum honoret ea, quæ a Deo dantur : neque qui divitiis affluit, possit sibi instar rei venalis pietatem et virtutem comparare; quin potius plus in hac re sudandum ei sit; magis enim hic, ut par est, fluctuat et tanquam tempestate jactatur mens, cura et sollicitudine in bona externa, et in animam partita, et nisi existimet esse opes omnino πάρεργον, ἔργον vèro solum amicitiam cum Deo, demergetur in amentiam integram, non intelligens se primo et solo bono relicto, servire mortuis divitiis, quas cum reliquerit aliis, ipse abibit.

VIII. Ex æquo igitur vacat periculo via virtutis, neque diviti, neque pauperi impedita. Inter se autem dives et pauper solum differunt externarum rerum accessione, quæ nihilo plus valet ad id, quod propositum est, adipiscendum; atque hoc quidem necessario divina sapientia disposuit. Quando enim pauper exercetur ad tolerantiam capiendam, videns apud alium opulentiam, animus etiam divitis

exploratur tenuitate pauperis: inutiles enim sunt opes, si non adsit paupertas; cui enim benigne faciet opulentus? et paupertas non est spectata et probata, nisi adversante opulentia. Denique neque divitem esse, beatum est, neque pauperem esse, miserum, quandoquidem solus ille, cui accedit firma animæ secundum virtutem felicitas, sive dives, sive pauper sit, compos ejus est, cujus causa a Deo factus est homo, ut jam opus sit a Deo accipere, ut sit, a se vero accipere, ut bonus sit, adjuvante Deo; vult enim Deus, ut homo cum sit rationis particeps, habeat aliquid a se ad gloriosam fiduciam.

Quocirca non admirabimur, neque beatum prædicabimus virum divitem maleficia committentem; neque stupebimus contra Dei providentiam, quod, qui talis est, divitiis affluat. Quid enim amplius habet vir improbus dives? Quid vero non minus habet? vigiliæ enim et pericula propter pecunias, dolores vero de consumptis majores, quam voluptates de acquisitis: non enim tam delectat quod adest, quam cruciat quod abest, et semper cupiditas divitiis augetur: ita ut sine intermissione cogitatio habitet cum affectione effrenata, corpus vero sæpenumero cogitatione contabescat. Demum quæ videtur præstantior conditio affluentiam opum possidentis, difficilior et molestior est, quam conditio egentis: ille enim deliciis, et mollitia cubilis utens, quandoque in varios morbos incidit, cum pauper siccitate victus necessarii valetudinem corpori ascivit. At quis dicat non esse corpus excellentius, et magis honoratum, quam bona externa? quod si habitudo corporis valentior in iis perseverat, qui necessariis moderate utuntur; iis vero, qui se ad immoderatas delicias dimittunt, simul robur et firmitas corporis relaxatur, annon liquet hac parte, et hac ratione inferiores esse divitias paupertate? præterquam si

quis reperiatur, qui egeat necessariis, quod quidem nunquam studioso virtutis accidit.

Numquid voluptas ciborum sumptuosorum permanet cum sensu eorum, qui semper usi sunt eis, an valde vilis efficitur diuturno usu? ut jam nihilo plus habeant isti in eo, quod ad delicias et voluptatem adhibent : semper enim quod consuetum est, facile contemnitur. Pauperi autem quod tenue, et vile est, propter sanitatem suavissimum est. Si quando vero sit ei, quod sumptuosum est, peregrinum, et novum ducit ad fruendam relaxationem : ut hac ratione, qui recte cogitet, pauperem reperiat præstare diviti. Morbus autem et bona valetudo æque necessaria sunt. Sanitas enim valet interdum ad injustitiam et offensionem virtutis, morbus item aliquando ad evertendum, et refutandum peccatum valet; juvatur enim sæpenumero ratio externis fluctibus. Interdum experientia invaletudinis de beneficio bonæ valetudinis admonet ad declinandum maleficium. Esset autem despecta sanitas, si universe per se permaneret, nihilque quod eam impediret, posset contingere.

IX. Si autem ille quidem justus ægrotet, hic vero audax bene valeat; ille quidem cohibetur unda adjutus, ut vita ejus querela, et reprehensione careat; hic vero tanquam desperatus traditus est peccatis. Si rursus audax, et valde impius morbo conflictetur, justus vero firma valetudine sit, punitur ille quidem sensu supplicii, non ut juvetur, sed ut alios exemplo juvet; hic vero tanquam, qui solutis vinculis mansuete versari potest, sine ægrotatione perseverat. Quamvis utraque prorsus ubique utilia sint; et miser, qui providentiam hinc negat, aut accusat : ille enim morbus solus mortifer est, qui animam ad avertendam virtutem male afficit. In quibus igitur ratio salva, et incolumis perseverat, sive ægro corpore, sive sano sint, utriusque utilitatem sentient : etsi enim non omnino morbus maleficum puniat,

siquidem leges etiam interdum malefici effugiunt; an propterea desinet lex esse impedimentum maleficis, quia non per omnes legi subjectos procedit? An admiratio sapientiæ Dei hinc etiam, sicut undique declaratur? Si enim penitus constaret, nullo pacto posse hominem effugere supplicium legum, qui quodcumque lege vetitum est, admitteret; abstinere peccato, non esset spectatum ac probatum, sed adulterinum et incertum : omnes enim metu supplicii, non odio maleficii abstinerent. Oportet autem honestum, et probum magis odisse maleficium facere, quam maleficii pœnas dare, quamvis injuste.

Hinc fit, ut major pars maleficorum leges effugiat, quoniam non est hoc supplicium delinquentium, sed opinio tantum vindicationis : mors enim naturalis sine supplicio etiam adveniet. Quare alia est ultio, et supplicium delinquentium, cujus effugium reperire non possunt : evadunt autem plures ex nostra vindicta, ut posse latere tormentum, et cruciatus humanæ cogitationis efficiatur. Et universe quod dictum est ad furantem, et mentientem, et graviora maleficia committentes porrigitur.

Sed dicet aliquis, magis torqueretur conscientia hominum, si nullus maleficus deprehensus puniretur; contra vero evenit, ut plane sit hortatio quædam ad maleficium faciendum, quosdam maleficos aliquando non comprehendi a legibus : unde utrumque necessarium est, et incidere maleficum in leges, ac comprehendi ad exemplum vitandi maleficii; et effugere tormentum, et cruciatum cogitationis. Homini enim ad eligendum virtutem et vitium libero, sic facto a Deo, foris accedit, ut quodammodo mens ejus adjuvetur, et quasi fulciatur timore, et vacatione timoris, hortationibus, et dehortationibus, morbo et sanitate, paupertate, et opibus : denique omnia, quæ contraria inter se videntur, consone, ac convenienter in unum tendunt, et

spectant, ut humanam mentem exerceant, et nemo se dedat somno: quin potius hinc, et illinc pulsus, et excitatus, vigilet ad officium pietatis et virtutis obeundum. Si vero accidat, ut aliquis puniatur non solum innocens, sed vir admirabilis, et ab eo pœnæ virtutis repetantur, quid nocuerit sustinenti? Arguit quidem hoc eos, qui faciunt, non eum, qui sustinet, licet usque ad mortem iniquum supplicium progrediatur. Qui talis est, anticipatione mortis, quæ pertinent ad vitam futuram meditatus est; cui enim nihil suave est eorum, quæ multis jocunda sunt, nec acerbum, annon est hic ante mortem huic vitæ mortuus? Qui hic ea, quæ existimantur insidiæ factæ, loco beneficii et gratiæ ducit, qua expectat post hanc vitam majora bona consequi, quam ea, quæ relinquere videtur, ad quæ, ab inimicis suis cito dimissus, tanquam beneficos ducit eos, qui ei insidiati sunt.

X. Alia etiam ratione apud homines necessarium est permitti a Deo tormenta, et cruciatus, ut magis spectata, ac probata sit libera virtutis susceptio, si neque mortem oppetere reformidet. Jam cum improbos, et avaritiæ deditos viderimus aliquando imperium tenere, et ad magistratus eligi, scire oportet permitti hoc providentia, ac gubernatione Dei: cum enim, qui sunt sub imperio peccatis abundant, justum supplicium est iniquitas eorum, qui imperio præsunt, qui ulciscuntur quæ faciunt, et puniunt quæ committunt: ut maxime pateat non contingere, ut peccatum impunitum sit. Rectus quidem videri potest judex, quia ne quid mali committat, eos, qui committunt, punit. Sin autem is, qui judicat, incipit ea admittere, quæ in aliis vindicat, et punit et quidem impensius, ut suadeat se nihil mali agere, plane apparet jus firmum, et valde horribile esse incidere in hujusmodi magistratus, ad sustinendas pœnas propter improbitatem morum. Feruntur autem in

Scripturis hujusmodi sententiæ divinæ manifestæ contra eos, qui delinquunt.

Manichæus tamen amentissimus, ut dogma nequitiæ ingenitæ et blasphemiæ in Deum apud eum firmum esset, nullam partem gubernationis Dei prætermisit, quin eam calumniaretur. Videmus sæpe justos, qui deliquerunt, sub ditione, et potestate impiorum esse, ut sic castigentur, sicut cum generosus filius, qui patri non paret, a peregrino, et hospite verberatur, ut dolor plagarum, et ignominia verbera adhibentis delinquentem mutent : unum enim est ac solum, et verum, ut diximus, quod Deus ab homine in vita requirit, ut efficiat sapienti cogitatione, ne virtutem ulla ex parte offendat : quod quidem si attendat vel solum hoc, beatissimus sit, quamvis nihil aliud in vita habeat. Hoc igitur si in universo sermone de providentia commemoretur, nulla suspicio relinquetur de inæqualitate et perturbatione ordinis in iis, quæ Deo gubernantur. Si quis enim reperire posset, quod aliis laxata esset via virtutis piæ, et sanctæ, aliis vero clausa, videretur contra hoc caput bonorum esse in inæqualitate accusatio gubernationis. Sin vero id, quod solo potest quis vere beatus esse, omnibus æque communiter propositum est, ut possit esse compos ejus : quam oppressionem, aut inæqualitatem poterit quis objicere quamlibet accusandi cupidus? Quandoquidem habere plus bonorum externorum, rursus rationibus ad æqualitatem revocatur ; ut non minus, vel etiam magis delectetur pauper iis cibis, qui ei adhibentur, quam dives.

Similiter evenit in iis, quæ ad tegumentum corporis pertinent, quamvis viliora sint, sensum informant, quæ ei consueverunt apponi, ut nemo, quod plus est, sentiat ; sensu consuetudine hebetato : nec alius quod minus est ; quia propter consuetudinem non percipit sensu, quod deest. Hinc continuo fit, ut Barbari, quod majus est, nudo corpore

vitam degentes, et sine stragula veste cubantes, et asperis indumentis utentes, nunquam paterentur, ut relinquerent rationem vivendi gratam, ut qui propter consuetudinem, quid eis desit, non intelligunt : imo qui non possunt hanc relinquere, et potius, ac libentius desinerent recte valere, et mallent frigora, et ardorem solis tolerare.

XI. Atque ad vitam degendam, ac jocunde quidem degendam, nemo plus quam alius habet in vita. Communia sunt omnibus, quibus natura recreamur, accubationes, et epulares somni; communia alimenta, et eorum fructus, ac jocunditates, si quis prudenter præstantiam quidem eorum prætereat, usum vero sensu experiatur, et probet. Communes item sunt non minus exacte animarum, et corporum dolores; atque in his quidem magis reperietur exuperantia apud eos, qui in vita plus habere videntur. Quare cum hæc ita sint, ubi erit inæqualitas in gubernatione Dei, qui varietatem, non inæqualitatem in rebus nostris posuit? aliud enim est varietas sapientiæ, quæ in mundo decorem habet : aliud perturbatio ordinis in gubernatione. Si quis reperire posset aliosquidem homines natura ab affectionibus animæ, et corporis liberos, alios vero non liberos : rursus alios sine cibo viventes, alios cibo alentes vitam : ut alios qui nequitiam suscipere non possent, alios qui possent : item alios mortales, alios immortales, recte iste inæqualitatem gubernationis reprehenderet, et turbationem ordinis, quasi magis sortitione, quam ratione res nostras Deus procuraret. Sed si idem modus in ortu omnium, una et eadem naturæ educatio, et eorum, quæ necessaria sunt, sine quibus vita degi non potest, communis est omnibus ex æquo suppeditatio, finis autem omnium unus, et solus, cum appareat summa æqualitas in omnibus; vel cæcus prorsus est, qui Dei providentiam tanquam non ordinatam accusat, vel oculis malevolis, et inimicis res aspicit, et ob eam causam non

est dignus fide. Etenim si perturbatio ordinis in varietate inest, decorum varietatis, quod sapientem artificem magnopere decet, reprehendit iste. Pergat etiam improbare varietatem colorum, et diversitatem ac differentiam ciborum, ac potionum, quæ mirabiliter sensus recreant eorum, quibus adhibentur.

Hinc profecti sunt miserrimi homines, qui ad defendendum fatum videntur sibi confirmare malum inæqualitatis duobus principiis introductis : ostensum tamen est prudentibus nullam in rebus nostris inæqualitatem esse.

Quia vero bella etiam assignant, et attribuunt nequitiæ, quomodo varia fata, ipsorum opinione, multorum aliquando millium in unum tempus, imo in unam horam incidunt? an unum fatum conciliat hos, et copulat inter se? annon est ridiculum existimare hoc? Ex quo fit, ut inæqualitas fati, quæ est gravis morbus errantium, locum in rebus non habeat. Bella autem principium sumunt ex avaritia : geruntur autem permissu Dei: malum enim horum est ipsa causa, id est, cupiditas, quæ avaritiam parit; quod quidem malum ab hominibus, non a Deo proficiscitur, ut in iis, quæ prius dicta sunt, patefactum est.

XII. Mors naturæ est non mala; ortus et mors natura sunt a Deo sancita. Non quidem ut pereant, qui moriuntur, sed ut apponantur iis, qui sunt. Non enim esset boni, solis hominibus, qui sunt, largiri ut sint, et nati sint; sed etiam eos, qui non sunt, creando adjungere ad eos, qui sunt : ut qui sunt nati, curriculo vitæ satis emenso, ut a cursu requiescant, mortem accipiant; non quæ eos ad pereundum ducat, sed quæ alio singulos pro dignitate transferat, et qui non sunt, aditum habeant ad capiendum ortum. Mors igitur lege naturæ sancita, non est mala, quocumque modo accidat : nec enim inquirendum est de variis casibus, propter quos accidit. Unus modus communis omnibus cognos-

cendus est, qui est discessus animæ a corpore, non sine casu quodam, et necessitate : sed expectandum est, quandiu domicilium naturale durat, et non dissolvitur; cum hoc tamen naturali domicilio et communi simul inest quidam metus, qui quidem necessario de suspecto supplicio suscipitur : non tamen ab omnibus, sed ab iis, quibus mens est prompta, et facilis ad peccatum, ad hujus enim aversionem metus ille suscipitur. Qui enim degit ex virtute, is quidem peccare desivit, et non opinatur duram esse mortem. Qui vero deditus est peccatis, eadem imprudentia, qua peccat, mortem timet. Necessarium tamen est, ut hanc imprudentiam hic metus consequatur, ut qui timebat id, in quo non erat timor, vere timeat, quod timere oportet, damnum, inquam, ex peccato. Quia igitur gentes peccatis redundant, quorum species una est insatiabilem esse, ipsæ sunt sibi causa supplicii, id est, mortis, quod quidem dictum est, non esse vere supplicium, quod natura est omnibus definitum : beneficio autem afficit eos, qui in bello cadunt, et eos, qui evadant incolumes; illis quidem finem peccandi affert, his vero exemplum timoris proponit. Afficit autem beneficio, licet justi cum multitudine vulgi a vita recedant : sicut enim injustis mors est finis injustitiæ, sic justis tanquam victoribus quodammodo est initium coronarum.

Unde hoc per providentiam sapientissimam admirabile evenit, ut quod videtur punire, beneficium fiat. Non dico videri punire per ea, quæ Deus haud dubie facit, quæ acerba, et aspera videntur, sed per ea, quæ hominibus transfugis permittit. Quamobrem bellum istorum non est opus Dei, sed permissio necessaria. In speciem quidem ad puniendum peccatum, vere autem ad imponendum finem peccato; ubi quamvis justus, (justum autem bellare non decet) majus beneficium accipit : majus enim est percipere fructum laborum virtutis, quod piis post mortem contingit,

quam desinere peccare. Qui autem contra hæc disceptant, priusquam probent bellum esse ex omni parte malum, partem ejus accusant. Si enim bellorum originem ex nequitia per se existente, et ex principio ingenito duci dicunt, oportebat eos ipsam mortem, et quidem solam vituperare ; supervacaneum enim est causas bellorum excutere et inquirere, cum quod necessario accidit, in id judicium non cadat.

XIII. Quomodo autem possunt mortem malam dicere, quæ ut Manichæus faciliter tradit, animam a materia liberat? Quare communi omnium sententia nequaquam malum est mors; quod enim necessario omnibus accidit, non est malum. Inaniter autem mortem, quæ propter bella accidit, accusant; quæ nihil amplius affert, quam quod secundum naturam constitutum est. Si quis vero ipsam causam bellorum malam esse dicat, sive ira sit, sive inimicitia, sive avaritia, non aberrabit a recto, et decenti. Tribuendum tamen est hoc hominibus pravo animo affectis.

Quod autem mors mala minime sit; illa etiam ratione, et via probari potest. Si enim mors non omnibus definita, et decreta esset, accideret ut justus semper laboraret in studio virtutis, nullum fructum percipiens, præter sudores: et injustus in voluptatibus peccatorum immortalis degeret: esset que utrumque valde absurdum. At mors injustam voluptatem delinquenti reprimit, et cohibet : et justo labori quietem affert. Etenim quia necessarium est homines posse peccare, id quod est causa, ut possint ex virtute vivere : potestas autem a Deo data ad comparandam virtutem, apud majorem partem hominum ad facilitatem peccati declinat, ut admirabilior sit virtus difficultati admixta, utilis est utrisque mors, justo, et injusto : illi quidem quietem a laboribus affert : huic vero peccatorum finem.

Si igitur mors bona est, et non solum non mala, ut ostensum est, et non solvit animam, ut Manichæus opina-

tur, a materia quæ non est : sed eo modo, quem diximus : quare principium nequitiæ in bellis excogitabimus? et non potius solum injustum animum, ac voluntatem accusabimus? Quod enim inde evenit, quod quidem providentiæ Dei assignabitur, justum; non ex bello solum, sed quocumque modo mors accidat, universe bonum esse natura, in superioribus conclusum et confectum est. Quare bellum est accusandum, non mors, quæ inde accidit, quæ utiliter constituta est, sed animus ac propositum non juste bello utentium, cujus non est auctor, qui res nostras procurat.

XIV. Rursus est aliud genus eorum, quæ Manichæus dementissimus accusat : terræ motum dico, pestem, famem ex sterilitate, ex locustis et aliis hujusmodi, tanquam a principio contrario hæc proficiscantur : sciunt vero omnes solere plerumque omnes homines, paucis exceptis, in rebus lætis, et prosperis laxare mentes, et affectionibus succumbere, nullamque virtutis, et laborum pietatis memoriam habere, atque hoc quidem quodammodo consentanee accidit. Postquam enim satietas ciborum et potionum immoderata propter magnam ubertatem hominibus incidit, ventre pinguiore facto, crassitudo mentis et remissio cogitationis accedit : anima autem gravata subjicitur affectibus a ratione alienis. Si qua vero calamitas ex iis, quas numeravimus, accidat, minus curant ventrem homines, minusque voluptatibus inserviunt : temperantiam autem, et pietatem pro virili consectantur, et quoad fieri potest, meliores mores induunt, pressi magis, quam secundis rebus lætificati. Quæ igitur nequitiæ attribuemus opinione Manichæi? illa-ne, quæ sensui quidem acerba sunt, effectu vero valde utilia? Quæ rursus bono? jucunda-ne, quæ quandoque nocentissima sunt? sæpe enim, quos prosperitas ad meliorem frugem non mutavit, luctus, et calamitas con-

verterunt; indigent enim homines quandoque hujusmodi admonitionibus ad excitandam mentem, et ut a multa mollitudine liberentur.

Si enim videremus secundis rebus florentes, a magnis saltem injuriis abstinere, et parva maleficia committere, posset aliquis cum ratione in hæc invehi, tanquam contra rationem acciderent : sin vero abundare semper necessariis, oblivionem summam largitoris affert istis : necesse est, ut aliquando calamitatibus memoria Dei excitetur : cui oportebat sine intermissione gratias agere pro nostrarum rerum providentia, et procuratione. Unde admonens Deus homines, talia dispensat, ac gubernat, non perturbationi iræ inserviens, sed curam amplectens eos convertendi, quos opus est convertere. Nec enim excellentissimæ, et perfectæ erga homines charitatis esset, humanas ægritudines præ lenitate extenuare, et incrementum eis permittere non increpando. Quin potius contra, ad inhumanitatem hoc spectaret, si cum vellet non recedere ab ea lenitate, quæ speciem tantum habet, insidiose permitteret in dissolutionem nequitiæ omnino homines decidere. Dico autem lenia præbere ratione, et ea, quæ acerba putantur, necessario infligere. Nec enim pater cum filium delinquentem verberat, inhumanus est : contra potius, si hunc ad conversionem non traduceret, paternam providentiam ac misericordiam habere non videretur. Nec enim medicus cum secat, et urit ulcus serpens, inhumanus est : imo quanto magis rationem artis adhibet, tanto magis, ut ægrotum sanet, dolorem et severioribus remediis inducit; tanquam interiturus sit æger ab ulceribus, nisi hoc modo auxilietur ei : sanandus vero, sectione, et ustione adhibitis.

XV. Quamobrem, ut hoc exemplum docet, homines potius quam Deus sunt, qui aspera, et acerba sibi inferunt, qui usum, et opportunitates temporis proposito proprio

per affectus suos præparant : sicut enim medicus non facit, ut opus sit urere, et tempus urendi, sed ulcus, et medicum adducit, et ustionem vocat : sic humanæ affectiones Deum accersunt ad ea adhibenda, quæ ad curationem pertinent : qui minime patitur, quin hominibus semper tanquam operi suo provida cura prospiciat. Commisit enim hominibus ut haberent liberam electionem virtutis, ac probitatis. Quod tamen in nobis est infirmum ad affectiones, fulcit, ac firmat per ea, quæ interdum ad admonendum, et increpandum manifesto adhibet; neque perpetuo quæ austeriora, et acerbiora sunt, inducens, ut necessitate, et vi mœroris libertatem non excludat : neque rursus relinquens nobis appetitum segnitie omnino solutum, ne anticipationes affectionum sine curatione dimittat ; utrumque sapientia ineffabili ad utilitatem hominum dispensat, et moderatur, qui uniuscujusque tempus opportunum novit.

Statim ut videris terræ motum, aut siccitatem, aut incursionem locustarum, simul sane omnes fere homines videas ad metum flexos, et ad supplicandum ei, qui potest hæc depellere. Si autem ea, quæ videri solent jocunda, et placida, humanam rationem laxam, ac remissam reddunt ; molesta vero et acerba excitant, et ad statum magis pium convèrtunt : annon dicat aliquis illa quidem pro corporibus, hæc vero pro animis a Deo gubernari? Num igitur quæ animas ad pietatem, et virtutem commovent, appellanda sunt mala? etsi enim sensui sufferentium molesta sunt, et tristia, ad salutem tamen hominum necessario infliguntur.

Manichæus vero demens semper se secum pugnare ignorat. Etenim si accretio materiæ nocet, quis non sentiat, contra quam dicit, accidere? Augebitur enim hæc contra homines, qui semper in rebus lætis, et secundis sunt, et deliciis indulgent, et ventri, et voluptatibus infra ventrem

deserviunt : minuetur vero vehementer fame, peste, morte, quæ non permittunt proficere eam ad injustitiam accretionis. Quamobrem consentaneum erat, ut hæc potius vocaret bona, convenienter suo fundamento, et principio, quam mala ; sic enim meliorem rationem videretur assecutus quam si rursus ratione referens jocunda ad alia contraria principia, rursus mala vocasset; utraque enim sunt bona ratione a Deo data. At ille gaudens peccato ad constituendam et conflandam nequitiam, per se, ut opinatur, consistentem, dolorem capit ex monitionibus Dei efficacibus, quibus meliores facti homines, et sæpenumero aliqui perfecte ad virtutem traducti, dogma ejus falsum esse declarant.

Ad hæc omnia, si non accideret aliquando, ut quæ Deus communiter omnibus hominibus donat, et largitur, prohiberentur, largitionem eorum, ac suppeditationem ad vim alicujus naturæ immutabilis homines retulissent, neque cum acciperent, gratias largienti egissent, neque habentes, unquam petiissent.

Privantur igitur interdum ad breve tempus, ut petant : et rursus accipiunt, ut gratias agant ei, qui dat : agnoscentes ipsum esse, qui præbet, et non alia quæpiam natura suppeditans præter Deum, expers judicii et immutabilis. Vult autem Deus, ut ei gratias habeant homines, quo digniores fiant, ut dona ejus accipiant, non ut ipse fructum aliquem sibi metat. Vult autem eos bona petere, ut accipientes ea, cum sentiant, qui suppeditat, qui lætatur dandis suis; sed magis lætatur, cum dat dignis; tanquam benignitas erga homines quodammodo inhonorata sit, nisi gratis et benevolis hominibus exhibeatur, quæ valde rationi consentanea tunc apparet, cum ii, qui bona accipiunt, omnibus bonis largientem præponunt.

XVI. Et si civitates concidant exorta impietate, sicut

nuper contigit, cum ille impiissimus dominaretur, et errorem idololatriæ recoleret, ac renovaret, peccatum interimitur, et error in Deum minuitur; nihil vero amplius accidit, quam mors secundum naturam, et quod fit ad divinam conversionem, nequaquam malum est, sed contra potius bonum est, tanquam speciem medicinæ habens; malum vero tantum est, utilem Dei gubernationem improbare. Qui enim procreationem liberorum reprehendit tanquam augentem materiam, cum mortem universam improbet, an humanam mentem habere videtur, valde sibi ipsi repugnantia cogitatione fingens? At neque procreatio mala est, quæ facit ut genus mortale semper vivat, et adjungit ad fabricam mundi eos, qui procreantur; neque mors, quamvis universe inferatur, mala est : nec a Deo constituta, ut homines jacturam, et damnum faciant, sed ad utilitatem summam justis et injustis decreta est.

Quod autem unicuique privatim accidit naturaliter, hoc si multis confertim adveniat, naturaliter quidem contingit, nihilque amplius est, quam quod singulis contingit; sed tanto magis curam gubernantis, quam illud, quod privatim accidit, significat, quanto in illo privato minus indicii est judicii divini in delinquentes. Hoc autem generalius propter speciem, quam habet divinæ iræ, morientes quidem beneficio afficit, sicut ante explicatum est, viventes vero convertit.

Si quis vero objiciat, quamvis multa hujusmodi sæpenumero fiant, nihilominus tamen humanam vitam eisdem maleficis implicatam esse similiter; hic quidem judicio meo facit, ut si quis pisces in lacu, aut mari videns, existimet artem piscandi otiosam, et inutilem esse, quia pisces captos non videt, natantes in aquis videt : aut perinde est, ut si quis multos ægrotos cernens, curationem medici nihil esse arbitretur.

Cum enim multi proficiant ad pietatem et virtutem, illis

pertimescendis, quæ Deus aliquando sua gubernatione operatur : qui criminandi studio tenetur quod perfectum est negat, et quod multi in peccato perseverantes contendunt, exprobrat.

Atqui neque nos dicimus habere talia vim cogendi multos, sed dehortandi a peccato gratos, et benevolos, quæ ad breve tempus invecta, celeriter quiescunt, ne magis vim afferant, quam suasione mutant : rursus vero, quæ erant in consuetudine, exercentur, in quibus animus et voluntas eorum, qui mutati sunt, spectatur, et exploratur, ut ii sola memoria exemplorum infirmitatem suam fulciant, et stabiliant, qui sunt grati, et æqui. Imo vero potius dicendum est, si cum talia contingant, pauci quidam, et valde rari sunt, qui vitam mutant, annon multo plus ad nequitiam cogitatio hominum profecisset, si per hæc, quæ accidunt, non fieret a peccatis avocatio?

Quod si nullus hinc utilitatem caperet, quod quidem fatuum est dicere, præstaret reprehendere homines, qui nec hoc quidem modo juvari volunt, quam culpam negligentiæ in Deum transferre, quasi non amplius studio convertendi utentem : qua ratione utendum est in eos, qui nullum sensum talium capiunt. Est autem compertum iis, qui sunt grati et æqui, non solum aliquos ad perfectam mutationem in melius capiendam metum impellere, sed aliis etiam appetitum, et audaciam ad injustitiam occulte imminuere.

XVII. Veniamus deinceps ad rationem creationis, quam iste planus calumniatur : ac primum de tenebris, et nocte inquiramus, quod potissimum iste mente cæcatus vituperat : tenebras enim, quæ in nocte apparent, illarum tenebrarum, quas Manichæus cogitat esse quasi per se sint, intelligit esse indicium, ejus scilicet, quod non est : nihil penitus videns, nec intelligens, sed ad instar cæci hominis in res ipsas offendens, et incurrens : vocatque tenebras,

et veluti horret, ut non opus habeat disputatione, ut falsitas doctrinæ ejus argumentatione concludatur, ut qui nomen rei e se ipsa vituperatæ usurpet. Dicendum ergo est, vocari quidem has tenebras, non tamen secundum substantiam existere : adveniunt enim, et recedunt quotidie, suntque consequentes in modum umbræ : non sunt enim creatæ per se, ut substantia, nequaquam; mundo autem creato, est umbra. Nascitur enim homo, qui per se est, sequitur autem eum umbra secundum molem corporis, et neutiquam cum eo ipso fabricata est, sed advenit ut situm et locatum est corpus, et ut est luminis circuitus, et conversio. Siquidem nox, et tenebræ, cum sit mundus corporeus, solummodo sunt consequentes, non autem sunt fabricatæ in modum substantiæ creatæ.

Cum enim sol diurnum cursum absolvit, et vertitur ad recessus proprios, necesse est ea, quæ sunt intra mundum, omnia inumbrari, cum sit extra quod illuminat, sic Deo volente; causas, cur ita voluerit, paulo post pro viribus dicemus. Illud statim dicendum est, quæ habent molem corpoream interdiu in contrariam partem luminis positi umbras jacere, et transfertur simul cum lumine in contrarium umbra : et ubi est usque ad meridiem sol, ibi est post meridiem umbra. Ubi autem umbra post meridiem, sol est post hunc : umbra vero diurna umbra est, et non omnino tenebræ : quia quod continet cum sit undique apertum, locis etiam quæ umbram habent, præbet luminis participationem. Itaque si domum quampiam ex omni parte bene claudas, et neque vel angustus aditus lumini relinquatur, noctem efficies etiam in meridie. Hoc autem fit in nocte, sole loca sua ambiente, et circumeunte. Unde nox est privatio luminis. Potest autem hoc, quod fit, clarius percipi, si quis considerat alicubi esse et manere noctu solem, interdiu vero nusquam esse tenebras, sed penitus

dissolvi, et tolli. Quare substantia luminis facta est, non autem tenebrarum.

XVIII. Considerandum vero est, quam sit necessaria nox. Primum, est communis requies omnibus : somnus enim diurnus magis necessitatem noctis declarat, cujus quidem tempus tam longum non sufficit hominibus, ut a sensibus requiescant, et diurnum somnum capere non æqualiter omnibus licet : in nocte vero communis est omnibus et æqualis mensura ad requiescendum, nullam inæqualitatem habens ad avaritias vitæ, et plus habendi cupiditates. Quod quidem non minus æqualitatem Creatoris testatur, tanquam uni generi hominum æqualiter prospicientis. Deinde, si semper esset dies, et spatio diei non succederet nox, non possemus metiri tempus non divisum in partes. Divisio autem diurni temporis facit, ut liceat tempus per has particulas numerare. Nisi autem tempus discerneretur, in multis rebus non posset hominibus ratio vitæ iniri, et constare : et quod majus est, non esset voluptas luminis fruendi, si non essent tenebræ nocturnæ in proximo eo modo, quem diximus. Lumen enim corporeum continuum neque quod lumen esset, cognosceretur : lumen enim dicitur, et est, ut a tenebris distinguatur. Non igitur esset, ut esse apparet admiratione dignum a Deo creatum, nisi comparatio ejus, quod videtur contrarium, illud ostenderet.

Quamobrem oportet gratias agere Deo sapientissimo creatori, cum propter alia multa, tum maxime quia fecit, ut lumen sentiremus, et eo frueremur, quod quidem esse non aliter discernere potuissemus.

Est autem obstupenda ineffabilis Dei sapientia, quod cum tot, et adhuc plures necessariæ hominibus et oportunæ utilitates ex tenebris existant, tamen quia erat nomen et res tenebrarum, non fecit eas secundum substantiam, sed

fecit, ut venirent, et recederent : ut quasi essent ea, quæ diximus, et adhuc plura commoda præberent : et quasi non essent, minime mundi fabricator accusaretur. Extra culpam igitur et querelam est nox, quin potius usu est omnibus modis mirabilis.

Sed aiunt latronem noctu latrocinari. Sed quid hoc contra noctem? si enim non contingeret de die latrocinari eos, qui latrocinari volunt, oporteret tempus nocturnum accusare. Sed quia latro opportunitatem furti expectat, sive die, sive nocte incidat, animus maleficium facientis, non tempus est crimini dandum : verumtamen si maleficus nocti pareret, dormiret sane; hoc enim solum nox jubet.

XIX. Præterea considerandum est similiter inter se contraria videri, lumen, et tenebras, veritatemque et mendacium. Quod enim est lumen corpori, hoc est veritas animæ : et quod tenebræ òculis, hoc ignorantia et mendacium menti. Homo enim nihil aliud est quam anima, et corpus. Utrique parti suppeditat Deus, corpori lumen : per corpus enim lumine corporeo fruitur : per animam vero veritate spirituali.

Sicut autem non sunt tenebræ secundum substantiam, solum autem eas advenire permissum est, sicut ostensum est, sic etiam mendacium non manet ab aliqua substantia per se existente, quam ille principium ingenitum vocat, neque est substantia quæpiam per se existens, ac vivens. Sed sola cogitatione esse, concessum est, et advenire, atque recedere similiter in tenebras, idque valde utiliter, et necessario; nisi enim cogitatio mendacii esse posset permissu Dei, veritatis optio non esset in hominibus : spectata, et probata, frustra nominaretur, nisi permissum esset, esse mendacium cogitatione. Nemo enim esset amicus veritatis, nisi potestatem haberet cogitandi mendacium.

Non dico esse mendacium adjunctum veritati, sed quod optio veritatis non videretur esse, nisi potestas mentiendi adjaceret; quod quidem veracibus prodest, non veritati. Oportet enim eum, qui verax est, ut penes eum sit mentiri, a quo cum abstinet, verax est. Posse ergo mentiri affert hominibus, ut veritatem mendacio anteponant. Sicut positæ tenebræ, sensum luminis movent, et excitant : tamen sicut lumen in tenebris lucet (dissolvit enim eas adveniens, quippe cum non sint secundum substantiam) sic veritas vincens mendacium, omnino convincit, quod non est, cogitatione esse propter potestatem cogitationis, id est, quia cogitari potest. Quomodo enim potest quis veritatem eligere, si suscipere mendacium non est penes ipsum?

Si igitur ostendi posset esse tenebras secundum substantiam, et non advenire, et recedere, sicut dictum est, poni etiam posset falsa, et mendosa substantia. Sin verò, nec ille, nec alius ostendere potest non dissolvi has tenebras, quæ ad instar umbræ fiunt, ut lumen quidem noctu existat, tenebræ vero interdiu non sint; liquet neque mendacium, quod cum tenebris similitudinem habet, per se existere instar substantiæ, sed necessario permittit, ut cogitatione tantum sit, idque ad electionem veritatis.

Quia vero lumen secundum substantiam per sé extitit, plane existimare licet esse veritatem per se secundum substantiam, ut similitudinis ac proportionis ratio limate, et perfecte servetur : ecquid prohibet, quin Deum ipsam per se veritatem esse existimemus, et reputemus? Sic enim Deus est lumen; lumen autem intelligibile, non aspectabile, lumen scilicet sicut veritas, lumen enim spirituale nihil aliud est, quam lumen veritatis; Deus tamen, cum lumen, et ipsa per se veritas sit, a mendacio abstinet, non quia deficit ei potestas, sed quia non vult unquam mentiri. Si

autem non potest, non enim absurdum est sic loqui, ideo non potest, quia nunquam vult.


Quibus enim velle et non velle diverse accidit, recte et rationi convenienter his attribuitur posse : Deo autem quoniam nunquam accidit velle, confitendum est non posse eum mentiri; sic tamen, quia scilicet non potest velle : non autem quia non potest ad instar ejus, cui est infirmitas, et potestas : creaturam enim impediri, et constringi natura : lumen, inquam, corporeum non habere penes se, ut sit lumen, sed penes auctorem luminis esse, non est alienum a ratione sic dicere; auctorem vero subjectum esse necessitati naturæ, valde absurdum est cogitare, ut non videatur penes ipsum esse verum dicere, sed a natura per vim cogi; cum alioqui ipsum solum sit, quod quidem est. Iis tamen, quæ creavit, imposuit, ut natura et necessitate essent, quod sunt. Deo tamen nemo imposuit, ut necessitate naturæ esset veritas. Supra naturam igitur est, qui naturas fabricatus est; ipse autem liber est a necessitate naturæ : sic enim vere bonum esse confitebimur.

Igitur ex iis, quæ dicta sunt, patefit per se mendacium non esse : mendacem vero esse eum, qui mentitur; a mentiente enim vocatur mendacium : non autem mentiens vocatur ab eo, quod non est. Mendacium enim non potest esse antequam cogitetur, similiter tenebræ non sunt creatæ, sed subierunt, factæ umbra universi; præterquam quod tenebræ non solum subire permissæ sunt, sed valde etiam utiliter. Cogitatio vero mendacii electionem veritatis apud homines declarat. Cum vero anteponitur veritati mendadacium, nocentissimum est, idque valde consentanea; mendacium enim ab hominibus excogitatum est, tenebræ vero corporeæ a Deo positæ sunt. Idcirco oportet illud quidem fugere; hoc vero non vituperare, quod necessario a Creatore positum est.

XX. Vituperat autem non has solum iste inauditæ contra Deum blasphemiæ inventor : sed etiam animantes, quæ naturam sævam sortitæ sunt a Creatore, more inimici, qui omnia accusans, in creaturas Dei invehitur. Sed blasphemiam amentem, et vecordem istius deceptoris in hujusmodi animantibus sermo noster redarguet.


Omnes enim feras, ac bestias, quadrupedes, ac serpentes cum vituperat, perinde mihi facere videtur, ut si quis servus deditus peccatis, et improbissimus alia quidem Domini, et auctoris sui approbet, odio autem habeat, et criminetur flagellum solum, quod apparet, qui ipso quidem odio ostendit, quam necessarium sit flagellum appositum; homines enim faciles, et parati ad capiendam oblivionem contra Deum, si nihil haberent in fabrica mundi, quod dignum esse metu appareret, amplius quidem procederent animo, et voluntate contra Deum; accusati vero essent non recte, utpote nulla re earum, quæ apparent excitati. Etsi enim natura inest nobis libertas ad eligendum quod melius est, tamen propter ignaviam facile in oblivionem incidimus. Multa igitur sunt, quæ necessario cogitationem nostram ad Deum timore excitant : sicut rursus plurima, quæ hanc cogitationem per benignitatem, et bonis fruendi copiam et facultatem ad agendas gratias Creatori movent : utrisque enim erudimur, et instruimur iis, quibus tanquam bonis fruimur : et iis, quibus tanquam horribilibus et pertimescendis convertimur.

XXI. Quod igitur sævum est natura, horribile est, sed non malum : malitia enim et nequitia affectio cogitationis sunt. Appetitus autem naturalis sic factus, ab omni culpa, et crimine liberatus est. Deus autem misericordia erga homines motus fecit, ut metu et horrore bestiarum ratione carentium, probitatem, quæ ad patrem rationis compotem pertinet, consectaremur : et nihil in hujusmodi



bestiis, ac feris malum; quod enim non novit, quod est, quomodo malum est? ut jam non minus sic redarguatur, quod Manichæus tradit de nequitia, quam finxit, et ingenitum principium vocat: non enim tribuit ei cogitationem, et cognitionem nequitiæ, ne si reperiatur habere sensum boni, hac ratione appareat, non esse nequitia: cognitio enim boni testimonium est naturæ non malæ. Manichæus vero, cum nequitiam statuit, ratione carere, et cognitione privatam esse, eam etiam privat cognitione ejus, quod ipsa est.

Si enim sentiat, et cognoscat, quod mala est, sentiet omnino contrarium evadens bona. Siquidem malum ratione deprehenditur sensu et comparatione boni, ut si manifestum sit malum, contrarium quoque sit manifestum: omne enim contrarium probatio, et index est contrarii, cognitione tamen et judicio. Sine cognitione enim neutrum est alterius indicatio. Si igitur nequitia se ipsam ignorat, et cogitatione non suscipit malum, non erit nequitia; frustra, et vane accusabitur: nequitia enim libera a ratione, similis est phrenetico, id est, furioso in febre, aut alio casu, qui, quod facit, nescit, cui omnes ignoscere consuevimus: ac magis quidem ad luctum flectimur, a nequitia eum liberantes: cum sine causa percutit, aut etiam occidit, si gladium reperiat. Sic omnibus hoc manifeste patet: et hoc judicium commune est ac naturæ consectarium, non nominare malum, si ignorat quod facit. Si igitur neque id, quod cognoscit, bonum necessarium vocabitur, sequitur neque id quod se ipsum et quid sit, ignorat, nequitiam esse, quorum alterum neque ipse admittit: alterum vero per errorem, et contra communem existimationem statuit. Sic neque fera ulla mala est, cum sit rationis expers: homo vero male moratus malus est, qui ratione utens capessit quæ non ignorat; accessio enim rationis ad naturam ne-



quitiæ crimen inducit; præparat enim ratio cognitionem actionis susceptæ; privatio autem cognitionis privatio est culpæ, et criminis. Sic homo utrumque cognoscens virtutem scilicet et vitium, ab eo, quod elegit, nominatur; antecedit enim electioni cognitio, prius autem quam cognoscat, dum puer parvus est, a neutro extremo nominatur, id est, neque bonus, neque malus dicitur. Quamobrem ex omni parte liquet virtutem et vitium rationi, et post electioni attribui. Bestiæ igitur, quæ non sunt rationis participes, non sunt nequam, nec a nequitia productæ; quia si illa ita se habeat, non est nequitia.

XXII. Præterea videre licet sæpenumero, quod est in serpentibus nocentissimum: venenum dico a medicis absolutissimis ad medicinam adhiberi; et mixta cum iis, quæ possunt auxiliari, gravissimos morbos interdum depellere: et ex ipsis carnibus, aliis generibus, et herbis admixtis optimum remedium corporibus confici. Similiter in aliis bestiis quædam enim partes, et membra, et sanguis, sola ac per se ægrotantibus conducunt. Quomodo igitur sunt ex nequitia, quæ ex parte sunt utilia, et juvant? Hæc igitur omnia ducenda sunt utilia, propter homines tantum: non autem appellanda sunt bona, neque mala, quæ hominibus tantum necessario metum injiciunt, ut ad melius institutum se convertant, et otium bestiarum, atque vocatio earum a vocando, apud homines otium, et inertiam prohibet; sunt enim posita ipsa instar flagelli apparentis in domo, ut metuant famuli, ac ministri, si quis eorum se dedat otio, aut si quis domi delinquat. Si vero contingit videre has, quas diximus, bestias nihil nocere improbis, admiremur in Domino tolerantiam malorum. Nihilominus tamen considerare oportet flagellum propositum: contra vero si boni incidunt in has feras, advertendum est quod Dominus bono delinquenti prospicit, et cavet, non autem ei qui

valde desperatus est. Ille enim peccat, quæ curari possunt : hic vero reservatur ad supplicium, quod evadi non potest : hujusmodi enim exempla permulta in divinis Scripturis videre ac legere licet. Magna itaque cura est Deo de homine, quamobrem omnibus modis proposuit, quæ eumad timorem moverent, et excitarent, ut neque somnus illi a creberrima molestia liber esset, quin hic etiam a quibusdam feris, et serpentibus impeditus, cogitationem instar stimuli pungeret, ac multa quidem sunt, quæ humanam infirmitatem juvant, ut homo recordetur Dei, ejusque memoriam habeat. Mirifice namque per ea, quæ corpore patitur, a morbis animæ liberatur : et per ea, quæ pati posset, quamvis non patiatur, ad timorem convertitur. Incidit quoque homo necessario in morbos corporis, ut peccatum, gravissimum morbum et qui solus vere morbus est, effugiat : cui enim non dolet, intemperans est : et qui peccat impune, funditus perit.

Si enim tam multis, ac tantis, ad timendum propositis, ex magna parte homines ex vacuitate timoris ægrotant, quomodo convictum, et societatem inter se habere potuissent, si nullus eis metus ante oculos impenderet ? Mollit igitur duriorem mentem morbus : et sæpenumero naufragium mercatores perjuriis assuetos mutavit, et rursus inopia opibus elatum depressit : orbitas filiorum correxit avaritiæ propter liberos deditum.

Quod si non correxit, exemplum saltem sentientibus præbuit : ac liberi quidem nullam prorsus jacturam aut damnum fecerunt, quinimo benficium acceperunt ab institutione malorum parentum liberati : avaritia autem refellitur.

XXIII. Rursus alii cum parentes alioqui probos habeant, moriuntur, aut quia futuri erant indigni genitoribus suis, ne bonorum malæ columnæ extent; aut si probi quidem

sunt, evasuri tamen pravi mutatione morum, si crescerent; beneficio afficiuntur, non permanentes in malum suum, omnia Deo providentia et præcognitione sua gubernante. Admodum itaque necessarii sunt metus, et variæ atque infinitæ sunt causæ eorum, quæ Deus dispensat ac providet; et sæpe sæpius eadem propter varias causas eveniunt. Ille ægrotat propter peccata, ut convertatur: alius propter virtutem, ut magis adhuc exerceatur in testimonium; item alius propter nimium peccatum, ut arguatur: et ejusdem casus variæ etiam causæ. Ille amittit opes male eis usus, Deo sic illi prospiciente, ac præcavente; alius ut ad virtutem per inopiam se exerceat: alius sponte sua grave pondus divitiarum, abjicit ne sint ei impedimento ad virtutem. Neque facile quispiam perspicere potest absolutam rationem earum rerum, quas Deus gubernat, ut hominibus consulat. Pauca vero, quæ comprehensa sunt, fidem faciunt eorum, quæ non sunt. Quædam enim ipse declarat hominibus, ut quodammodo ex iis, quæ sentiunt, ascendere possint ad eum. Alia vero plurima obscuritate contegit, ne contra se fiat magister non credendi: nec enim decebat omnium, quæ sigillatim fiunt, demonstrationes a Deo poscere; siquidem hujusmodi cognitio difficilior, et pejor est quam ignorantia: hac enim ratione suadetur menti, quod addiscat: alioqui nihil eorum, quæ Deus gubernat, ad justam gubernationem referret. Melior autem est in Deum fides et charitas; et quamvis mens non perspiciat quæ fiunt, confidat tamen recte gubernanti. Siquidem in omnibus rebus adduci argumentis, et probationibus, potius esset perfidia, quam fides.

Imo plerique in veros, et germanos amicos non inquirunt curiose, legitimam, ac germanam amicitiam hoc ipso reddentes, quod cum amicis sine curiositate versantur: tanquam facile accusationem perfidiæ incurrentes, si nunquam post periculum factum ipsis confidant. Sic etiam Deus, cum

maxime velit, ut simus erga ipsum bene animati, non omnem providentiæ suæ vim et efficientiam declarat; vult enim, ut ei credamus : neque rursus omnem nos celat, sed quibusdam exemplis quodammodo mentem nostram sustentat.

Qui igitur animo grato, et pio sunt, simul sentiunt, et memoriam semper conservant, instar terræ bonæ satæ, florentes in studio virtutum.

Qui vero mentem habent magna gravitate consuetudinis peccatorum obrutam et oppletam, aut anticipatione aliarum contra Deum fictarum cogitationum quales Manichæus deprompsit, et quales apud alios reperiuntur; pulsatur quidem eorum mens, sed repellunt sensum exemplorum, et utilitatem.

XXIV. Atque hæc quidem adjecta sint generatim de providentia Dei universorum. Erat autem nobis quæstio de omnibus feris, demonstratumque est rationibus ex natura ductis, neque malas esse, nec ex ullo malo principio profectas, utiles vero esse hominibus ad incutiendum metum. Si enim quæ in mundo facta sunt, suavia essent, et hilaritatis plena, nihilque omnino esset, quod vel sensim perterrefaceret, grave et durum visum esset hominibus instrui ad non timendum.

Habent autem hæc etiam varietatis ornatum, et decorem cum terrore mixtum; præter hæc etiam continuo sunt alia animalia, quæ nec idonea sunt ad alendum homines, neque possunt præbere eis vestitum : neque rursus ferina sunt, et sæva, sed solum varietatem mundi complent : manifestumque est omnia animalia mansueta, et non mansueta, et quæ sunt interjecta, unius creatione, et voluntate permanere, nec a se ipsis vicissim interire, variis modis excellenter munita; alia enim prædita sunt invicto robore, alia vero infirmiora, velocitate naturali se tuentur; alia aliter armata sunt; et

quæ videntur armis carere, alia quædam forma munitionis tuta sunt: aut enim naturam volucrum sortita sunt, aut sub terra latent. Sic fabricator mundi ornatum confecit varietate: et redigens ad æqualitatem quæ sunt diversa, omnibus distribuit tuitionem sui, ut nullum genus horum imbecillitate naturæ proditum pereat. Ad commutationes temporum induuntur tegumentis suapte natura ortis, et pilis densis, ac duris coriis, quæ hyeme, et in æstu ad propulsandum incommodum idonea sunt, et quæ faciunt ut facilius recubent et requiescant, ut videatur suapte vi, et natura supposita eis stragula; ac partim quidem parum fæcunda sunt aut tanquam difficilia ad capiendum, aut tanquam diuturnæ vitæ; alia vero, quæ facile capiuntur, et ad utendum quotidie tradita sunt, fæcunditate sua durant, et servantur.

XXV. Alimenta vero aliud animal alia habet, atque omnibus abunde apposita sunt, ita ut nulla herba ex iis etiam, quæ mortiferæ videntur esse, natura sit mortifera; quod enim alteri generi nocet, alteri prodest. Salutare autem et pestiferum simul natura quomodo hoc esse potest? differentia autem his utentium varietatem, quæ in his inest, requirit, ut in animantibus ratione carentibus vestigium quoddam appareat rationis, legis scilicet ejus, qui ea creavit. Nihil enim horum ignorat, quod sibi cognatum est, neque propter naturam ferinam, et rationis expertem, quod pestiferum sibi est tanquam aptum ad nutriendum adhibet. Quia potius unumquodque, quod sibi commodum est, appetit, et prosequitur. Si enim omnis herba, et radix omnibus esset accommodata et congruens, minus patefieret, quod lex Creatoris etiam in animantibus ratione carentibus viget, et dominatur.

At vero esse hoc quibusdam nocens, aliis autem id ipsum salutare, clarius sapientiam Dei in omnibus prædicat; qua factum est, ut esset in animantibus ratione ca-

rentibus vis quædam naturæ, qua ea, quæ apposita sunt, discernerent. Quæ si naturaliter in singulis non inesset, merito, ac recte ea, quæ nocent, accusarentur tanquam a nequitia edita, et orta.

Sin vero in animalibus naturalis quædam vis discernendi, judicium præoccupavit, et unumquodque sibi conveniens eligit, omnis videlicet herba et radix utilis est, etsi non omnibus; varia autem sunt varie apposita.

XXVI. Hoc igitur modo Manichæi, qui omnia criminari studuit, refellenda et evertenda est accusatio herbarum pestilentium. Sic enim et contra ferrum, et contra ignem mentitur, faciens in his contra quam vult. Qui enim accusat materiam, quam esse inaniter fingit, rursus apparet tanquam defensor, et patronus ejus, eis succensens tanquam malis, qui materiam consumunt : ferrum autem, et ignis seminata sunt in terra ab ipso mundi auctore; inventa vero sunt ratione ab homine, id Deo concedente. Sine his autem penitus manca esset vita hominum.

Etenim si judicavit Manichæus nocentia esse, quia consumunt et interimunt corpora ferro et igni objecta, quanto magis apparebunt utilia et salutaria propter usum suum ad omnia necessarium. Si vero abdita sunt, et latentia in fabrica mundi, hæc autem a principio ratio hominis adinvenit, cui assignabimus rationem hominis horum inventricem? an nequitiæ et materiæ, quæ cognitionem non habet, ut Manichæus est auctor, an Deo? At perspicuum est sapientiam rationis et bonum esse, et munus boni. In quem suapte vi insiluit unquam ferrum, quod usui rationis tantum subjectum est, et omni arti servit, ac ministrat?

At occidit homo ferro, inquit Manichæus, et ad instrumentum accedit malum artificium utentis. Quasi non esset visum ferrum malum, nisi homo hoc modo ferro uteretur. Si enim vellet sicarius occidere, et ab ictu aberraret, an-

non liquet animo quidem rem perpetrasse, ferrum vero extra culpam esse? Sic quamvis ferro homicidium fiat, non est in crimine, et culpa ferrum, sed qui non secundum rationem usus est ferro ad secandum. Si autem ligno percutiat, aut cuspide feriat, aut propriis manibus strangulet, rursus hæc Manichæus appellabit mala, et omnia apud eum crimini potius dabuntur, quam cogitatio voluntaria.

Omnia enim, quæ dicta sunt cum ferro, neque bona, neque mala sunt; trahuntur enim, quo qui utitur, velit; quæ vero sunt posita instar instrumentorum, et deserviunt utenti; quæ si homini non essent tradita, nec artificia sic perageret, nec utilitates ex artificiis copiosas haberet; et quod plus est, minime exercitatio adhiberetur. Non habendo enim apposita instrumenta, quæ ad actionem virtutis, vel vitii accommodari possent, non haberet potestatem virtutem vitio præponendi, ut maximam jacturam fecisse videretur, et a maxima laude excidisse; si propterea videretur non admittere turpe factum, quia non habuit copiam eorum, quibus perficeret; quod enim omnino non agit, otiosum est, et inglorium.

Sed vide, inquiet, quod ex instrumentis provenit, magis necessarium accidit : mors enim non est inventa ab interfectore, sed a Creatore sancita est : et si quis studeat ferrum, et lignum, et lapidem, ignem et aquam, et alia ejusmodi tanquam malefica accusare, relicto principio instrumentorum, reprehendat et accuset id, quod ex instrumentis provenit, mortem dico, probetque non esse hanc a Deo decretam, et constitutam secundum rationem : atque ita postremo appellet mala, quæ male adjuvant mortem. Sed si nemo potest probare mortem esse malam, sed contra potius, ut copiose probatum est, utilem esse, annon supervacaneum est accusare, tanquam natura sint mala, ea, ex quibus mors accidit, quæ neque sciunt ad quæ sint adhi-

benda ab altero, cui tradita sunt, et ab omni culpa, et crimine sunt libera? cum oporteret hominem solum accusare, qui ea instrumenta tunc movet, cum non licet, neque convenit.

XXVII. Sic enim vere conclusum, et confectum est, nihil in fabrica mundi esse malum, solam rationem humanam, quæ necessario potestatem accipit, aliquando quidem peccare : peccantem vero ob id solum reprehendi, quia quod deterius erat, præposuit meliori : neque contra naturam posse aliquid novare, nec esse penes eum, ut quæ supra sunt, sint infra, sed solum facere ea, quæ secundum naturam sunt, quamvis accusetur facere præter rationem.

Sicut cædes mortem secundum naturam operatur, nihil amplius faciens, quam quod est secundum naturam, præterquam quod coarguit eum qui fecit. Rursus adulterium, et alia ejusmodi ob eam tantum causam accusantur, quia sunt aversa a ratione. Contra naturam vero a Creatore constitutam nihil penitus potest aliquid novi moliri, quippe cum lex ejus, qui naturam fabricatus est, sit, et maneat immutabilis. In ipsis vero, quæ naturalia sunt, peccata versantur nullam novitatem introducentia; solum arguunt, et convincunt facientem sponte peccare, ut qui non possit aliter ex virtute degere, nisi penes eum sit contrarium agere; quod quidem volens, et libens declinat, ut virtutem comparet. Est igitur summæ stultitiæ et insipientiæ, ferrum, aut lignum aut alia ejusmodi in crimen vocare, et non eum, qui his præter rationem utitur.

Si quis vero quærat quare occiditur homo? rursus dicendum erit, quod sæpius dictum est, quare igitur homo denique moritur? quod quidem si malum esse ostendatur, recte culpa in eum, qui constituit, redundat. Sin vero non est mala, permissio tantum ejus, qui res nostras procurat, inquirenda est, quare homo in hoc genus mortis incidit,

quæ non est secundum naturam mala, et continuo reperietur ex multis, ac variis causis accidere, quas enumerare curiosum fuerit.

Idem enim justo, et injusto diversis causis accidit, non ut justo sit damno : nec injusto, ut sit supplicio, et vindictæ, (non enim quod secundum naturam est, supplicium fuerit) sed ut sit exemplo aliis, vel ad prohibenda insanabilia. Multæque aliæ causæ sunt, propter quas Deus hominem occidi permittit : constat tamen nihil amplius, quam quod in natura decretum, et constitutum est, accidere; licet enim diversus casus accidat febris, satietatis immodicæ, aut contra exinanitionis ex fame, frigoris, æstus, aggeris, lapidationis, gladii, ignis, aquæ : at in his omnibus unum est, quod inde provenit. Ecquid hoc? id scilicet, quod a Creatore recte et utiliter in universo genere constitutum est.

XXVIII. Sic igitur, ac multis etiam aliis modis demonstrari potest nihil esse in fabrica mundi malum : neque quidquam in gubernatione divina, quod reprehendi possit, sed omnia inexplicabili sapientia facta esse, et providentia ineffabili gubernari, ut non sit facile eorum, quæ a Deo facta sunt, tum quæ suavia, tum quæ tristia et molesta esse videntur, rationem perspicere ac comprehendere : non enim, ut videtur, oportebat patere omnibus divinæ sapientiæ indicia, et mentem Dei, quæ nec explicari, neque comprehendi potest, omnino nudam, et apertam esse hominibus; quandoquidem plurima etiam hominis regis consilia interdum celantur, ut quod agitur, qua ratione fiat, ignoretur.

Quare non mirum est, si totius gubernationis Dei rationem non percipiunt, quos decet sine curiositate subjectos esse et silere, et minime contra divinam gubernationem dicere. Sæpe enim pudet nos in architectum peritum aut ædificatorem navis expertum, aut in fabrum spectatum

curiose inquirere, cum quisque eorum quod artis suæ est facit : quin potius experimento confisi, expectamus, ut opus videamus. Contingit etiam aliquando, ut lapsum eorum non sentiamus.

Quid dicemus de sapientia Dei, qui omnem mentem, et intelligentiam superat, quam quidem oportebat sive eam intelligentes, sive non intelligentes obstupescere et honorare? Si quis vero quia rationem multorum, quæ a Deo fiunt, non assequitur, decidat in absurdas de Deo opiniones, miserrimus et valde stultus, et insipiens est, hic ipsa cæcitate mentis suæ tanquam duce utens, ut Manichæus, qui insaniam sceleratissimam, contra eos, qui ei crediderunt, excogitavit : qui quia non intellexit, quomodo nostra Deus gubernaret, secundum principium ingenitum nequitiæ finxit, ut ab iis, quæ sunt supra, delaberetur : et ea, quæ infra, ut intelligeret non ei concederetur, ea in Deum universorum fingens, quæ patientiam ejus altissimam prædicarent; divisit enim ea, quæ Dei sunt : et eorum plurima ad nequitiam, quæ nihil est, retulit : omnibus modis in Deum blasphemus, qui ait opera bona Dei composita esse ex nequitia.

XXIX. Quid igitur diceret de principiis corporum, quæ quatuor elementa appellari consueverunt? quæ quidem contraria inter se sunt, et perfecte opposita; nullum autem horum potest quidquam per se efficere. Quid enim erit, scilicet ad generationem corporis, siccum sine humido? aut quid calidum sine frigido? Si igitur contrariorum conjunctio efficit corpus, quænam ille ex quatuor elementis referet ad nequitiam? aut quæ ad bonum? Si enim Manichæus in omnibus elementis mixtionem boni et mali cogitatione fingit, necesse est dividere quatuor in duo, et hæc scilicet æqualiter separare : vel tria in unum : at quodcumque referat ad bonum, reperietur posse per se nocere; quia

nullum ex quatuor elementis est purum, ac merum, et non periculosum; ac continuo quod in mixtione redundat, efficitur corpori causa interitus, ut aiunt, qui sunt in his periti, et exercitati.

Si ergo calidum quidem per se urit, frigidum vero refrigerat, siccum autem siccat, et humidum humorem efficit: quod horum Deo attribuet iste planus? ipsum enim corpus totum consentaneum est ex iis elementis mixtum esse, ex quibus compositum est, et per se existit. Ut autem unumquodque elementum sit ex mixtione eorum elementorum, ex quibus fit mixtio corporum, fieri non potest.

Quamobrem ratio non patitur, ut quodque singulare et individuum elementum in duo contraria principia dividatur, et mixtio cujusque eorum introducatur; quam enim compositionem excogitabit in sicco deceptor iste? quam mixtionem in mero, et puro igne? aut quam coagmentationem in frigido, quod ex toto frigidum est? Similiter quoque in humido.

Hæc enim unius formæ, et individua plane sunt: ut nullum horum per se possit existere, sed aliis junctum.

XXX. Insanit igitur et quidem gravissima insania, cum partem quidem ignis dicit esse boni: partem vero mali. Est autem necesse illi hoc facere in elementis, et dividere, quæ dividi non possunt: siccum enim ex toto siccum est, et per se siccitas simplex est, et unius formæ, et frigidum neque cogitatione dividi potest, cum sit unum ac simplex ex toto: similiter humidum, et calidum.

Quid igitur in igne erit Dei? et quid contra erit nequitiæ? quandoquidem neque divisionem recipit, neque mixtionem accepit, cum sit purum, et merum. Corpus enim dividitur saltem cogitatione: merum autem elementum quomodo ex contrariis compositum esse videri potest? quidnam contrarii cogitare quis potest in puro igne?

Si igitur unumquodque est ex toto periculosum, nullum eorum, per se secundum rationem Manichæi congruet bono, sed potius omnia referentur ad malum : præterea non erunt corpora ex altero composita, quod est alienum a fundamento Manichæi.

Quomodo autem videbitur ei in igne, hoc quidem esse salutare, quod est boni; hoc vero mortiferum, et urens, quod est mali, nisi insane fingat mixtionem elementorum, ex bono, et ex malo? quod quidem si putet, cogetur tribuere Deo, quæ volet ex quatuor elementis, quæ ex toto, et individue tali natura prædita sunt : et cernetur confiteri existere ex Deo merum, et per se nocens. Dividit autem insanus naturam ignis individuam, dicens aliud esse in igne salutare, aliud vero urens; non intelligens barbarus in usu ignis esse divisionem, non in natura ignis : hujus enim nimia propinquitas pernicies est : moderata vero distantia securam participationem caloris affert : cum alioqui ipsa vis urendi sola, quæ quidem est ignis, necessaria sit : hæc enim mollit, et liquefacit ea, quæ ad usum necessario adhibentur; ut nihil aliud sit ignis, quam vis ejus ad urendum : et nihil aliud necessarium sit ad hunc usum, quam hoc. Manichæus vero valde ingratus, et beneficiorum Dei immemor ignem vituperat.

Si quis autem ponat quatuor elementa, sicut ille opinatur, ad malum pertinere, quomodo hæc, quæ sunt singula unius naturæ, contraria esse videantur? Si enim calidum est ex ipso, frigidum ex altero; aut contra, si frigidum ex ipso, calidum ex altero, et sic rursus in alia conjugatione hoc fundamento posito, mixtio corporum fieri non poterit, Si vero ad excogitationem nequitiæ referat inventionem extruendi mixtionem corporum, sapientissima apparebit nequitia, quæ alioqui cognitionem, et intelligentiam non habuit, ita ut maximam Creatoris laudem, et admirationem

ferat, siquidem cognovit, quomodo per se existeret mixtio scilicet corporum.

XXXI. Sed quia solem honorat, et ut existimavit, decernit non habere mixtionem mali, age videamus de sole pro studio veritatis; videbitur enim esse unius ex quatuor elementis, substantiæ, inquam, calidæ : non enim nocet subjectis, sed solum calefacit, et juvat, quia plurimum distat : quibus autem appropinquat, urit, et tale solum sterile reddit, et in æstate cum in terram jacit radios puros in meridie, usque adeo eam calefacit, ut pavimentum nudis pedibus suppositum instar incendii sit.

Sæpe autem homines in flammam solis incidentes nimio æstu interierunt, non invento prope quod refrigeraret. Efficit autem nigra corpora, et adurit, facitque plane, quod ignis solet : imo ipse ignem fœcunde generat, si quis aquam in vase vitreo soli adverso admoveat : vis enim radii solis lucido illo aquæ et vitri coacta, et conferta, atque in angustum quidem transmissa, et adjuncta materiæ, facile ignem concipienti, simul parit ignem; et aperte suadet non volenti contendere, esse quidem solem speciem ignis, ex operibus vero splendidis ipsius creationis ipsum primum, siquidem natura ignis splendidior est omnibus.

Cum enim omnia alia elementa deorsum ferantur, solus ignis in ea quidem, quæ comburi possunt, insultat, sursum vero supra omnia fertur levitate sua, aëremque ipsum convincit graviorem esse, quia supra eum in sublime fertur, ut subtilior, tenuiorque appareat quam aër propter cognationem cum sole. Unde Manichæus cum solem facit divinum tanquam ex natura boni, videtur similem igni facere, imo talem quemdam, qualis est ignis, introducit. Sol enim substantiæ calidæ, ab igne differt τῇ θέσει; efficientia vero idem operatur, nisi mensura distantiæ ea, quæ sunt opposita a validiore jactu radiorum defendat. Quinimo om-

nibus animantibus, et stirpibus nocens existimaretur, nisi simul alia cum eo fabricator mundi ad auxilium fecisset, quæ faciunt, ne nobis, et aliis animantibus noceat; hæc autem sunt latibula, et tecta : stirpibus vero aquæ sunt auxilio, et flatus ventorum.

Quare qui definiunt esse quintum elementum solem, ne contra ea, quæ clara sunt, contentiose disputent, nec ulla fides habeatur Manichæo scelestissimo, et in Deum blasphemo, qui solem cum Deo confert, et ex substantia ejus esse dicit. Omne enim, quod sub aspectum cadit, cum sit corpus, natura oppositum est inaspectabili, et incorporeo, cujus opus esse potest, et quidem opus valde mirabile, similitudinem vero naturæ nullam habere potest.

Valde difficile esset enumerare quæcumque impia hic planus libris suis inseruit : vituperans enim res omnes tanquam malas, fructus etiam terræ tanquam nutritios materiæ accusat : ac solem quidem admiratur, et ex bono esse decernit; quæ vero alit calore, stirpes dico et semina, non pudet acerbe vituperare, quæ quidem sine sole, qui a Deo factus est, omnino non consisterent. Sicut enim nihil juvaret sol, nisi imbres arbores irrigarent, et utiles venti perflarent; sic imbres, et alia sine sole nihil juvarent.

XXXII. Ille igitur etiam hic vehementer secum pugnat, accusans graviter, et ad nequitiam referens fructus terræ a sole alioqui auctos, quem valde admiratur, et honorat. Imbres dicit esse superfluentias præsidum materiæ, qui ex amore laborant adversus potestates boni; qui cum ita laborent, sudores eorum esse definit, id quod in eis, ut ipse putat, abundat, et superfluit.

Nititur etiam docere supervacaneos esse imbres in mare, et in loca sola, et quæ non seminantur, effluentes; tanquam advenerit ad ratiocinandum diligenter contra Deum, quasi frustra, et profuse, ac prodige aquas consumat, qui præ

summa amentia non videt, quid Deum deceat. Quod si Deus inops aquarum esset, faceret diligenter ut accommodate ad usum, et necessitatem effluerent. Sed quia dives est, et tam dives, quantum nemo oratione consequi potest, hæc ipsa abundans imbrium effluxio demonstrat mare, ex quo aquæ in aërem feruntur per imbres, irrigare. Solitudo vero et locus, qui non excipit semen, necessario pluviam accipit ad suppeditandum fontibus, et aliquando iter facientibus, ut inveniant aquas collectas. Denique ut terra expers pluviæ sole arderet, non sancivit : ut plurimum enim aut per flumina, aut per imbres universa terra rorem a Deo accipit.

Sive igitur non pluat, præsto est Manichæus et qui eum sectantur, ad blasphemiam judaïcam : sive pluat, non desinit inaniter accusare, et reprehendere Deum ; et panem si in manus ad vescendum sumant, primum discipuli blasphemiæ Deum maledictis insectantur, atque ita ingrati satiantur, et quasi nihil fructus ex creatura perciperent, linguam soli in eam acuerunt, imo in auctorem ejus, et tanquam inimicissimi Dei, ea, quæ sunt creata, participant, idque succensentes, quod eis indigent.

XXXIII. Procreationem liberorum contumeliose vituperant, volentes, ut corpora sine ea miscerentur, qui servi quidem sunt necessariæ successionis a Deo sancitæ, sed non voluptatis ; inimici autem per omnia veræ et germanæ virtutis, ac pietatis, tanquam accusantes humani generis perpetuitatem, et volentes alicubi sistere processum ejus naturalem, sancientes legem Deo, et bonitati ejus succensentes, qua eorum blasphemiam patienter tolerat.

Cum alioqui naturalis quidam appetitus concubitus ob eam causam corporibus constitutus, et ordinatus est, ut animalia fere necessitate motuum naturæ ad efficiendam successionem ferantur, sapientia infinita Creatoris, qui hoc

statuit : etenim quia laboriosi sunt partus muliebres, laboriosæ item viris et fœminis educationes liberorum, valde autem necessariæ successiones ; appetitus quidem naturaliter movet, et quodammodo vim adhibet, ratio autem sancte demonstravit præstabiliorem esse successionem voluptate ; et extra culpam est voluptas corporum, siquidem rationem, et legem Auctoris sequatur.

Qui autem sæpius voluptatem capientes, opus quod inde necessario provenit, odio habent, et mandant sic commiscere corpora præter edictum, ut conceptus concludant, et ejiciant, et partus tempestivos et maturos non expectare, quippe cum hoc solum sit grave, et difficile, hi, inquam, qui inimici naturæ excitati sunt, et insanire contra Deum universi didicerunt. Quare, inquiunt, insita est corporibus libido corporum commiscendorum ?

Sed quomodo esset in hominibus decor pudicitiæ privatæ, nisi natura esset quod titillaret, et ratione coërceretur ? ubi esset apud mulieres virginitas, aut aqud viros intractatio nuptiarum, nisi ratio amorem sanctitatis haberet, quæ naturaliter certans eos, qui recte cupiditatem insitam reprimunt, et domant, victores declararet ? idque non ad contumeliam naturæ, sed ad exercitationem tolerantiæ, et sanctitatis ?

XXXIV. Sic sane cibis, et potionibus delectamur, non criminosa voluptate fruentes ; naturalis enim hæc est, et tamen jejuniis nos exercemus : non quod est supra naturam contra naturam exercentes, sed tolerantiam amplectentes, et Deum per humiliationem placantes, et propitium reddentes : nunquam exercitationem jejunii susciperemus, nisi fames esset in corpore.

Ubique igitur appetitus asciscit laudem et moderati usus ciborum, et abstinentiæ pro viribus : non enim usus eorum, quæ secundum naturam sunt, peccatum parit : vini quidem

moderata potio salutaris esse potest : vitium vero ebrietatis per intemperantiam introducitur.

Similiter usus cibi secundum naturam moderati culpa vacat : gula vero arguitur, et reprehenditur propter nimium, et quia est præter rationem. Sic etiam uti legitime et moderate appetitu miscendi corporis, omnino caret crimine; præter legem autem, et immoderate uti, crimen affert incontinentiæ. Manichæus igitur, et ejus asseclæ nihil ratione perspicientes, omnia furenter contumeliis affecerunt : tanquam omnis cupiditas sit mala, cujus quidem modus, et temperamentum legitimum extra culpam, et crimen est : abstinentia vero pro viribus spectata laus est admirabilis virtutis.

Si enim quis abstinens laudabilis est apud Deum, non male in potestate ejus est, id cujus abstinentia officium est perfectæ virtutis. Maxima enim jactura fieret, si in potestate ejus non esset, tanquam non posset edi virtus per abstinentiam : nisi enim contrarium fieri possit, non potest fieri malum, neque rursus fieri potest bonum, nisi possit malum, ut sæpe demonstravimus. Manichæus autem bonum, et virtutem inhonorat, cum potestatem et libertatem vituperat.

XXXV. Præterea non pudet dicere animatos esse lapides : et introducere omnia animata, et que manifesta sunt inanimata, tanquam illa virtus boni in lapidibus etiam contineatur : qui usque adeo quod ab ipsis honoratur, ad ludibrium, et vilitatem dejicit, ut naturam boni in lapidibus inanimis ligatam esse dicat. Affirmare autem sic se habere ista, quæ dicit, qualis insaniæ indicium esse dicitur? si enim in lapidibus continetur, quod a Deo missum est, jam vicit nequitia; contra ligato, quod ad ligandum venerat, dicit animæ lapidum et lignorum indicium esse sonum in aëre lapidis, et virgæ, tanquam audierit aliquando vocem ipsorum articulatam.

Est autem apud nos etiam cogitatio, et sermo animæ,

qui nequaquam auditur; quod enim auditur, percusso aëre per instrumentum corporeum, auditur; quod quidem absque motu rationis in animantibus ratione carentibus inveniri potest, quæ clamant quidem sed non articulate, quia ratione privata sunt.

Est autem proprium corporis, licet sit inanimatum, percusso aëre, sonitum reddere: quod enim caret corpore, non reddet vocem, quæ audiri queat, quia non percutit aërem, cum sit ab instrumento percutiente liberum.

Quamobrem incorporeæ potestates inanimæ videbuntur, qui nihil quod sensu auditus percipiatur, ab eis ad nos fertur. Quod igitur oportebat fieri indicium corporum prorsus anima carentium, ut quæ necessario aërem pulsant, (hoc enim corporis est, non animæ) hoc accepit Manichæus tanquam signum animationis. Hinc etiam est, quod graviter accusat eos, qui mactant quadrupedes, et volucres, quæcumque homines ad vescendum adhibent, tanquam hæc etiam ulla virtus boni animet, in eisque contineatur. Sic studet, ut modis omnibus contumeliose vituperet, quem bonum scilicet appellat. Interrogandus quippe est, cujus procuratione tradita sunt hæc a principio hominibus ad vescendum? an nequitiæ tanquam contumeliosæ in bonum? At non fuit illa tantæ rei conscia, ut quæ cognitionem non habuit. Non enim alius creator mundi fuerit: neque Deus, ut ait, creavit, et virtutem ex propria natura produxit ad correctionem materiæ.

XXXVI. Extiterunt igitur omnia animalia volente eo, qui creavit, et quæ ad alendum homines idonea sunt, et quæ non. Nemo igitur alius procuravit, ut hæc hominibus in cibum, et alimentum adhiberentur, nisi qui ea creavit: non enim universa natura, quid sibi utile esset, cognovisset, nisi qui eam fecit, sic sanxisset. Ex quo continuo factum est, ut hæc fuerint divitiæ natura, quippe cum nunquam earum

usus deficiat, et quo magis quædam usu consumuntur, eo sunt diuturniora : ac partim quidem alunt homines, partim vestiunt, et alia alios usus præbent, facta natura hominis serva a Creatore. Unde subjecta sunt ei etiam, quæ sunt vasta mole, mansuete obedientia : et quæ in aëre, artificio rationis ad nos trahuntur, et quæ in aquis educuntur, atque ea magis, quæ utilitatem hominibus explent. Sic pater, non homines sibi per vim animalia ratione carentia subjecisse, præter voluntatem ejus; qui ea creavit, quin potius lex Creatoris hæc eis subjecit.

Dicit etiam Manichæus impium esse bovem arationi terræ applicare, ne anima a Deo missa valde servitute pressa videatur. Et quomodo agricultura sustentari posset? quomodo durans genus hominum perseveraret? Sic Manichæus omnia præter communes notiones contra creationem varie furens finxit. Serva enim hominis naturaliter mansueta animalia facta sunt, et usui ejus destinata. Non mensueta autem alia ratione serva, præter causam dictam, ut homo ratione præditus in omnia animalia ratione carentia dominaretur, Deo ob varias causas id procurante : alioqui non leo tantum fera fortissima, aut aliqua alia hujusmodi bestia, aut serpens hominem vinceret; sed culex etiam, aut aliud ex minimis. Verum natura ferarum aliter etiam quam dictum est, ad aspectum, et experientiam hominibus diversis de causis necessaria est.

XXXVII. Sed quia ad singula, quæ ille nugatur, et fingit, respondere et occurrere delirum esse videtur, contemplandum est intelligentiam sine disputatione, quomodo unius verbo omnia aptata sunt. Una lex Creatoris in omnibus dominatur, et nihil in rebus pugnat, neque belli indicium, vel dissensionis in creaturis apparet; quin potius omnia (homine quidem peccante) pacem inter se habent ut quæ ab uno pacis, et quietis statutum acceperunt, a quo

hoc ipsum, quod sunt, a principio habent. Conspirat enim cum rebus, quæ in terra sunt, cœlum pluens, cum tempus postulat; ac rursus pluviam sustinet, cum opus est solo calore ad maturandum : sol autem suo circuitu lege Auctoris constituto efficit tempestates, nunquam eas commutans, quinimo unum ordinem earum immutabilem tenet, perseveratque in natura varietas : atque una et eadem summa conspiratio supra et infra cernitur. Nox autem omni sæculo permansit sine inconstantia adversus diem, non motu fortuito, et carente ratione diei succedens, sed sapientia Auctoris addendo, et subducendo temperata, idque non alias aliter, quin potius manifestum, ac certum est tempus accessionis; manifestum item et certum tempus subductionis. Rursus sol non gravatur nocti succedere, neque contumeliam ducit legem Creatoris, sed potius more probi servi, confecto sine cessatione ulla cursu diei, recedit, ut ei lex imposita est, diligenter se abdens, ut nox spatium sibi dimensum recipiat.

Quid vero de terra, et mari dices? quomodo ambo terminis circumscripta sunt? Licet videre mare fluctibus elatum, lege autem ab impetu prohibitum, et vi ventorum impulsum in terram, metu autem legis retrorsum reflexum : quamvis non murus adamantinus auxilio est ei, ne mare effluat, et inundet terram, et non obediat auctori suo. Quinimo satis est propugnaculum terræ aversus mare verbum ejus, qui fecit, coërcetque arena; quin potius lex cohibet et foris flatus ventorum violentos, et intus fluxionem aquarum, ut nullam partem terræ inundet aqua maris : et creaturæ quidem amicæ, et tanquam inter se germanæ unum vere auctorem sibi ascribunt, ac profitentur. Quis enim unquam historicus scripsit in cœlo motum stellæ in stellam factum esse? aut in terra animalia alterum genus oppugnasse, ut ipsum delerent, aut ipsa contra delerentur?

Sed potius quæcumque aliud in aliud incurrunt, et invadunt; sapientia Creatoris statutum est hoc, ut quæ abundant, consumantur, quæ et esse et consumi, utrumque hominibus prodest.

Siquis autem ad ipsa principia corporum consideranda veniat, et quatuor elementa contempletur, quemadmodum eorum conspiratio, ac concentus ex contrariis pendeat; magis stupebit consensum rerum, ut quæ ab uno, et solo hoc ipsum, quod sunt, habeant : in his enim quatuor elementis, id quod contrarium est, amicitiæ causa est : et quod in eis natura pugnat, summam pacem facit : quæ quidem quatuor numero sunt, unum vero conflatu, ac concursu. Quin potius seipsis inter se indigent ut, sint : et ipsa natura contrarii se vicissim adjuvant, et in se ipsis inter se abdita sunt, et per seipsa inter se apparent : et, ut paulum dicam, neque calidum frigidi frigore frigescit, nec humore humidi extinguitur : neque siccum ab igne combutum est, nec ab humido humore perfusum. Ex his enim inter se constituta sunt, et consistunt, et in se ipsis mirabiliter insunt : ac putabis quidem solum ignem esse, non tamen absque humido et sicco, quibus quidem alitur, et splendet. Sicut alia in se ipsis insunt, tactu tantum contrarium indicantia; sic tamen sibi inter se amica, ut nullam discordiam habere videantur. Hæc autem silentio prædicant admirabilem unius Ingeniti sapientiam, a quo facta postea concreta, ac mixta sunt : non enim corpus ex uno quopiam et simplici elemento fieri potest; mixtione enim et concretione conflatur corpus. Quæ autem concretio, ac mixtio esse possit sicci tantum? quæ humidi solum?

XXXVIII. Igitur necessaria est varietas ad mixtionem corporis : necessaria item natura contrariorum, quæ in Auctoris admirationem ad coagmentationem unius urget : quæ quidem non primum per se sola constituta sunt, atque ita coïerunt ortum pariter inter se capientia; et simul ut facta sunt,

sensibus sunt dijudicata. Cum enim corpus per se extitit, ratio et mens conjuncta, et concreta, sensu discernit. Quamobrem natura contrariorum postea deprehensa est sensu corporis, quod ex ipsis concretum, et temperatum est. Quæ quidem non prius sunt, quam corpus ipsum, sed simul cum eo incipiunt esse. Quis digne, ut meretur, admirari potest potestatem Creatoris, et concordiam, ac concentum creaturarum? quam in pace sint, et sine pugna omnia, excepta injustitia hominum?

Permanet igitur ac perseverat omnis fabrica in suo et ordinato motu, conservans in se immutabilem legem Auctoris. Ecquis velit, si sensus animæ sanos habeat, cum hæc ita sint, et infinita alia, quæ omnem mentem superant, aliud principium cogitatione fingere, et hoc soli Deo ingenito opponere? Concors enim, et consentiens principium somniare supervacuum est, cum unum sufficiat, contrarium vero suspicari, furiosi prorsus est, cum universa inter se consentiant, varietate quidem ornata, in quibus sapientia veri auctoris factum est, ut sanitas, et tranquillitas cum austeritate appareat, quia omnis suavitas nimis mera, nocens est, et a ratione aliena : severitas vero, et austeritas sola, suavitatis expers, ad feritatem et inhumanitatem spectat. Utrumque autem corrigit et delectat, exhilarat et deterret : promittit suavitatem, et minatur terrorem : protendit spem donorum, et subostendit periculum suppliciorum; ne ratio eorum, qui in terris versantur, mollitia et laxitate propriarum rerum in ignaviam demergatur : neque perpetuo metu percussa cæca fiat; sed potius ex utraque parte et ad timorem Dei, et ad virtutem instituatur.

PRÆFATIO

IN LIBRUM TERTIUM.

Quæ superioribus libris tum ex rebus ipsis, tum ex communibus notionibus dicta sunt, fortassis omnium, qui extra Ecclesiam sunt, mentem munire possunt, ut blasphemiam Manichæi in Auctorem universi non admittant. Quia vero aliam venationem contra eos, qui intra Ecclesiam sunt, gravem quidem illam et periculosam meditatus est, quædam in Scripturis sanctis dicta ad suam falsam doctrinam per vim detorquens, tempus est, ut ex divinis Scripturis confutationes contra eum agitemus, ad muniendum eos, qui ipsis Scripturis sanctis credunt, qui absurdis, et improbabilibus earum interpretationibus interdum ab illo decipiuntur : vario enim fallendi artificio errorem, quem adjutore diabolo excogitavit, firmare nititur : apud gentiles quidem non refellens illorum dogmata; quæ vero minora mala sunt, in majorem molem impietatis extollens, perversiorem hellenismum introducit.

Quibus fere ad omnia consimili opinione malarum, et falsarum doctrinarum circumvectus, accessionem fictionum suarum immittit : apud Christianos vero scilicet quæ Christianorum sunt, aggressus et probabilitate nominis Christi, et verborum Scripturæ, et modestiæ specie, lupum quidem qui est ipse, intus tegit, pellem vero ovis extrinsecus indutus, efficitur falsa stella gregi : atque ita imprudentioribus, et minus cordatis nocet, cui propositum est,

28.

impietatem maxime omnium novam tum a se, tum ab aliis colligere. Ut autem nullus Christianus novitatem eorum malorum, quæ collegisset, expendere saltem, et considerare aggrederetur, Paracletum se appellavit, usu nominis, quod non solum supra hominem, sed supra Angelum est, fallaciam suam tegens, ac dissimulans, ut auctoritate appellationis probabili, homines alioqui stulti, nullo adhibito judicio, quæ dicit, amplecterentur. Aliquando etiam tanquam Apostolus Jesu Christi, barbaris genere, idem genere et mente barbarus impietatem per epistolas tradit. Sed de his postea.

Ex Scripturis, quæ sunt Veteris Testamenti, illas ascribit nequitiæ, quam vocat, Legem scilicet, et Prophetas : Evangelia vero et reliqua Novi Testamenti a bono data esse dicit, ut putat. Sed nec hæc quidem iste inventor blasphemiæ affirmat esse ex toto a contrario Dei vacua et pura, sed esse in his multa a materia, quam vocat, admixta, oportereque, his ablatis, sola requirere, quæ ad partem boni reputat pertinere.

Sic correctionem sanctarum Scripturarum, ut opinatur, solus aggrediens, et hac potissimum ratione ausus videri Paraclitus, plurima quidem tollit, pauca vero Novi Testamenti relinquit, quæ concentum ac concordiam cum cognatis sermonibus desiderant.

Putat quidem omnem blasphemiam eis imposuisse, ut qui illa solum reliquerit, quæ ad illa monstra, quæ fingit, trahi possint, nihilo vero minus etiam hæc ipsius amentiam, et furorem summum coarguunt, ut juvante Deo aperte disputatio, cum in eis versabitur, docebit.

Ostendendum igitur primo est quam dementer in sanctas Scripturas veteres blasphemus est, consentiens hactenus cum se antiquioribus, viris pravis, et ab Ecclesia ejectis: impietate vero omnes illos superans. Si igitur sicut genti-

les historiis Scripturarum penitus non credunt, sic etiam ille non credens Scripturis, nequaquam, aut fortuito facta esse, quæ in eis narrantur, diceret, neque nos quidquam contra eum de his disputaremus : nec ipse majorem confutationem per hæc subiret.

Sed quia veritatem Dei in eis fuisse attestatur, causam vero horum esse ait nequitiam, quæ nihil est; age, doceamus nunc, quomodo magna opera, ac magis admiranda nequitiæ, quam ipse accusat, attribuit; quippe qui cæca ratione non intelligit admirabiles Dei creatoris universorum gubernationes ac providentias, quæ in historiis feruntur.

Ait igitur ad verbum sive ille, sive alius quispiam ejus discipulus, qui caput inscripsit de prima formatione humana : « Quia cognoverunt magistratus materiæ, quod si omnino pars luminis, quod in eos incidit, omnino auferretur, mors eis adventura esset; machinati sunt descensum animæ in corpora, quæ quidem ne ullo modo rediret, unde descendisset, ipsi curarent : reversa vero, ut non reperiretur digna habitatione supera, utpote fœditate carnis inquinata et polluta. »

Et paulo post : « Quamobrem unusquisque eorum, qui sunt magistratus materiæ, sicut diximus prius, propter motum factum, et propter eum, qui primum apparuit ad redemptionem animæ, janua primum aperta, præ terrore invitus dimissa virtute, quæ in eo erat, formavit se ipsum ad venandam animam, et imitationem sui finxit in terra, coëgitque animas delinitas, ut difficile ab ea imitatione abstraherentur. Ac primum quidem Adam ab eis formatus, ac fictus est instrumentum cupiditatis, et esca animarum e cœlo descendentium, et machina ad trudendum eas in corpora. »

Primum autem considerandum est quantam sapientiam

opinione sua ascribit, et attestatur magistratibus materiæ, quam omnino de ignorantia condemnat, et vituperat, tanquam machinatis per carnem descensum animæ ad eos, ne privarentur lumine eis admixto, qui rursus redire animam non sinerent. Sin vero rediret, indigna superna habitatione tanquam sordibus carnis polluta declararetur, quasi non posset Deus animam a se creatam integre servare victus machinis magistratuum materiæ. Ac de his quidem adhuc dicere annon est ridiculum?

Quia vero ait primum, quod magistratus materiæ formaverunt, esse Adam instrumentum cupiditatis, et escam supernarum animarum; didicimus hinc clare eum dicere esse hominem formatum a materia, quæ minime est, qui materiæ, et nequitiæ ubique plus tribuit simulatione accusationis. Nunc autem ipsam dicit hominem fecisse, animal omnium animalium, quæ in mundo corporeo sunt, præstantissimum, ac maxime regium, utpote ratione præditum, et admirabile tum ratione naturæ, tum institutis, atque exercitationibus. Quæstionem autem ponit de universo mundo, quare factus est?

De homine autem, dum nititur demonstrare non esse a Deo formatum, movet alias quæstiones dementes. « Quomodo, inquit, dedit Deus Adæ mandatum? alterum enim ex duobus necesse est; aut cognoscebat quod transgressurus esset, et sic non solum frustra, et inaniter dedit, sed ipse est in culpa, et reus peccati illius : aut si dicatur ignorasse, necesse est dicere Deum ignorantia præditum esse. » Ut jam mandatum quidem a nequitia, ut opinatur, datum fuerit ad insidiandum homini, et non ad alium usum : adjutum vero magnopere fuisse, et liberatum hominem, cum credidit consilio serpentis, quem Angelum Dei esse decernit. « Cæcus enim, inquit, erat. Cum autem gustasset vetitum, cognovit se esse nudum, et tegumento invento

usus est : cognovitque bonum, et malum. Sic magnam cepit utilitatem. »

« Quomodo, inquit, Deum decet, ut dicat : « Ecce Adam » factus est tanquam unus ex nobis sciens bonum, et ma» lum. Nunc autem ne forte mittat manum suam, et sumat » etiam de ligno vitæ, et comedat, et vivat in æternum[1]. » Si enim poterat recuperare immortalitatem, invidus fuit, qui ex paradiso virum ejecit, et a participatione ligni vitæ exclusit, quo participato semper immortalitatem habere poterat. »

[1] Gen. III, 22.

[illegible]

LIBER III.

ADVERSUS MANICHÆOS.

ARGUMENTUM.

Tertius liber pro lege, et Prophetis disputat; quippe cum totum Vetus Testamentum a Deo datum sit, et nihil eorum, quæ in eo facta, aut dicta sunt; probabilem accusationem ejus, qui fecit, et dixit, habeat, sintque omnia cum Novo Testamento consentientia, ut nec ex hac parte necesse sit cogitare aliquod secundum principium Deo contrarium.

I. Postquam autem de principio breviter disseruimus, pertractemus quæstionem de lege; decreverunt enim amplecti Evangelium; legem vero, et Prophetas reprehendere studuerunt. Ac totum quidem Vetus Testamentum calumniati sunt; Evangelia vero honorare suspicati sunt, honorem potius Evangeliorum simulantes, ut esset simulatio, invitamentum eorum, quos deciperent. Nec enim qui assentiuntur Evangeliis, honorare se Evangelia confitentur: quin potius quia honorant nomen Jesu, fingunt honorem Evangeliorum: oportebat autem eos, siquidem Evangelia honorabant, non circumcidere Evangelia: non demere de Evangeliis, non alia apponere, neque verbis, et propria sententia Evangelia ascribere. Nec enim eorum lingua hæc Evangelia habet, et eorum lectionem prætermittunt. Ascripserunt itaque quæcumque voluerunt, et detraxerunt quæcumque judicaverunt, et postea nomine appellant Evangelia, qui corpus Evangelii non servaverunt, sed po-

tius aliud corpus litterarum, quod usque ad nomen tantum Evangelii pertingit, propria voluntate fecerunt. Plus enim quam gentiles Evangelia inhonoraverunt; illi non recipiunt, et non recipiendo non corrumpunt, sed solum rejiciunt; non tamen calcant Litteras: hi vero cum recepisse videbantur, calcaverunt, insultarunt, et adulteraverunt Litteras, et quod præstigiatores, et improbi faciunt, fecerunt. Illi non crediderunt solum, et quibus non crediderunt, de eis a se disseri non patiuntur : hi vero in medium prodeuntes conati sunt concentum solvere; modulationem doctrinis artificio fabricatis tollere ausi sunt, præparato nomine Evangelii, ut esset fallaciæ causa. Si enim Evangelium cognovissent, legem non ignorassent : quod si legem ignoraverunt, quomodo Jesum receperunt? sine lege enim Christus non recipitur : nam qui finem desiderat, principium investigat : contra vero, qui est principii contemptor, vanus est, vane loquitur, non potest in finem evadere.

II. « Si autem finis legis est Christus[1], » frustra laborant, qui legem fugiunt, et cognitionem Jesu se habere profitentur. Nisi lex loquatur, Dominus non agnoscitur : taciturnitas enim legis ignoratio est prædicati : rursus vero cognitio legis notitia est prænuntiati. Si enim Moysem audirent, crederent in eum, qui venit. Sane quidem neque suscitato creditur, nisi lex fidem faciat audientibus. Etsi quidem dicat : « Mitte Lazarum, ut nuntiet fratribus meis, » ne et ipsi veniant in hunc locum tormenti; et respondente » Abraham : Habent Moysem et Prophetas, dicat : Nisi quis » ex mortuis resurgat, non credent ; audiet tamen iste : Si » Moysem et Prophetas non audierunt, neque si quis a mor» tuis resurgat, audient[2]. » O rem miram! neque si quis a mortuis excitatus nuntium afferat, ei creditur sine lege, et Prophetis, imo neque Dominus Jesus Apostolis apparere

[1] Rom. x, 4. — [2] Luc. xvi, 28-31.

voluit transfiguratus, nisi adhibitis lege, et Prophetis; et qui potuit testimonium a Patre ferre, non inhonoravit consortionem Sanctorum; quin potius cum vellet certissimam fidem in conspectu Apostolorum facere, quod in montem eos adducebat, et transfigurabatur, ostendebat Moysem, et Eliam, ut testimonio esset consociatio sanctitatis illorum, et ut is, qui Jesum recipit, socios ejus ne dedecoret; ne si ejus stipatores, et ministros parvifaciat, regem ipsum inhonoret.

III. Denique tantam curam legis, et Prophetarum Salvator habuit, ut nihil ex lege non perfecerit, omnia autem, quæ scripta erant, patraverit, clamaretque. « Non veni solvere legem, sed adimplere[1] : » ingrederetur autem in templum, et turpes inde administrationes domus Dei ejecerit, ut reddens domum puram, reipsa plenissime persuaderet se suorum, ac paternarum rerum procurationem suscipere. Clamat enim : « Domus Patris mei domus orationis vocabitur, vos autem fecistis eam speluncam latronum[2]. » Et quia sunt infinitæ Scripturæ, quibus illorum absurda opinio redargui potest, nos ne prolixe scribentes librum in longum producamus, permittemus aliis uti verborum analogiis; nos autem brevitate usi, ad ea, quæ contra Scripturas dicunt, pergemus. Recipientes Evangelium non recipiunt legem, quia non totum et integrum Evangelium recipiunt; alioqui legem reciperent, si universum Evangelium tenerent : nunc autem primo cauponati Evangelium, consentanee legem non recipiunt. Convincuntur igitur non tenere legem, propter latrocinium in Evangelio. Si autem Evangelio testimonium tribuunt, et legem non honorant, testimonium inhonorant : non jam enim est hoc legem inhonorare, sed potius non credere testanti : ac si unum quidem Evangelium testaretur, aliud vero taceret, et unius

[1] Matth. v, 17. — [2] Id. xxi, 13. Marc. xi, 17, et Luc. xix, 46.

tantum dedecoratio esset, non tacerent alia Evangelia, quæ dedecorationem unius communem ducerent.

IV. Si vero Marcus ait : « Principium Evangelii Jesu » Christi, sicut scriptum est in Isaïa propheta[1], » Matthæus autem : « Liber generationis Jesu Christi filii David, filii » Abraham[2], » et hic quidem progenitorem Jesu secundum carnem scit esse Abraham, et David honorat; conjungit Evangelium cum lege, et legem cognovit esse principium Evangelii. Fatetur verum salvator, cum ait : « Qui vos sper- » nit, me spernit[3] : » non enim usque in legem evadit dedecus, et ibi residet, sed in ipsum Salvatorem redundat. Ac Judæi quidem audiant : « Si Moysem audiretis, audiretis uti- » que me; de me enim scripsit ille. » Manichæi vero audiant : « Si Evangelium audiretis, et legem audiretis; de lege enim » scripsit Evangelium[4]. » Verum Judæi quidem velo oculis adhibito, neque legem intellexerunt, neque nuntiatum agnoverunt. Hæretici vero oculos habent cæcos, et aures surdas; quia non introspiciunt in Evangelium, legem oppugnaverunt. Joannes enim clamat : « Fuit homo missus a » Deo, cui nomen erat Joannes, hic venit in testimonium, » ut testimonium perhiberet de lumine[5]. » Cognovit testem, et cognovit de quo erat testimonium, et testem præscribit inquiens : « Lex et Prophetæ usque ad Joannem[6]. » Joannes igitur testatur : et lex testis est, et testimonium legi perhibetur.

Vide, non credere testimoniis, quantum absurdi afferat. Atque hi quidem cum talia dixerint, neque Lucas silet; eadem enim voce usus est, et aliis Evangelistis consona loquitur narratque, quod Gabriel quidem apparuit Mariæ, et cœlestem salutationem ei attulit, inquiens : « Ave gratia » plena, Dominus tecum : quæ cum audisset, turbata est in

[1] Marc. I, I. — [2] Matth. I, I. — [3] Luc. X, 16. — [4] Joan. V, 46. — [5] Id. I, 6, 7. — [6] Luc. XVI, 16.

» sermone ejus, et cogitabat qualis esset ista salutatio. Et » ait Angelus ei : Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam » apud Deum : ecce concipies in utero, et paries filium, et » vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et filius Al» tissimi vocabitur, et dabit illi Dominus sedem David pa» tris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni » ejus non erit finis [1]. » Honoratur David, et pater ejus esse conceditur, et stat ac durat principatus ejus, traditurque Domino, et finem non habet, cujus gloria perpetua est. Atque hæc quidem sunt principia Evangeliorum ; oportebat enim, ut ex principiis sermonem texeremus. Post quæ, qui pone gradiatur, consecutionem, et concentum sermonum ex universis Evangeliis intelligat.

Quia vero etiam Apostoli ministri Evangelii stylum evangelicum servant, et Paulus quoque eum novit, et ministerium passionum suarum in parte Evangelii metitur [2]; ait enim : « Secundum Evangelium meum per Jesum Chris» tum [3]. » Nos neque principia Apostoli prætermittemus : quin illa commemoremus, ut omnes Scripturas, et principia Scripturarum percurrentes, una earum voce legem dispensemus. Scribens igitur Hebræis sic ait : « Multifariam, » multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, » novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, quem » constituit hæredem universorum, per quem et sæcula » fecit [5]. » Hoc in loco Patrem Filii cognovit, et Patrem Filii cognoscens, non partitur rem, non tacet de antiquis, non ascribit alios Prophetas, sed Deum Prophetarum, et Patrem Filii. Paulus non partitus est, neque divisit : imo totum prædicat, illum quidem a Prophetis adoratum, hunc vero partu editum ; atque hujus quidem Patrem, qui illos habuit adoratores, et sibi supplices. Cui enim supplices sunt illi

[1] Luc. I, 28-33. — [2] Coloss. I, 24. — [3] Rom. II, 16. — [4] Hebr. I, 1, 2.

Prophetæ, hujus Filius est Christus. Si autem Filium honoras, eos vero qui Patri supplicant, accusas, et conviciis insectaris, ore effers quæ vis : succenset Filius; non patitur contumelia Patrem affici. Si enim Pater Filii inhonorationem suam ducit, quanto magis Filius contumeliam Patris vilitatem suam esse reputabit?

V. Sed ut sensim pergentes, paulatim ad erubescendum compellamus, sic aggrediemur argumentari : « Si Dei est lex, quare legem non tenent? Sin vero legem criminaris, cujus verba, ac vox lex est? cujus potestate, quæ scripta sunt, locuta est lex? Hic partitæ sunt hæreses; nec jam uno modo sermocinantes, sed sibi repugnantes; ac Valentiniani quidem sic; Manichæi vero aliter; secus Marcion. Sputa non verba testimonium sunt contra legem. Valentiniani quidem : « Justus, inquiunt, erat Deus legis, et cum justus esset, non erat Pater Filii. Jesus, inquiunt, bonus, bonus autem et Pater, ac Pater quidem bonus; et bonum, quod genitum est; Deus vero legis justus. » Taliter disserentes non intellexerunt, qualem habitudinem habeat justum ad bonum; neque de eo cogitaverunt, quod si quid justum, est et bonum, est et justum. Cum autem hujusmodi cogitationes concipere non potuerint, hoc solum eos interrogemus : « Si justus est Deus legis, et non est Pater Filii, non est justus Jesus; et quomodo justitiam a Filio requirimus? si non est genitus a justo, quomodo judicat? Quomodo judicio decernit? Quomodo commissum est ei a Patre tribunal? Quomodo unicuique reddit secundum opera sua? quomodo verum est quod ait Paulus : « Iis, qui secundum patientiam boni operis » gloriam, et honorem, et incorruptionem quærunt, vitam » æternam : iis autem, qui sunt ex contentione, et qui non » acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indig- » natio, tribulatio, et angustia in omnem animam hominis » operantis malum [1]? » Soluta enim sunt et evanuerunt hæc

[1] Rom. II, 7-9.

verba, si definitio justi non accommodatur, et redditur Filio. Si autem iis, qui deliquerunt, constitutum est supplicium, et justus qui præest, supplicium metitur; contra vero honores, et munera servantur bene meritis, et honor delectu, ac dijudicatione justi ponderatur, quomodo non discindunt et comprimunt petulantiam? Si autem talis quidem est Unigenitus, Pater vero non est talis; non jam ex simili similis genitus est; non jam est imago ejus, qui genuit; non «Figura,» non « Splendor [1]: » non jam qui videt Filium, videt Patrem, si non « Quæcumque habet Filius, » habet Pater, » et clamat Salvator in Evangelio : « O Pater » juste, mundus te non novit, ego vero te novi [2]. » Quid agemus? terga demus verbo Salvatoris, ne credamus scripto; aut habeamus in admiratione verbum? est enim verbum veritatis. Valentinos vero tanquam insanientes, et a dæmone actos extra conventus, ac consessus sanctos, et Deum decentes collocabimus.

Sed quia aliquid indecorum nobis accidit, dum sermonem contra istos hæreticos longe protrahimus, cum nos negotium susceptum non eo trahat, revocemus sermonem, et ad propositum, et institutum pergamus. His hactenus utiliter consideratis, ut sermo de istis non omnino nobis præteritus sit. Tripartita enim nequitia contra legem locuta est, totidem ministris, et præfectis blasphemiæ usa, Valentino quidem ad minuendam, et extenuandam legem, et separandum Evangelium; Marcione vero ad tradendum esse scripturam legis abortionem quamdam; Manichæo autem ad mentiendum, esse legem cujusdam mali, splendore carentis, et ex toto tenebricosi. Talia enim agit, talia verba componit; vana loquitur; aures rudes et inexercitatas compositione verborum in admirationem traducens.

[1] Hebr. I, 3. — [2] Joan. XVII, 25.

VI. Quamobrem percontari oportet, si malus ille sine splendore, et totus, et ex toto tenebræ, legem scripsit, quomodo cognovit adventum Filii? quomodo eum adesse? Quomodo ante eventum rerum intellexit quæ Deus consilia ceperat, et prænuntiavit ea, et prædixit? manifestæ enim sunt Scripturæ legis, quæ a principio adventum Filii testantur. Si enim dicent contra ea, quæ in manifesto sunt, loquentes, non prænuntiasse legem, neque Prophetas præsignificasse, redarguentur non a nobis nostris confutationibus, sed ab ipsis Evangeliis apertis verbis; cum ubique clamant, nunc quidem, ut impleatur quod dictum est per Isaïam prophetam, nunc vero, « Non veni solvere legem, sed im» plere [1]. » Si vero ex his convicti consentiunt, quid ad hoc respondebunt? « Si enim nemo novit, quæ sunt hominis, » nisi spiritus Dei [2]; » qui autem legem scripsit, novit quæ erant in Deo, et sciebat quæcumque Deus volebat, et idcirco scripsit accurate, et scienter, « Erat igitur ex Deo, et Deus, » et in Deo, » et ideo quæcumque volebat Deus, locutus est, sciens quæ in Deo erant, et non ignorans. Si autem nemo cor nostrum novit, sed solus novit, qui eum fecit, et latet cor nostrum alios, non potest tamen latere Deum. Quæ autem volebat Deus, non ignorabat nequitia, sed sciebat; et hic quidem volebat, illa vero cognoscebat; quomodo non tribuunt nequitiæ magnam amplitudinem, quam non potuit celare Deus de consiliis, et voluntate sua? Quomodo non detrahunt Deo, qui non potuit celare nequitiam? Ac ridemus quidem viros, qui cum aliquid contra hostes moliuntur, et machinantur, consilium excogitatum in apertum efferunt.

Qui talia loquuntur, et hujusmodi sermonem serunt, non vident facere se, ut ludibrio sit Deus; qui cum militet tanquam dux exercitus adversus nequitiam, consilia sua

[1] Matth. v, 17. — [2] Rom. II, 11.

non occulte servaverit, ne nequitiæ patefierent. Quod si divinæ et angelicæ Potestates non possunt intelligere, quid consilii capiat Pater, solusque Filius intelligit, et enarrat : « Deum nemo vidit unquam, nisi unigenitus Filius » qui est in sinu Patris, ipse enarravit[1], » quomodo malæ potestates ea, quæ in Deo erant, cognoverunt, cum neque divinæ Potestates hæc scire possint, nisi ea tradente, et enarrante Unigenito discant? Quod autem ipsa lex omnia, quæ ad adventum ejus pertinent, prius narret; « Ecce, » inquit, virgo in utero habebit, et pariet filium[2]. » Alius Propheta non ignorat locum; « Et tu Bethleem, terra Juda, » nequaquam minima es in principibus Juda[3]: » Alius locum definite, ubi positus : « Cognovit bos possessorem suum, et » asinus præsepe domini sui[4]. » Alius fugam in Ægyptum, et reditum ex Ægypto : « Ex Ægypto vocavi Filium » meum[5]. »

Alius habitationem in ætate puerili : « Terra Zabulon et » terra Nephtalim via maris ultra Jordanem : populus, qui » sedebat in tenebris, vidit lucem magnam[6]: » Alius etiam Præcursorem non ignorat : « Vox clamantis in deserto, pa- » rate viam Domini, rectas facite semitas ejus[7]. » Denique si quis vellet prophetias ex lege colligere, totum Evangelium componere videretur conscribendis rebus in eo gestis propheticis verbis, narrans studiose, et φιλολόγος non sine spiritu ejus disciplinas, ejus doctrinas, ejus baptisma, ejus miracula, judicium factum, proditionem Judæ, quæ in patibulo facta, fel, acetum in siti porrectum, ipsam sepulturam, et monumentum, descensum ad inferos, ipsam resurrectionem, et ad extremum assumptionem. Tunc enim, quod superest, clamabit : « Tollite portas, principes, vestras,

[1] Joan. I, 18.— [2] Isaï. VII, 14. — [3] Mich. V, 2, et Matth. II, 6.— [4] Isaï. I, 3. — [5] Osee XI, 1, et Matth. II, 15. — [6] Isaï. IX, 1, 2. — [7] Id XL, 3. Matth. III, 3. Marc. I, 3. Luc. III, 4, et Joan. I, 23.

» et elevamini portæ æternales, et introibit Rex gloriæ [1] : » tunc adjunget hoc, quod a David scriptum est : « Dixit Do-» minus Domino meo : Sede a dextris meis, donec ponam » inimicos tuos scabellum pedum tuorum [2]. » Si igitur lex a Deo diligenter adventum Filii descripsit, et longinquo tempore antequam res evenirent, eas prænuntiavit, non jam accusatur; non jam alteri ascribitur. Qui genuit, prædixit. Qui deliberavit, res dicto anticipavit. Deus genuit; Deus dicit : « Filius meus es tu, ego hodie genui te [3]. » Deus misit me. Deus per Moysem locutus est : « Prophe-» tam vobis suscitabit Dominus Deus ex fratribus vestris; » ipsum audietis, quæcumque loquetur vobis [4] : » de iis ipsis omnibus Deus deliberavit; et cum deliberasset, non tacuit; consilium ac deliberationem prænuntiavit, per prænuntiata fidem faciens. « Vocatur, inquit, nomen ejus, magni con-» silii Angelus, admirabilis, consiliarius, princeps pacis, » pater futuri sæculi [5]. » Atque hæc quidem confutatio sic habet.

VII. Quia vero legem attribuunt malo, quid dicturi sunt, si quis eos percunctetur, si malus mala suadet; et non potest non suadere mala; si quandoque bona suadebit, etiam bona consilia dabit? Si enim dicant aptum esse natura ad suadendum bona, ad dandum bona consilia, rursus definitionem suam solvunt. Non enim jam malus est, qui bona dat consilia. Sin autem nulla bona voluntas, ac deliberatio a malo proficiscitur, cujus ordinis dicent esse illas suasiones, ac monitiones : « Non fornicaberis : Non adulterabis : Non » furtum facies : Non falsum testimonium dices [6] : » Cujus ordinis dicent esse illud, quod scriptum est : « Non facies » tibi idola, nec ullius similitudinem, neque quæcumque in

[1] Psal. XXIII, 7 et 9. — [2] Id. CIX, 1. — [3] Id. II, 7. — [4] Deut. XVIII, 15 et 18, et Act. III, 22. — [5] Isaï. IX, 6. — [6] Exod. XX, 14-16.

»cœlo, neque quæcumque in terra, neque quæcumque in »aquis [1]: » Cujus partis esse illa dicturi sunt: « Non con»cupisces bovem fratris tui, aut subjugale, aut uxorem, »aut omne jumentum [2]? » Si enim hæc honesta, et divina, atque amabilia esse dixerint, ipsæ monitiones efficient, ut se ipsi erubescant, qui amplitudinem ejus, qui monuit, ignoraverunt. Sin vero dixerint prava esse hæc, et in crimine, et pravum est non scortari, et pravum ac vitiosum est non concupiscere aliena, et hujusmodi sunt, quæ mala sunt, adverte, qualia bona esse intelligunt, et quomodo prostitutores sunt voluntatum, et conciliatores idolorum, ac turpium cupiditatum inventores. Qui enim legem accusant, pro vitio a lege alieno obeunt legationem.

Qui legem, quæ voluptates tollit, quæ fallaciam evertit, quæ superstitionem extinguit, relegant, quid aliud faciunt, quam voluptates domum introducunt, et cupiditates accersunt? Ut autem voluptas licenter in mentes irrumpat, legem ex habitationibus ejecerunt, ne lege usi, a lege pudore afficerentur. Sed quomodo lege ejecta aures suas venales præbent cupiditatibus, apparet lex esse interfectrix nequitiæ; hi autem indocte, et inerudite aggressi sunt accusare legem; ac lex quidem nequitiam odit, hi vero legem oderunt. Evertit quidem superstitionem lex, hi vero audent legem evertere. Opponamus igitur res. Si lex nequitiæ contraria est, hi autem legem oppugnant, succensent propter nequitiam, quia lex nequitiam criminatur; etenim quia non patiuntur, ut accusetur nequitia, idcirco legem ipsi accusaverunt, ut accusatio nequitiæ nullas vires haberet lege in crimen vocata. Si lex idola tollit, et multitudinem deorum solvit, hi autem tela in legem torserunt, consentaneum erat, ut multitudinem deorum denuntiarent. Ut igitur multitudo deorum confirmaretur, legis præceptum

[1] Exod. xx, 4. — [2] Ibid. 17.

apud eos velitum est, quod ait : « Audi Israël, Dominus » Deus tuus Dominus unus est, et diliges Dominum Deum » tuum [1], » et « Ne forte aspiciens in cœlum, et videns so- » lem, et lunam, et stellas, adores ea [2]. » Contra hæc verba tela jecerunt; contra hæc præcepta exasperati linguam tanquam gladium acuerunt. Idcirco a dæmonibus aguntur, et omnia venerantur, nec aliud sciunt quam omnia adorare, ac semper se humi sternunt, et mentem habent elatam; errantque ac vagantur sensu animi; omnia pro sua licentia verterunt in deos; vicerunt gentiles et multitudine, et vanitate, gentiles ex gentilibus oriundi, et magnitudine flagitii gentilium ignorantias illorum superantes.

VIII. Ne quis autem arte fallacissima studiose et accurate usus dicat : « Simulavit lex, et quædam pulchra furata, tanquam sua potulit, cum vellet sua flagitia honestare, et partes honestatis inseruit studio obtegendi turpitudinem aliarum partium. »

Age excutiamus primo, utrum aliquid absurdum, et flagitiosum apud legem appareat; atque ita flagitium istorum redarguatur. Secundo, si quasdam partes vitii ulciscendo dissipavit, reddens eos, qui credebant, liberos ab omni parte vitii, non jam lex simulata apparebit, quin potius inimica, et hostis vitii, et nequitiæ. Tertio, si quædam honesta circumseminavit, et non omnem speciem virtutis cum littera legis conjunxit, ut quædam videatur scripsisse, plura vero reliquisse; habeat vim aliquam refutatio legis. Sin vero universa, quæ honesta, et decora sunt, omnino in litteris legis posita sunt, admiremur legem, et Dei legem confiteamur, dicamusque sermonem Dei esse; in hos vero accusationem a lege transferamus, quorum sententia adulterina, et depravata est. Quod igitur nullam partem vitii lex habet inseminatam, neque

[1] Deut. VI, 4, 5. — [2] Id. IV, 19.

partem abstulit aliam, et alii pepercit, sed potius pura est lex, et sancta, et Dei lex; Paulus clamat : « Lex quidem » sancta, et mandatum sanctum, et justum, et bonum [1], » et, « scimus enim, quod lex spiritualis est [2]. » Quod enim sanctum est, et spirituale, et bonum, ab omni turpitudine liberatum est, et nulla culpa in eo hæret, gloriaturque virtutibus, et cum Deo loquitur. Sermocinatio enim cum Deo non patitur, ut alterius ordinis sit. Sed gubernatione Spiritus sancti temperatur. « Deus enim spiritus est; et » qui eum adorant, in spiritu, et veritate oportet adorare [3]. » Lex autem cum spiritualis sit, sermocinationem cum Deo parat, et si potest spiritualis alia quidem judicare, ipse autem a nemine judicatur, quanto magis lex spiritualis potest quidem aliorum omnium sermones judicare, ipsa vero a nemine judicabitur.

IX. Quod autem omnem speciem vitii sustulit, et nullam partem prætermisit, aut neglexit, sed potius omne genus vitii vindicavit, tollens et excindens illud, constat ex legibus ac regulis de vitio constitutis, cujus sunt species quatuor, imprudentia, intemperantia, timiditas, et injustitia; siquid autem pravi lex reticuisset, imperfecta esset lex.

Sin vero ut omnes species nequitiæ præcideret, eas vindicavit, et retractavit, sequitur vitium a lege coërceri, et reprimi, quæ neque reliquias ejus patitur. Ubi igitur valet, et viget lex, et suasioni nervos adhibet, ibi neque humor vitii reperitur; ubi autem debilitatur, obambulat nequitia compilans, et depascens, licenter gradiens, et licentiam nacta propter custodiam animæ neglectam. Clamat enim lex : « Si populus meus audisset me, Israël in » viis meis si ambulasset, pro nihilo inimicos ejus humi» liassem [4]. »

[1] Rom. VII, 12. — [2] Ibid. 14. — [3] Joan. IV, 24. — [4] Psal. LXXX, 14, 15.

Cum enim lex persuadet, nervos amittunt vitia humi jacentia, quæ nec animam ex adverso intueri possunt. Si enim « Lucerna pedibus meis lex tua, et lumen semitis » meis [1], » omnis offensio sublata est, illuminato corde et splendente; etsi enim quia ætate illa adolescentiæ lubrica sit, custodiam tamen verborum conservet perseverans erectus, clamabit : « In quo corrigit adolescentior viam » suam? in custodiendo sermones tuos [2]. » David, comparatis sibi viribus ad non labendum, abdendo in mente disciplinas legis, aiebat : « In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi [3]. »

Atque ita qui legem pro custode adhibuerit, intelliget quomodo lex singulas species vitii abigit, et ejicit. Imprudentiam quidem per Scripturam, quæ ait : « Nolite fieri » sicut equus et mulus, quibus non est intellectus [4] : » timiditatem vero per Scripturam, quæ dicit; « Ne timueris; » cum dives factus fuerit homo [4] : Ne timeas probrum ho- » minum, et vituperatione eorum ne vincaris; et time » Deum, et valebis ; præter ipsum autem ne alium timeas [5]: » Timiditate hic ejecta, et extrusa, et robore imposito ac fortitudine immissa lex clamat; « Justus tanquam leo con- » fidit, » qui non timet, neque horret jumentum; duabus partibus vitii sublatis imprudentia, et timiditate simul tollit intemperantiam, inquiens; « Non fornicaberis, non mœ- » chaberis [6], » ubi cohibentur perturbationes, frenum temperantiæ in mente reperitur; ac tribus extinctis, extinguit etiam injustitiam; « Non facies tibi pondera parva, et » magna; pondera justa et æqualia sint tibi [7]. »

Atque ita singulis partibus nequitiæ deletis, soluta est nequitia, quæ non potest amplius obambulare in mente.

[1] Psal. CXVIII, 15. — [2] Ibid. 9. — [3] Ibid. 11. — [4] Id. XXXI, 9. — [5] Id. XLVIII, 17.— [6] Prov. XXVII, 1.— [7] Exod. XX, 14, 15.— [8] Levit. XIX, 35, 36, et Deut. XXV, 13-15.

Quas igitur vitii species non sustulit lex? quas partes voluptatis non destruxit? quas timiditates, quas imprudentias non usque adeo vindicavit tollens voluptatem, ut etiam curam oculorum habuerit; auditioni non pepercerit, et linguam non neglexerit? « Posui enim oculis meis custodiam, » et non intelligam super virginem [1]. Sanctus usque ad curam » oculorum procedito, ne voluptas animam titillans, eam ad » concupiscendum adducat : » alius Sanctus clamabat : « Ne » circumspicias pulchritudinem alienam, ne voluptas cum » vestibulum animæ ceperit, spem ingressus concipiat, quin » imo a januis repulsa insidias suas desperet [2]. » Progrediens autem ad aures, et ad linguas, vigiles, et custodes membris præfecit; non cedens loco suo; quin potius clamat : « Pone, Domine, custodiam ori meo [3], » ne sermo turpis sine utilitate emissus invitamentum voluptatis turpia loquenti adjungat. Habens præterea curam lumborum, præcavit ne mens huc et illuc agitata vincta esset; præcepit enim : « Sic comedetis pascha, lumbi vestri erunt præ» cincti [4]. » Ne si membra habeant discincta, facili motu prehendere possimus. Rursus vero in sic præcinctis optimum ordinem ad res gerendas, et ad negotia reperiamus.

Ad hunc modum partibus voluptatis sublatis, in species vitiorum partis ratione præditæ, et in species injustitiæ invasit. Si enim tollere, quæ sunt alterius, et per vim tollere, et invito domino, injustitia est, et tollentem, quæ aliena sunt, dare ea meretricibus, vel luxuriose consumere, species injustitiæ est, injustus est, qui honorem Deo eripiens, lignis et dæmonibus eum adhibet; et honorem Dei consumit, et in mente luxuriosus est. Nec enim ita luxuriose vivit, qui opes consumit, ut est injustus, qui magnas et affluentes divitias honoris Dei ex animo delet. Quamdiu enim

[1] Job. XXXI, 1. — [2] Prov. VI, 25, et Eccli. IX, 8, 9. — [3] Psal. XXX, 2, et CXL, 3. — [4] Exod. XII, 1.

divitiæ cognitionis Dei in animo permanent, respondet in ea charitas erga Deum. Cum autem omnes divitiæ dilapsæ, et consumptæ sunt, et ad inopiam redacta est anima, relinquitur tunc, ut honorem Dei lignis, et arti pictoris, et sculptoris deferat. Unde Apostolus, cum sciret ipsam injustitiam esse culturam falsæ religionis, dixit: « Et avaritiam, » quæ est idolorum servitus [1]. »

Ergo quia teterrima pars injustitiæ est ignorantia in Deum, levius autem est delictum in homines, et in partes duas dividitur injustitia, in ignorantiam in Deum, et in delictum in homines, ab utrisque principium sumpsit lex scripta. Ac primum quidem clamat; « Non facies tibi idoli ullius simi- » litudinem [2], » ne scilicet si in honorem ejus, qui te fecit, luxuriosus sis, totum honorem Dei funditus labefacias; iratus est autem populo juste, cum facto vitulo clamabat : « Hi » sunt Dii tui Israël, qui te eduxerunt ex terra Ægypti [3]. » Etenim quia dona Dei illi assignabant et attribuebant, qui movere se non poterat, eratque flagitiosissima injustitia divitias beneficiorum sui auctoris arti et sculpturæ attribuere : idcirco veritas excitata, et lex scripta, et injustitia vetita est : et qui discebat, erudiebatur : atque ita sublata prius injustitia, quæ iram Dei provocavit, injustiam quoque in hominem sustulit.

Ac primum quidem noluit, ut amor divitiarum anima insideret, quoniam amor divitiarum parit injustitias, et cupiditas habendi divitias generat avaritiam. Radix enim malorum est cupiditas divitiarum; erunt autem rami, et surculi cupiditatis pecuniarum injustitia, et avaritia, et quoniam a cupiditate pecuniarum incipit avaritia et injustitia, præoccupat lex, prius tollit, prius denuntiat : « Divitiæ si affluant, » nolite cor apponere [4] : » ne divitiæ mentem cum fluxu divitiarum confluentem fluxis divitiis capiant. Si enim opes

[1] Ephes. v, 5. — [2] Exod. xx, 4. — [3] Id. xxxii, 4. — [4] Psal. lxi, 11.

fluunt, et non stant, merito resistit mens, quæ statum suum fluxis divitiis non violat, et quia tum avaritia molesta est, tum cupiditas gloriæ, cujus flos in anima prædatur, erudivit, inquiens; « Vide impium superexaltatum, et elevatum » sicut cedros Libani : transivi, et ecce non erat [1]. » Ut mens nulli gloriæ quamlibet magnæ facile flaccescenti magnitudinem suam illecta vendat, quin potius supra hæc omnia se erigens amore veritatis teneatur. Idcirco moderationem honorat, et injustitiam expellit, et divina loca ad habitandum rependit et assignat iis, qui modestiam servaverunt.

Sic autem clamat; « Domine quis habitabit in taberna» culo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui » ingreditur sine macula, et operatur justitiam, qui loqui» tur veritatem in corde suo [2], » ut omni specie avaritiæ relegata locum injustitiæ non relinquat : atque ita omnem speciem injustitiæ sustulit lex: idcirco qui secundum legem loquitur, pro veritate loquitur: idcirco qui sunt operarii veritatis, non excandescunt, cum lex adversus vitium loquitur. Loquebatur aliquando Dominus adversus avaritiam, exasperabantur Judæi, et moleste ferebant; amor enim divitiarum asperos, et duros eos adversus loquentem efficiebat. Ita profecto est, cum pædagogus cum puero ignavo et pigro disserit : odio habetur ab eo, quem instruit. Omnis enim qui motus adolescentiæ a ratione aversos excindit, in odio est propter amorem voluptatum. Ob hanc causam, lex in odium venit hæreticis. Quia contra perturbationes tendebat, contra peccata ambulabat, contra adamata disserebat, rem æquo animo non tulerunt.

X. Ut autem sermo, et disputatio nostra amplissima sit, et scelus hæresis, quæ injuste ad legem vituperandam se contulit, appareat, non solum quod omnes species, et formas vitii sustulit, dicamus; sed reddamus insuper sermo-

[1] Psal. XXXVI, 35, 36. — [2] Id. XIV, 1-3.

nem, quod omnem speciem virtutis lex enarrat, et exponit. Si enim omnia vitia lex sustulisset, non autem omnes virtutes inseruisset; manca esset lex, relicta virtutum extructione, quæ quidem omnia vitia cum relegasset, non jam omnes virtutes animæ despondisset. Sin vero in disputatione nostra apparent, apud legem et Prophetas omnes virtutes positæ, annon oportet legem Dei admirari, et amplecti? Cum enim sint quatuor virtutes, prudentia, temperantia, fortitudo, et justitia, omnes virtutes apud legem cernuntur : unde qui vult esse temperatus, habet in lege disciplinas. Qui studet, ut sit prudens, adhibitis subsidiis legis, præclare se in rebus geret. Qui vult esse fortis, instruat se præceptis legis. Qui vult justitiam assequi, pondus justitiæ teneat, et nihil inæquale faciet, faciens omnia ad perpendiculum justitiæ, et qui factus est particeps prudentiæ, dicat : « Dominus docuit me sapientiam, et prudentia hominis non est in me, » ut hac ficta et errante ejecta, et repudiata, optimam, et divinam amplectatur.

Pudicitiæ vero exempla infinita reperiet, qui legendo quæret, ut exempla pudicitiæ exprimat, et antiqua exempla ad firmamentum, et robur castitatis complectatur, ut illius adolescentis in ipso flore ætatis, qui fuit a fratribus venditus et ab Ægyptio emptus, qui libertatem corporis mutavit, libertatem vero animæ immutabilem conservavit : qui exuit pallium, ne pudicitia exueretur, cui vis quidem pallium abstulit, necessitas vero non eripuit castitatem : qui maluit affligi, quam in morbum voluptatis incidere : qui maluit esse in vinculis, quam capi voluptate : qui invidiam turpi actioni præposuit : qui existimari, et non esse, voluit; melius enim judicavit haberi turpis, quam esse, et latere : si enim esset, et lateret, metuebat testem Deum. Sin vero haberetur, contentus erat teste facta inspectante. Atque pudicitiæ quidem hoc sit exemplum.

Fortitudinis vero multa quidem sunt alia, satis vero nunc sit illud Judith, quæ muliercula erat, et infirma erat, et non audax erat, quia muliercula erat, audax tamen fuit, et fortis, quia credibile ei fuit, quæ expectatione hominum fieri non possunt, posse fortitudine, quæ cum fide mixta, ac temperata, ad fidem et spem adduxit insperata; muri enim aperti sunt, et exivit adolescentula, et cum sola ancilla exivit non formidans, quod erat in pulchritudine suspectum, non metuens gladios, non timens ne in libidine esset, ne vis inferretur pudicitiæ; non formidans ne quid repentinum ex gaudio accideret : quin potius terrorem gladii fortitudine vincens, formositatem vero Deo commendans. Deum enim custodem pulchritudinis dignum, cui fideret, existimabat esse; gladios vero sarmenta, et papyrum ducebat, animi fortitudine formidinem superans. Transivit mulier, et non est judicatum temerarium quod ausa est : non fuit in ea criminatio duritiæ nec enim imperfecta fuerunt, quæ fuerant judicata; et decreta, ut duritia accusetur. Perfecit ea, de quibus deliberatum fuerat : ad finem perducta sunt considerata. Idcirco in admiratione est, quia prudentiam fortitudini admiscuit, quia omne consilium cœptum ad exitum perduxit.

Hoc fortitudinis exemplo sumpto, justitiæ etiam exemplum sumamus. Cum Abraham injuria affectos ulciscens pro eis pugnavit, et cum post auxilium allatum audiret a liberatis : « Accipe tibi equitatum, et omnia, » non in quæstum aspexit, sed justitiam attendit; quomodo conscius se gratis cepisse, non debebat vendere donum, quia gratia non patitur, ut venumdetur; siquidem injusti sunt, qui dona vendunt : et non juste quis venalia, et beneficia venumdat. Vestis, et res pretiosa vendatur in foro, beneficium vero ne habeatur vendibile, quod magno animo gratis indigenti dari debet, Tale exemplum habemus. dona et beneficia non oportere

multa pecunia vendere, sed servare quemque honorem suum, et non prius pecunia corrumpi.

XI. Atque hæc quidem hactenus persecuti, probavimus utrumque esse in lege, et vitii extirpationem, et virtutis officium, atque exercitationem atque hæc quidem satis esse, ut se isti erubescant. Aliquid simile reddimus in Evangelio, et lege. Si enim essent Evangelia, et esset lex, et nihil lex haberet æquale Evangelio, crimini daretur dissimilitudo. Sin autem similitudo est, quid de similitudine contendimus? cum similitudo non patiatur, ut controversia sit. Proclamat cognationem stylus, similitudo germanitatem significat. Ad unam causam aliorum omnium, Patrem autem Salvatoris lex, et Evangelia ducunt mentem. Lex dixit : « Audi Israël, Dominus Deus tuus Dominus unus est [1]. » Dixit Evangelium : « Nemo bonus nisi unus Deus [2] : » clamavit apostolus Paulus : « Unus Deus, ex quo omnia [3]. » Ex lege, et ex Salvatore, atque ex Paulo cognitus est Ingenitus, et sine patre; genitus vero ex sinu, et filius ejus, qui genuit. Rursus hic Scripturæ consentiunt. Lex ait : « Ex utero ante luciferum genui te [4]; » Evangelium vero, « Unigenitus, qui est in sinu Patris, ille enarravit [5]. » Sinum dicit Evangelium, et uterum lex, et filius legitimus similis ei, qui ex utero et sinu genuit, denuntiatur, ac testimonium quidem perhibet vox Evangelii : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui [6], » testatur etiam David in Psalmo : « Filius meus es tu, ego hodie genui te [7]. » Una vox et tunc, et nunc missa est, et unus, qui misit, locutus quidem tunc est; nunc autem nobiscum sermocinatus, non mutatur, qui tunc locutus est. Qui enim sero tandem hanc vocem misit, jam ante in Psalmis eam prænuntiase reperitur, fuitque facta denuntiatio sanctis Angelis, ut inservirent Filio, et

[1] Deut. vi, 4. — [2] Marc. x, 18, et Luc. xviii, 19. — [3] 1 Cor. viii, 6. — [4] Psal. cix, 3. — [5] Joan. i, 18. — [6] Matth. iii, 17, et xvii, 5. — [7] Psal. ii, 7.

religionem venerationis, atque adorationem ei adhiberent; scriptum est enim : « Et adorent eum omnes Angeli Dei [1]. » Astipulatus est huic denuntiationi Paulus : imo hanc retractat, et interpretatur; studetque, ut sit interpres ejus, quod prius dictum, et prius scriptum est : « Cum enim, inquit, introducit Primogenitum in orbem terræ, dicit : Et » adorent eum omnes Angeli Dei [2]. » Videbisque Apostolum studuisse, ut vetera interpretaretur, et non neglexisse legis explanationem; aliquando enim dicit : « Omnia subjecit » sub pedibus ejus, » et statim enarrat inquiens : « Cum autem ducat : Omnia subjecta sunt ei, sine dubio præter » eum, qui subjecit ei omnia, nihil reliquit non subjectum » illi, ut sit Deus omnia in omnibus [3] : » quandoque dicit : « Propter hoc relinquet homo patrem, et matrem : sacra- » mentum hoc magnum est, ego autem dico in Christum et » in Ecclesiam [4]. »

XII. Atque Apostoli quidem interpretes sunt veteris legis; consonantque vetera novis. At vero, qui sunt non Apostoli, accusant vetera, qui quidem cum non faciunt, quod Apostoli, sed potius cum eorum scripto pugnant, mentiuntur apostolatum, facti Pseudoprophetæ; explanatores enim veritatis, qui legem honoraverunt, iidem legem exposuerunt. Hi vero, qui legem criminati sunt, legem feriunt, et eos, qui legem explanaverunt, pungunt. Parem similitudinem Evangelii atque legis cognoscunt Apostoli, qui cum legem sumunt, Evangelium aspiciunt; cum Evangelium aspiciunt, legem non tollunt. Isti vero dum, quæ sunt similia, semper dissimilia esse putant, et quæ sibi inter se amica et germana, inimica et adversaria esse profitentur, non quidem effugiunt, quin malitia eorum convicta sit. Disjungere vero, et dirimere similia dum student, ne-

[1] Psal. xcvi, 7. — [2] Hebr. i, 6. — [3] i Cor. xv, 26-28.— [4] Ephes. v, 31, 32.

que tamen possunt. Quantoquidem lex ab Evangelio dividi non potest, invidiæ suæ fructum perceperunt objurgationem. Quæcumque enim de Patre in lege scripta sunt, hæc etiam sunt in Evangeliis : quæcumque de Filio, hæc in utrisque : quæ de Spiritu sancto, hæc quoque in ambobus reperire poterimus; neutra enim Scriptura non meminit de Spiritu sancto : imo in Evangelio est donum, ibi est petitio, et aliquando dicit David : « Spiritum sanctum ne auferas a me[1] :» interdum dicit Evangelium : « Accipite Spiritum sanctum[2], » ut quod quidem habet David ne auferatur ei rogat : quod vero hic donat, id cum ille acceperit, habeat. Familiaritate etiam Spiritus sancti, animæ honorantur, nec a familiaritate ejus avulsæ, neque sine ejus familiaritate permanentes.

Ad eumdem modum poterit quis elaborando, de Angelis, et Archangelis, et aliis Potestatibus, et de cœlo, ac terra, aliisque creaturis similitudinem legis et Evangelii contemplari, atque ita investigando usque ad minimum devenire : nos vero tantam molem recusantes, et principio tantum usi, provocantesque studiosos, ut suscepto ad tractandum argumento ad omnia theoremata procedant. Id solum ad librum adjungemus, quod hæretici cum quadam reprehensione accusant, ut eorum accusationem dissolvamus, et legis dispositiones perspiciamus. Si enim illi legentes, quæ contra Scripturam objiciunt, ore contumelioso usi sunt : at nos amentiam similitudine redarguemus, et quæ in crimine objiciunt, apponere non dubitabimus.

XIII. Accusant enim veterem legem tanquam acerbam, et crudelem ; accusant præterea veteres ministros tanquam austeriores, et magis ad objurgationem propensos, et ab affectione misericordiæ alienos, non intelligentes quod scriptum est : « Misericordiam, et judicium cantabo tibi » Domine[3], » neque scientes perfectionem ratione guber-

[1] Prob. L, 13. — [2] Joan. XX, 22. — [3] Psal. C, 1.

nationis ex misericordia, et vindicatione pendere. Idcirco cæcati, miserationes legis tacent, et vindicationum potius meminerunt, et ubique clamant : « Non videtis, quia pueri parvi convicium fecerunt Elisæo, qui maledixit eis, et duobus ursis tradidit pueros ad devorandum? Non videtis, quia quibusdam militibus missis a rege ad vocandum Eliam invitis, noluit ire cum eis, ignem jaculatus est, et viros consumpsit, inquiens : « Si vir Dei ego sum, descendet de cœlo » ignis et devorabit te, et quinquaginta tuos [1]? » Si hujus mali accusationes, et vindictas inter vitiosa et prava referunt, quid dicturi sunt de Paulo, qui cum videret aliquando Bar-Jesu magnum, qui erat cum Sergio Paulo proconsule, disserentem, et artificiosa machinatione orationis mentem eorum, qui veritatem didicerant, depravantem, non est passus, increpavit, punivit, privavit oculis, clamavit ; « O plene » dolo, et omni fallacia, fili diaboli, non desinis subvertere » vias Domini rectas? et nunc ecce manus Domini super » te, et eris cæcus non videns solem usque ad tempus [2]. »

XIV. Quid de Petro dicent, quando Ananias, et Sapphira, vendita possessiuncula, partem pretii sibi averterunt, partem attulerunt? cum Ananiam judicatum, et mendacii convictum morte affecit, Sapphiram autem eidem sepulcro tradidit? jacebant enim mortui, verbo interfecti. Illic ignis allatus consumpsit ad Eliam profectos; hic verbum emissum in conspectu Discipulorum efficit, ut qui fidem cauponati erant, morerentur. Illic Elisæus corpora puerorum bestiis dedit; hic Paulus aspectum oculorum ademit, et eum, qui videbat, cæcavit, et qui talia patraverunt, pœnas dederunt. Si igitur pœna ac vindicta in malis enumeratur, mali sunt Paulus, et Petrus : sin autem boni sunt, quia Apostoli sunt, boni sunt, quia pœnas exegerunt. Quid pœnas accusas, idque Apostolis irrogatione pœnarum usis?

[1] 4 Reg. I, 10. — [2] Act. XIII, 10, 11.

Quod si Apostolos quidem approbamus, pœnas vero improbamus, non decernunt, vel jus dicunt leges secundum personam de factis; non disceptant contra personas, sed astipulantur similitudini factorum.

XV. Sed rursus aiunt: « Misericors est filius: misericors, qui Evangelia scripsit, et qui misericors est, filius est misericordis. Lex vero dura, et aspera est non parcens delinquentibus; misericordiam autem continet Evangelium, quod delicta quidem coërcet, pœnitentias vero prædicat. Ecce, dicent, Petrus negavit, et Salvator pepercit, et eum, qui tam grave peccatum commiserat, dissimulat, et minas clementiæ subjecit, ut esset omnibus per universam vitam exemplum, et imago clementiæ Salvatoris. Quid igitur lex? an caret imitatione exempli, et non habet imaginem parem, et huic respondentem? Ac Petrus quidem studio virtutis deditus, et lapsus, venia, et condonatione honoratus est: in lege autem nemo post peccatum et quidem magnum, veniam sibi per pœnitentiam conciliavit? Si enim ignorant, recitabimus quod Scriptum est: « Miserere mei, Deus, secundum » magnam misericordiam tuam. Et secundum multitudinem » miserationum tuarum dele iniquitatem meam, et a pec» cato meo munda me. Tibi soli peccavi, et malum coram » te feci [1]. » Si autem non ignorant, sed sciunt, silentium tenent in malo sermone.

Cognatæ igitur et germanæ sunt res, similes imagines: atque hic quidem Petrus, illic vero David, ut magnorum virorum lapsus magna etiam venia curentur; et iis, qui graviter deliquerunt, magna etiam misericordia tributa sit. Si igitur admirantur Evangelia, quia Petrus misericordiam consecutus est, admirentur etiam legem, quia et David misericordiam adeptus est. Si autem legem accusant, quia post tanta delicta non est David data venia: neque Petrus

[1] Psal. L, 1-6.

opinione eorum querelam et accusationem effugiet; et videbitur quidem contra solum David facta accusatio; sed reipsa eadem accusatione accusabitur Petrus. Si autem dixerint bonam quidem esse veniam, sed veniam veteris legis usque ad unum pertigisse, in Evangelio autem multam esse veniam, et pelagus condonationis, et clamat ibi Salvator : « Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati » estis, et ego reficiam vos [1]. » Legant vetera, et subeat admiratio eorum, quæ scripta sunt.

Si autem propter desuetudinem exercitationis nolunt legere scripta, etiam hic desinant accusare. Salvator dicit : « Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego » reficiam vos, » neminem prætermisit, neminem reliquit, omnes complexus est. David vero ait : « Omnes gentes » plaudite manibus [2], » et rursus, « Auribus percipite om» nes, qui habitatis orbem, quique terrigenæ et filii ho» minum, simul in unum dives et pauper [3]. » Omnes in Evangelio excitati sunt; omnes in lege. Neminem reliquit Evangelium; neminem lex omisit. Clamavit Evangelium : « Agite pœnitentiam, appropinquavit enim regnum cœlo» rum [4]. » Omnibus dimisit hanc sermocinationem; cum delinquentibus loquebatur, cum lapsis sermonem habebat, cum iis, qui jam erant rei mortis, loquebatur; libertatem per prædicationem præconciliabat.

Profectus est Jonas Ninivem, quæ erat civitas non parva et magna gentium frequentia habitata. Edidit comminationem, non reticuit pœnam, clamavit, perterruit sermone. Vidit viros, ad mutationem vitæ impulit, fecit, ut peccatum repudiarent. Prænuntiata comminatio abiit, successit misericordia. Factum est, quod ut fieret, curabatur : non enim interitus quærebatur, sed mutatio morum indagaba-

[1] Matth. XI, 28. — [2] Psal. XLVI, 2.— [3] Id. XLVIII, 2, 3.— [4] Matth. III, 2.

tur. Postquam factum est hoc, et viri mutati sunt, apparuit donum Dei, clamavit judex patrocinium suscipiens, dixit ministro suo : « Si tu tristatus es pro cucurbita, pro » qua non laborasti, quæ sub una nocte nata est, et sub » una nocte periit, ego vero non parcam pro Ninive civitate » magna, in qua habitant plus quam centum viginti millia » hominum, et multa jumenta [1] ? » Et pepercit Deus, qui nunc quidem hæc dixit. In alio autem Propheta clamavit, inquiens : « Nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat [2], » qui ab iis, qui sciunt laudes ejus canere, in laudibus vocatur « Miserator et misericors, patiens et » multæ misericordiæ [3] : » tam ingens enim pelagus miserationum apud Deum est, ut minimam et brevissimam etiam flagitiosissimorum ad pœnitentiam inclinationem non relinquat inhonoratam. Achab enim ferme ad extremum nequitiæ processerat, et cum paulum compunctus esset, honoravit eum Deus, et rem ministro ostendit, et minas repressit, ac cohibuit, protrahens interim tempus supplicii. « Vides, inquit, quomodo compunctus est Achab ? non » inducam mala in diebus, sed in aliis diebus [4]. » Idque ut minimam aspersionem pœnitentiæ decenti honore Deus honoraret.

Sed hæc hactenus, ne disputatio de lege omnino præteriretur non tractata et excussa. Hoc solum addemus, fuisse legem umbram futurorum bonorum, pædogogum vero adjuvare puerum et ætatem pueritiæ, quousque magister suscepta grandiore ejus habitudine, majoribus disciplinis eum tradat : commodius enim et aptius hoc principio tanquam fundamento jacto, poterit quis confirmare, quomodo « Lex per Moysem data, gratia vero et veritas a Christo » facta sit [5]. »

[1] Joan. III, 10, 11. — [2] Ezech. XXXIII, 11. — [3] Psal. XXXV, 15. — [4] 3 Reg. XXI, 29. — [5] Joan. I, 17.

XVI. Nos autem alias argumentationes abortionis istius attingamus, proposita alia hujus opinione in Scripturis absona et absurda, ut ea excussa et evoluta, quoad fieri potest, mentes illaqueatas ex opinione amente eripere possimus. Porrexit enim se usque ad fabricam mundi et hoc, quod cernitur creatum, a diabolo creatum esse vult: esseque hominem a diabolo formatum atque animam quidem a Deo, esse tamen corpori a diabolo aptatam, et factum hominem, qui substantiam quidem corporis ex substantia diaboli acceperit, substantiam vero animæ tanquam spolium et exuvias ex Deo sumpserit; ut anima quidem sumpta sit ex Deo, traxerit vero de Deo spolium diabolus: atque ita ex substantia diaboli, et spolio Deo detracto fabricatum esse hominem ex corpore et anima constantem, atque animæ quidem non esse auctorem diabolum, neque substantiam ejus fecisse, sed solius ingressus animæ in corpus effectorem esse: detractam enim tanquam spolium, ut ipsi aiunt, in carnem immisit, carnem vero ipsam et formationem, et figuram, et talem formam, ac totam substantiam opus esse et formationem diaboli. Fatentes igitur factum esse hominem ex contrariis, neque quæ sit contrariorum ratio sciunt; neque sciunt esse quædam contraria, quæ inter se commisceri non possunt, quia nullam inter se communionem, neque mixtionem habere queunt: quin potius causa sunt interitus sui in illa, quæ putatur, communione, quia non possunt simul esse, imo aliud tollitur, quia aliud dominatur.

XVII. Ecce, in uno cubilo dies et nox inveniri non potest, quia solum lumen inventum prius sustulit tenebras. Ecce, in una anima pudicitia, et scortatio non possunt cerni, quia sola pudicitia, si apparuerit, fugat et amandat scortationem. Ecce, pietas, et impietas in homine uno nunquam erit; ubi enim pietas cernitur, neque stilla im-

pietatis apparebit; confirmat autem Apostolus et signat quæ dicta sunt : « Quæ, inquit, societas luci ad tenebras? Quæ pars Christo cum Belial [1]? » Quæ enim sunt sibi contraria, non possunt esse sibi amica, et unus concentus non poterit facere, ut quæ sunt unius concentus discrepent : nec enim ex numeroso, et non numeroso unus concentus, et una modulatio efficitur, nec ex silentio, et locutione una compositio fit. Unum enim solum esse oportet, altero sublato, quod non patitur, ut simul sit. Si autem corpus esset diaboli et anima Dei, quomodo unus concentus hominis ex eis conflatus esset? Quomodo una amicitia et affectio? en, aptatus et factus est unus homo, et concentu, ac convenientia unus est. Ecce anima copulata est cum corpore, et illud amat, et effectione complectitur : « Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam [2]. » Si autem alterum alterius curam habet; et dolorem corporis suum ducit anima, et non disjungitur affectionibus; sed adjungit se ad vulnera, adjungit se ad affectiones; et cum corpus dolet propter vulnera, in tristitia et molestia est anima, quæ potest esse expers doloris.

Cum vero voluptatem percipit, et a voluptate titillatur, anima etiam motus corporis participat et titillationes simul attingit : ac similiter quidem desinit, accipit vero similiter incrementum. Cum anima, inquam, desinit perturbationibus moveri, simul desinit corpus et conquiescit. Cum vero cupiditas in anima remoratur, titillationibus etiam in corpore remoratis; corpus suavitate perfundit et inflammat : fiuntque æqualiter titillationes, et æqualiter titillationum abjectiones et defectiones. Si autem ex contrariis esset homo, ac corpus quidem diaboli esset, anima vero Dei, primum quidem non facta fuisset conjunctio utriusque, nec ipsa diuturna mixtio perficeretur. Secundo,

[1] 2 Cor. vi, 14, 15. — [2] Ephes. v, 19.

quamvis alterum ab altero reciperetur, et utrumque tamen, quæ sua essent, propria et privata duceret, quæ vero alterius, aliena et neque voluptas corporis, animæ voluptas fieret : neque vulnera corporis dolores animæ essent; sed utrumque per se voluptatem, et dolorem sibi imperti-ret. Quomodo diabolus illinc, quod suum non erat, sumere potuit? quomodo anima, quæ non est hujus, sed alterius, et nullam admixtionem ejus habet, sed est alterius substantiæ, et substantiæ omnino a diabolo alienæ, quomodo, inquam, in alienis et externis est? et admixtionem corporis diaboli, tanquam vinculum patitur et tolerat? et ligata est in non suo? Quomodo carnem propriam esse ducit et sanctam facit, atque eam ad virtutem præparat, ut quoad fieri potest, similem Deo efficiat? Cum enim corpus castum est, et non sordidatum, neque maculatum; cum sanctum est et honestum; cum sermo ejus sanctus et rectus; cum aspectus justus; cum motus ejus divini sunt, quid aliud est hoc, quam similem esse Deo? Ac de his quidem hæc dicta sunt.

XVIII. Pauca autem ex Scripturis apponamus, ut appositio Scripturarum illos ad erubescendum se adigat, et nobis fidem majorem conciliet. Salvator enim cum in Evangelio de formatione viri et mulieris meminit, formationem ad Patrem suum, et conditorem universi referens, aiebat : « Qui fecit hominem ab initio, masculum et fœmi-» nam fecit eos, et dixit : Propter hoc relinquet homo pa-» trem suum et matrem suam, et adhærebit uxori suæ, et » erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, » sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non se-» paret [1] : » novit cujus esset corpus, et cujus anima confitendo auctorem utriusque, et Patrem confitendo; et retinet, ac cohibet humanas cogitationes, volens, ut non

[1] Matth. xix, 4-6.

possint disjungi, quæ facta sunt, non concedens, ut ulla humana sententia, ac voluntate, quæ bene aptata sunt, separare liceat. In Evangelio autem iis, qui falso videbantur eodem studio et cura teneri, occulta tamen et quæ intus erant in homine, negligebant, aiebat : « Stulti, nonne qui fecit, quod foris est, quod intus est, fecit [1] ? » Si autem, quod intus est, anima est; quod autem foris, corpus, et qui fecit, quod intus est, animam fecit et qui fecit, quod foris est, corpus fecit, igitur qui est animæ auctor et effector, corporis auctor et effector est, et Deus est, qui utrumque fecit et aptavit, et conjunxit, qui hanc harmoniam decentissimam coagmentavit? Ipse autem Salvator quam accurationem corpori in sermonibus suis adhibet, cum ait : « Sunt eunuchi, qui se castraverunt propter regnum cœ» lorum. Qui poterit capere, capiat [2]? » Adhibens enim hanc diligentiam, et studium corpori, et efficiens ipsum sanctum et perturbationibus, ac voluptatibus vacuum, et omnem cupiditatem verbo amputans et detondens, procurationem corporis demonstrat, et curam carnis providam significat. Sollicitudine autem, et accuratione suam esse prædicat, progrediens usque ad curam aspectus; ne si aspectus fortuito, ac temere moveatur, omni labe, et macula impleatur. Quinimo si constanter, et graviter cietur, in apta modesta perseveret; ait enim in Evangelio : « Omnis, » qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœ» chatus est in corde suo [3]. » Commotionem in corpore cum corde commetitur et aspectum curans, communem curam adhibet cordi, commotionem aspectus commotionem cordis reputans esse, et accurationem aspectus, accurationem mentis; nec enim aliter nocebit oculus, quam ut nocebit mens : quia non potest oculus depravari, non de-

[1] Luc. xi, 40. — [2] Matth. xix, 12. — [3] Id. v, 28.

pravata anima; si enim anima est in æquitate, et recte videt; apte et convenienter oculi cernent.

XIX. Hic igitur repudians turpem aspectum oculorum, sanctum aspectum inducit: ut oculi, inquit, recta videant, et palpebræ justa intueantur: erigit enim et extollit oculos, non permittens simul, ut flectantur, sed potius excitat, et ut erecti sint, facit. Idcirco Salvator gerens magnam providentiam, et procurationem corporum corpus gestavit, et in corpus venit. Si igitur non venit in corpore, quid dicturi sunt de cruce, et fixura clavorum, et lancea, et monumento, ac sepultura? Sin autem his convicti corpus sumpsisse Salvatorem confitentur, quid dicent, si non sunt dicturi ipsum quoque a diabolo formatum esse? et non jam solum corpus humanum esse diaboli, sed etiam corpus Salvatoris benefici nostri. Non enim parcent, nec abstinebunt se, quin usque in hanc cogitationem evadant, et linguam in Salvatorem protendant. Qui enim contra ea, quæ ad illum pertinent, disputat, hic linguam acuens contra ipsum disputabat. Salvator autem baptismo etiam in Jordane abluebatur, et aquis aspergebatur, quis erat? et quid erat? Si enim corpus non gestabat, neque corpus habebat, quid commune est spiritibus cum fluminibus? Quis Angelus, quæ Virtus, quæ Dominatio, quis Principatus, quæ Potestas ad lavacrum descendit, et aquas experta est? Quod si neque Virtus, neque Potestas, neque Thronus in aquas descendit, extra quæstionem posita est res, factum est perspicuum, quod quærebatur. Imo ascendit ab aquis, tentabatur a diabolo, esuriebat, sitiebat, navigabat, dormiebat, iter faciebat, defatigabatur, ambulabat, esuriens venit ad ficum, postremo judicatus est, et crufixus: quis hæc proclamabat? quis hæc testabatur? taceant linguæ, loquantur acta. Os habent res: res amplius aërem pulsantes, sonum emittamus: os habent

scripta : etsi nos taceamus, non tacent res : etsi nos non loquamur, quæ scripta sunt, non possunt non loqui.

Igitur quia sic sunt hæc, acta fidem habent, et narratio actorum vera est, et clamant ipsæ actiones vi sua, habuisse corpus Salvatorem, et corpus mortale, et quod propter nostra corpora corpus gestavit, quod reliquum est, simile quærit; propter nos venit illius corporis sui effector, et nostrorum effector. Si enim aliud fuisset illud, curam aliis non adhibuisset corporibus. Si autem factum est, et factum a Deo, factum vero est propter nos, igitur propter propria fiebat, ut quæ propria erant, salva essent. Illud fecit, illius effectione omnium suorum libertatem operatus. Gratiæ igitur debentur ei, qui corpora nostra fecit, qui eorum ignaviæ, atque pigritiæ prospexit, et consuluit; qui misit Filium suum in corpore, et nostris corporibus pignus dedit, ut non jam amplius flectamur, et humi sternamur, sed simus elati, et erecti communitate corporum.

Illos igitur deceptores et fallaces in hoc etiam attenuemus, quod in corpora invaserunt, et in corpus auctoris processerunt, ac contra œconomiam, et dispensationem Dei linguam extenderunt, ac contra libertatem nostram ad usum et exercitationem linguæ loqui non dubitaverunt circulatores quidam, et circumforanei. Congessimus acervum verborum pravitatis istius : licet enim ex uno aliud accusare, imo omnia deinceps persequentes, omnia inutilia, et aliena existimare. Idcirco nos omnem sermonem ipsorum huc usque delapsi, ne magnitudinem libro præbeamus, his hactenus dictis terminemus, facta ex paucis aliorum indicatione, et ex dictis prius eorum confutatione confecta. Opus autem est diligentia studiosis, ut omnes præstigias prætervecti aures servent, ne a pravitate capiantur, ut sint custodes suarum aurium : partim eas aperientes, cum verus sermo pulsat; partim claudentes, cum falsus, et dolosus,

veritatem simulans laborat, ut in conclave mentis irrumpat: multi enim ficti, et simulati pulsant aures, dicentes: « Ego sum CHRISTUS [1]. et multos dicipient: « Unus autem solus » Christus [2]. » qui est liberator, præses victoriæ, beneficus, qui dispositione pulsat, qui libertatem in ipso aditu conciliat, qui simul ut ingreditur, peccata excludit, qui in ingressu amicitiam cum Patre tribuit, qui mox ingrediens tropæa in anima ponit.

LIBER IV.

ADVERSUS MANICHÆOS.

ARGUMENTUM.

Quartus liber Novum Testamentum ab illorum blasphemia in Deum defendit, ut qui nullam prorsus communionem cum eo habeant, et frustra, ac vane quasdam partes ejus ad constituendam suam impietatem per vim trahant, quodque id, quod diabolice subjiciant, nihil eos juvat ad ea stabilienda, quæ contra Deum dicunt.

Iste liber quartus non comparet in nostro Apographo.

[1] Matth. XXIV, 23. — [2] 1 Cor. VIII, 6, et 1 Tim. II, 5.

SANCTI DAMASI

PAPÆ.



CLASSIS I. — EPISTOLÆ.

CLASSIS II. — CARMINA.

SANCTUS DAMASUS

PAPA.

LATINUS.

ANNO 384.

Sanctus Damasus, ut plures testantur scriptores, (nempe Luitprandus, Godfridus Viterbiensis, Petrarcha, S. Antoninus, Jacobus Philippus Bergomas, Sabellicus, Volaterranus, Trithemius, Jacobus Florus, Angelus Rocca, etc.), et hisce postremis temporibus evidenter demonstrasse videtur doctissimus vir D. Franciscus Perez Bayer in dissertatione cui titulus : *Damasus et Laurentius Hispanis asserti et restituti,* natione Hispanus, quo loco, quave provincia natus fuerit non satis constat. Pater ejus, quem nonnulli Antonium vocant ex inscriptione apud Baronium relata, scriptor primum, deinde vero et lector, et diaconus et presbyter ecclesiæ sancti Laurentii in ipsa Roma, Damasum filium filiamque Irenen ex matrimonio susceperat. Quæ quidem vigesimo ætatis anno, post emissum virginitatis votum præmatura morte decessit. Damasus autem

Romæ primis imbutus doctrinis, ecclesiæque sancti Laurentii cum patre aliquandiu famulatus, jam ad diaconatum fuerat promotus, cum, misso in exilium Liberio, anno 355, una cum omni Ecclesiæ Romanæ clero juramento sese obstrinxit, ne alium pontificem, vivente Liberio, reciperet, quem etiam Berœam usque in Thraciam subsecutus est.

Romam redux, mortuoque anno 366 Damaso, populi omnis Deique ipsius judicio ad sanctam Sedem promovetur, reluctante frustra Ursino, quem post S. Damasi ordinationem electum et ab unico episcopo contra Canones ordinatum, non sine multi sanguinis effusione, Roma vix tandem expulerunt Juventius præfectus et Julianus, qui primum in urbe munus cum illo exercebat. Hinc odiosum Damasi nomen, objectaque sancto pontifici probra; sed a concilio Aquileiensi, re attentius perpensa, ita ab omni crimine immunis declaratur, ut omnes istæ soli Ursino, utpote illegitime ordinato, tribuerentur calamitates.

Ursinus, jubente Valentiniano, Romam repetendi facultate donatus, cum turbas movere non desineret, iterum cum pluribus aliis expellitur, illoque expulso, pax Ecclesiæ reddita : (Ammian. Marcell. lib. XXVII.) nec tamen cessare in Martyrum cœmeteriis, etiam absque ullo sacerdote, quorumdam errantium collectas ; unde a Valentiniano jussum, ut Ecclesia, qua rebelles extra urbem usque ad hoc tempus fruebantur, Damaso restitueretur.

Sic in pontificatum confirmatus, tum conciliis celebrandis, tum conscribendis epistolis, tum libris, soluto sermone, necnon et versibus componendis, tum ædificiis construendis, tum compescendis paganorum ausis, tum promovendis catholicorum operibus, tum servandis morum regulis, ita incubuit, ut *Romanæ urbis decus* a concilio Chalcedonensi celebrari meruerit.

I. Quidem quod ad concilia spectat, illo promovente, congregatum est Constantinopolim, anno 381, Synodus œcumenica II, qua anathemate perculsi sunt Eunomius, Macedonius, Audax, Apollinaris et alii; atque ut silentio prætermittamus multa alia, quæ hinc et inde celebranda suasit concilia, ipse quinque præsertim solemniora apud Romam coëgit, quorum primo, ubi aderant octoginta episcopi, confirmata sunt Nicæni concilii acta, damnatæ Ariminensis synodi fraudes, depositusque Auxentius, cujus errores primus S. Philaster, origine Hispanus, sed tunc Bresciæ in Italia episcopus, summo pontifici indicare curaverat; secundo autem exagitatæ sunt variæ hæreses, quas disseminabant in Oriente discipuli Sabellii, Eunomii, Audacis, Photini et Apollinaris; tertio iterum Apollinaris causa explosa est; quarto admissa est et confirmata Antiochensis concilii contra eumdem Apollinarem sententia; quinto denique actum est de Antiochensis Ecclesiæ dissidiis propter Flavianum et Paulinum, quorum uterque ejusdem Ecclesiæ cathedram ambibant. Præter autem illorum

conciliorum decreta pluries privatim damnavit hæreticorum placita, præsertimque Meletianorum, Sabellianorum, Luciferianorum, imo et Arianorum, contra quorum furias S. Petri Alexandrini partes fortiter tuitus est.

II. Ecclesiæ defensioni semper intentus, plures sæpius scribebat epistolas, quarum unice supersunt, 1° Epistola synodalis concilii Romani anni 372 ad episcopos Illyriæ, cujus aliud exemplar latinum mendosum, aliud autem græcum authenticum S. Pontificis opus videtur; 2° alia Epistola concilii Romani anni 378; 3° Epistola ad Paulinum antiochensem episcopum; 4° Epistola ad episcopos Macedoniæ; 5° Epistola ad Ascholium; 6° Duæ ad S. Hieronymum Epistolæ; 7° Epistola ad orientales de Timothei et Apollinaris damnatione.

Porro hic tantum reperire est, omissis cæteris, quas inter opera S. Hieronymi deportavimus: 1° Epistolam ad episcopos Illyriæ, 2° Epistolam ad Paulinum Antiochiæ episcopum complectentem fidei catholicæ confessionem, 3° Epistolam ad Acholium et alios Macedoniæ episcopos, 4° Epistolam ad Acholium Thessalonicensem episcopum, 5° Epistolam Synodicam contra Apollinarium et Timotheum.

III. Plura alia sive soluto, sive poëtico sermone scripserat, præsertim opuscula de virginitate, quæ lapsu temporum perierunt; supersunt tantum quædam ad Martyrum aliorumque Sanctorum laudem scripta carmina, eorumque tumulis inscripta, quo-

rum infra excudemus quæ vere S. Damaso tribuenda sunt, posthabitis, quæ illi necessario abjudicari debent. Dura S. Damasi carmina, et non multum eleganter concinnata.

IV. Nulli artium necesstiati alienus, constructis variis ædificiis, principalem Ecclesiæ urbem plurimum decoravit. 1° Quidem Ecclesiam S. Laurentii, quæ nunc in Damaso dicitur, et ubi primum pietatis famulatum Deo obtulerat, restaurandam consecrandamque curavit. 2° Ecclesiam sanctæ Anastasiæ picturis exornavit. 3° Vaticani subterranea magnis sumptibus exsiccavit, fontemque baptistericum designavit a Macrobio Longiniano Romæ præfecto perficiendum. 4° Tumulos sanctorum Martyrum in suburbiis Romæ a Gothis profanatos pristino honori reddidit. 5° Denique sancti Sebastiani Basilicam excitavit, ubi sepulta matre et sorore ipse denique plenus meritis sepultus est.

V. Cum, Symmacho promovente, Victoriæ ara a paganis restituenda postularetur, S. Damasus fortiter impiæ flagitationi bis obstitit, et adjuvante S. Ambrosio, cujus auctoritatem apud Gratianum advocaverat, repudiata Victoriæ ara, victor evasit.

VI. Demum Catholicorum opera vehementer incitare studuit, sanctique Hieronymi, cujus interpretis in conscribendis epistolis diutius usus est, doctrinam admiratus, præsertim ubi de Scriptura sacra agebatur, illum juxta Desiderii hispani sacerdotis sententiam novæ versioni promulgandæ incumbere præcepit : unde S. Hieronymi accuratior

interpretatio mox per totum Occidentem invaluit.

VIII. Ita autem morum regulis promovendis operam dabat, ut et ipse omnium virtutum, puritatisque maxime exemplar eluceret; unde a S. Hieronymo dicitur non solum *vir egregius et eruditus in Scripturis,* sed et *virgo Ecclesiæ virginis doctor* (Hieron. Epist. XXX.) et a Theodoreto prædicatur *laudabili vita conspicuus.* (Theodoret. Hist. Eccles. lib. V. c. II.)

Damasus moritur undecimo decembris anni 384, annos natus octoginta, post actum per decem annos duosque menses pontificatum; quem Theodoretus « omnia pro apostolicis dogmatibus dicere et » facere paratum » celebrat (Theoderet. Hist. Eccles. lib. V. c. II.); sanctus autem Hieronymus asserit « elegans in versibus componendis ingenium habuisse, multaque et brevia opuscula heroïco metro edidisse. (S. Hieron. de Script. Eccles. c. CIII.)

Collecta sunt S. Damasi opera a *Milesio Saraziano,* qui præparavit editionem postea a Frederico Ubaldino ad annum 1638 in publicum emissam, et Urbano papæ VIII dicatam. Leguntur etiam in bibliothecis Patrum et maxime in bibliotheca Gallandi, unde illa, quæ excuduntur, depromimus.

SANCTI DAMASI

PAPÆ.

CLASSIS I. — EPISTOLÆ.

EPISTOLA I (1).

I. *Ariminensis Synodi nullam esse auctoritatem.* II. *Nicænæ fidei unice adhærendum, ab eaque dissentientes episcopos brevi a communione segregandos, atque ipso privandos esse episcopi nomine.*

Damasus et cæteri episcopi Romæ congregati, dilectissimis fratribus in Illyrico constitutis episcopis, in Domino salutem.


I. Credimus sanctam fidem vestram in Apostolorum eruditione fundatam, hanc tenere, et hanc populis universis exponere, quæ videlicet a constitutis patrum nulla ratione dissentit, o Dei sacerdotes, per quos justum est cæteros erudiri. Sed relatione gallicanorum et venetorum fratrum, quosdam hæresibus favere cognovimus. Quod malum non solum cavere debent episcopi, sed etiam reluctari contra ea, quæ gesta sunt imperitia aut simplicitate quorumdam pravis interpretationibus deceptorum. Variis ergo doctrinis non decet labefactari, sed magis patrum nostrorum roborare sententiam, quoties diversæ opiniones eorum au-

31.

ribus ingerentur. Auxentium ergo Mediolanensem præcipue in hac causa damnatum esse scriptum est. Unde justum est omnes in universo Romanorum orbe doctores legis ea, quæ legis sunt, sapere, et non fidem doctrinis variis maculare. Itaque dum primum hæreticorum cœpisset nequitia pullulare, sicut etiamnum blasphemia nefandorum serpit Arianorum, tunc patres nostri trecenti decem et octo episcopi, habito tractatu in urbe Nicæna, hunc murum firmissimum contra arma diabolica statuerunt, et hoc remedio venena mortifera sunt depulsa, ut Pater et Filius unius divinitatis, unius virtutis, unius magnitudinis debeat credi, uniusque essentiæ sive substantiæ, simul et Spiritus sanctus : aliter vero sapientes, alienos esse a nostra communione judicaverunt. Quem terminum salutarem, adorabilemque deliberationem corrumpere quidam aliis cogitationibus atque temerare voluerunt. Sed in ipso principio ab his ipsis, qui in Arimino renovare ac retractare compellebantur, usque ad hoc causa correcta est, ut confiterentur alia sibi circumventione subreptum, aut certe quia non intellexerunt patrum sententiæ in Nicæa constitutæ hoc esse contrarium. Neque enim præjudicium aliquod fieri potuit per numerum Arimino congregatum; quando constat neque Romanum episcopum, cujus ante omnia decebat eos expectare decretum, neque Vincentium, qui tantis annis episcopatum inviolabiliter custodivit, neque alios talibus præbuisse consensum; maxime dum, sicuti prædiximus, isti ipsi, qui per circumventionem declinasse videbantur, ipsi denuo utentes meliori consilio, hæc sibi displicere testati sunt.

II. Perspicit itaque vestra salubritas, hanc solam fidem, quæ Nicææ Apostolorum auctoritate fundata est, esse perpetua firmitate servandam, et simul Orientales hoc facere nobiscum, qui se catholicos esse cognoscunt, Occidentales

etiam gloriari. Credimus autem languentes in isto conamine non tarde a nostra separandos esse communione, et ab eis episcopatus nomen auferri, quatenus populi eorum, liberati errore, respirent. Nullo enim modo a deceptione poterunt corrigere populum, qui deceptionis laqueo detinentur. Concordet igitur cum omnibus Dei sacerdotibus etiam charitatis vestræ sententia, in qua vos stabiles ac firmos existere judicamus. Sic ergo etiam nos vobiscum recte credere debemus. Vestræ nos charitatis litteris lætificate reciprocis. Valete, fratres charissimi.



EPISTOLA II.

Ad Paulinum episcopum Antiochænæ civitatis.

De capitulis fidei contra Macedonium et Eunomium et Apollinarem hæreticos.

Dilectissimo fratri Paulino Damasus.

Per filium meum Vitalem ad te scripta direxeram, tuæ voluntati et judicio omnia derelinquens, et per Petronium presbyterum brevit indicaveram me in articulo jam profectionis ejus aliqua ex parte commotum. Unde ne aut tibi scrupulus resideret, et volentes forsitan Ecclesiæ copulari, tua cautio probanda differret, fidem misimus, non tam tibi, qui ejusdem fidei communione sociaris, quam his, qui in ea subscribentes, tibi, id est, nobis per te voluerint sociari, dilectissime frater.

Quapropter si supradictus Filius meus Vitalis, et ii, qui cum eo sunt, tibi voluerint aggregari, primum debent in

ea expositione fidei subscribere, quæ apud Nicæam pia patrum voluntate firmata est. Deinde, quoniam nemo potest futuris vulneribus adhibere medicinam, ea hæresis eradicanda est, quæ postea in Oriente dicitur pullulasse, id est, confitendus ipse sapientia, sermo, Filius Dei humanum suscepisse corpus, animam, sensum, id est, integrum Adam, et, ut expressius dicam, totum veterem nostrum sine peccato hominem. Sicuti enim confitentes eum humanum corpus suscepisse, non statim ei et humanas vitiorum adjungimus passiones : ita et dicentes eum sucepisse et hominis animam et sensum, non statim dicimus et cogitationum cum humanarum subjacuisse peccato. Si quis autem dixerit Verbum pro humano sensu in Domini carne versatum, hunc catholica Ecclesia anathematizat; necnon et eos qui duos in Salvatore filios confitentur, id est, alium ante incarnationem, et alium post assumptionem, carnis ex virgine et non eumdem Dei filium et ante et postea confitentur. Quicumque huic epistolæ subscribere voluerit, ita tamen, ut in ecclesiasticis canonibus, quos optime nosti, et in Nicæna fide ante subscripserit, hunc debebis absque aliqua ambiguitate suscipere. Non quod hæc ipsa, quæ nos scribimus, non patueris convertentium susceptioni proponere sed quod tibi consensus noster liberum in suscipiendo tribuat exemplum.

CONFESSIO FIDEI CATHOLICÆ,

Quam papa DAMASUS *misit ad Paulinum antiochenum episcopum.*

Post concilium Nicænum, quod in urbe Roma concilium congregatum est a catholicis episcopis, addiderunt de Spi-

ritu sancto. Et quia postea is error inolevit, ut quidam ore sacrilego auderent dicere spiritum Sanctum factum esse per Filium :

I. Anathematizamus eos, qui non tota libertate proclamant, eum cum Patre et Filio unius potestatis esse atque substantiæ.

II. Anathematizamus quoque eos, qui Sabellii sequuntur errorem, eumdem dicentes Patrem esse quem Filium.

III. Anathematizamus Arium atque Eunomium, qui pari impietate, licet sermone dissimili, Filium et Spiritum sanctum asserunt esse creaturas.

IV. Anathematizamus Macedonianos, qui de Arii stirpe venientes, non perfidiam mutavere, sed nomen.

V. Anathematizamus Photinum, qui Hebionis hæresim instaurans, Dominum Jesum Christum tantum ex Maria confitetur.

VI. Anathematizamus eos, qui duos filios asserunt, unum ante sæcula, et alterum post assumptionem carnis ex virgine.

VII. Anathematizamus eos, qui pro hominis anima rationabili et intelligibili dicunt Dei Verbum in humana carne versatum, cum ipse Filius sit Verbum Dei, et non pro anima rationabili et intelligibili in suo corpore fuerit, sed nostram, id est, rationabilem et intelligibilem sine peccato animam susceperit, atque salvaverit.

VIII. Anathematizamus eos, qui Verbum Filium Dei extensione aut collectione et a Patre separatum insubstantivum et finem habiturum esse contendunt.

IX. Eos quoque, qui de Ecclesiis ad Ecclesias migraverunt, tandiu a communione nostra habemus alienos, quandiu ad eas redierint civitates, in quibus primum sunt constituti. Quod si alius alio transmigrante in loco viventis

est ordinatus, tandiu vacet sacerdotii dignitate, quandiu successor ejus quiescat in Domino.

X. Si quis non dixerit semper Patrem, semper Filium, et semper Spiritum sanctum esse, anathema sit.

XI. Si quis non dixerit Filium natum de Patre, id est, de divina substantia ipsius, anathema sit.

XII. Si quis non dixerit Verbum Domini Filium Dei Deum, sicut Deum Patrem ejus, et omnia posse, et omnia nosse, et Patri æqualem, anathema sit.

XIII. Si quis dixerit quod in carne constitutus Filius Dei, cum esset in terra, in cœlis cum Patre non erat, anathema sit.

XIV. Si quis dixerit quod in passione crucis dolorem sustinebat Filius Dei Deus, et non caro cum anima, quia indueral formam servi, quam sibi acceperat [1], sicut ait Scriptura, anathema sit.

XV. Si quis non dixerit quod in carne, quam assumpsit, sedet ad dexteram Patris, in qua venturus est judicare vivos et mortuos, anathema sit.

XVI. Si quis non dixerit Spiritum sanctum de patre esse vere et proprie, sicut Filius, de divina substantia, et Deum verum, anathema sit.

XVII. Si quis non dixerit omnia posse Spiritum sanctum, omnia nosse, et ubique esse, sicut Filium et Patrem, anathema sit.

XVIII. Si quis dixerit Spiritum sanctum facturam aut per Filium factum, anathema sit.

XIX. Si quis non dixerit omnia per Filium et Spiritum sanctum patrem fecisse, id est, visibilia et invisibilia, anathema sit.

XX. Si quis non dixerit Patris et Filii et Spirites sancti

[1] Philipp. II, 5.

unam divinitatem, potestatem, majestatem, potentiam, unam gloriam, dominationem, unum regnum atque unam voluntatem ac veritatem, anathema sit.

XXI. Si quis tres personas non dixerit veras Patris et Filii et Spiritus sancti, æquales, semper viventes, omnia continentes visibilia et invisibilia, omnia potentes, omnia judicantes, omnia vivificantes, omnia facientes, omnia quæ sunt salvanda salvantes, anathema sit.

XXII. Si quis non dixerit adorandum Spiritum sanctum ab omni creatura, sicut Filium et Patrem, anathema sit.

XXIII. Si quis de Patre et Filio bene senserit, de Spiritu autem sancto non recte habuerit, hæreticus est. Quod omnes hæretici de Filio Dei et Spiritu sancto male sentientes in perfidia Judæorum et Gentilium inveniuntur.

XXIV. Quod si quis patiatur, Deum Patrem dicens et Deum Filium ejus et Deum Spiritum sanctum, Deos dici, et non Deum propter unam divinitatem et potentiam, quam credimus esse et scimus Patris et Filii et Spiritus sancti; Deum subtrahens autem Filium aut Spiritum sanctum, ita solum existimet esse Deum Patrem, dici aut credi unum Deum, anathema sit. Nomen namque Deorum et Angelis et Sanctis omnibus a Deo est impositum et donatum; de Patre autem et Filio et Spiritu sancto solum baptizamur et non in Archangelorum nominibus aut Angelorum, quomodo hæretici, aut Judæi, aut etiam gentiles dementes faciunt. Hæc ergo est solus Christianorum, ut credentes Trinitati, id est, Patri et Filio et Spiritui sancto, in ea veram solamque unam divinitatem, et potentiam ac majestatem et substantiam eamdem sine dubio credamus, ut æternam attingere mereamur ad vitam.

EPISTOLA III.

Ad ACHOLIUM et alios Macedoniæ episcopos.

Maximi Cynici ordinatione damnatâ, Damasus Macedonas hortatur, ut in synodo proxime Constantinopoli celebranda dignus huic civitati præficiatur episcopus; ac majorum adversus episcoporum translationes statuta serventur.

Dilectissimis fratribus Acholio, Euridico, Severo, Uranio, Philippo, et Joanni Damasus.

I. Decursis litteris dilectionis vestræ, fratres charissimi, satis sum contristatus, eo tempore, quo, Deo præstante, hæretici iverant abjecti, nescio quos ex Ægypto venientes in postulatione contra regulam ecclesiasticæ disciplinæ alienum a nostra professione in Constantinopolitana civitate Cynicum ad sacerdotium vocare voluisse. Qui igitur is fuerit ardor animi, quam fœda præsumptio, scire non possumus. Hinc apparet inquietos homines, cum multa præsumunt, quid agere debeant ignorare. Non legerant Apostolum scribentem: « Vir autem, si comam nutriat, » ignominia est illi [1]. » Nesciebant philosophorum habitum non convenire incessui christiano. Non audierant monentem Apostolum, ne per philosophiam et inanem seductionem, quandiu crediderant, spoliarentur sanæ fidei indumento [2]. Quanta igitur hæc festinatio fuerit nescio, ut cum Christianis hic habitus displiceret, tam insolenter to·

[1] I Cor. XI, 14. — [2] Coloss. II, 8.

tum quod non decuerat ageretur? Sed quid aliud facere debuit improbitas hominum levissimorum, quam ut expulsi Ecclesia intra parietes alienos ambientem, quantum intelligi datur, inquietum hominem ordinarent? Sed hæc inimici intelliguntur esse commenta, qui hæreticis subministrat materiam detrahendi. Impletum est quod evangelicus sermo dixerat : « Omnis, inquit, plantatio, quam non » plantaverit Pater meus cœlestis, eradicabitur [1]. » Hoc est quod sæpe dilectionem vestram commonui, ne fieret aliquid inconsiderate. Nescit sinceritas vestra, quod in sæcularibus bellis ibi major cura militum excubat, ubi hostis insistit? Si ergo nobis episcopalibus armis semper est resistendum, debemus sollicite agere, ne, quod Deus prohibeat, gregem Christi lupis rapacibus relinquamus. Philosophia sapientiæ sæcularis amica, est inimica fidei, venenum quoddam spei, bellum gravissimum charitatis. « Qui ergo » consensus templo Dei et idolis? Quæ participatio Christo » et Belial [2]? »

II. Sed fortasse dicturi sunt aliqui, Christianus erat. Huic homini, qui in habitu idoli incedit, nunquam ascribendum nomen est Christiani; quia fieri non potest, ut qui hinc placere gentibus desiderat, ullum nobiscum consortium integræ fidei possit habere. Non immerito autem qui ex Ægypto venerant, notati ab omnibus discesserunt, errorem suum condemnantes; ut amputatis ejus postea capillis, qui non recte fuerat ordinatus, et jacturam capitis sustineret, et quod ambierat esse non possit. Recte igitur factum est, ut id quod male cœptum erat, auctoritate publica destrueretur.

III. De cætero commoneo sanctitatem vestram, ut quia cognovi dispositum esse, Constantinopoli concilium fieri debere, sinceritas vestra det operam, quemadmodum præ-

[1] Matth. xv, 13. — [2] 2 Cor. vi, 14, 15.

dictæ civitatis episcopus eligatur, qui nullam habeat reprehensionem : ut Deo propitio cum integra pax catholicorum sacerdotum fuerit confirmata, nullæ deinceps dissensiones in Ecclesia oriantur; ut, præstante Deo, quod jamdudum optavimus, cum catholicis sacerdotibus possit pax perpetua perdurare.

IV. Illud præterea commoneo dilectionem vestram, ne patiamini aliquem contra statuta majorum nostrorum de civitate alia ad aliam transduci, et deserere plebem sibi commissam, et ad alium populum per ambitionem transire. Tum enim contentiones oriuntur, tunc schismata graviora occipiunt; cum et illi, qui amiserint sacerdotem, sine dolore animi esse non possunt, et illi, qui alterius civitatis acceperint episcopum, etiamsi gaudeant, invidiosum sibi intelligunt fore, sub alieno se agere sacerdote.

EPISTOLA IV.

Ad ACHOLIUM Thessalonicensem episcopum.

Rusticius Gratiani Silentiarius commendatur, et confirmatur quod de Maximi ordinatione deque altero eligendo superiori epistola mandatum.

Dilectissimo fratri ACHOLIO DAMASUS.

1. Ad meritum filii mei Rustici addi aliquid amplius non potest, domine frater honorabilis. Hic enim cum habeat prærogativam officii sui, quod Silentiarius sit filii nostri Gratiani augusti, huc accedit, quod gratiam Dei Romæ consecutus est, ita ut vellet munitus ad illas partes

missus venire. Hinc ergo in omnibus honorificentiæ tuæ commodo quasi proprium pignus suscipere digneris; ut Deo propitio in peregrinatione constitutus, intelligat se a consacerdotibus Dei et diligi et honorari.

II. Ad litteras sanctitatis tuæ plene rescripsi, non mihi placuisse quod nescio quem maximum ex Ægypto venientes comatum, vel maxime cujus habitus, juxta Apostolum, ignominiosus esset [1], Constantinopoli episcopum ordinare voluissent. Rectius igitur fecerit sanctitas tua, si dederit operam et de cætero catholicus constituatur, cum quo nobis, Deo propitio, possit pax perpetua perdurare.

EPISTOLA V.

Synodica DAMASI episcopi Romæ contra Apollinarium et Timotheum scripta.

Timothei damnationem petentibus orientalibus, respondet eum cum impio dogmate suo jam a se damnatum, atque cum magistro suo Apollinario sedis apostolicæ judicio fuisse damnatum.

I. Quod debitam apostolicæ sedi reverentiam exhibet charitas vestra, in eo vobis ipsis plurimum præstatis, filii charissimi. Etsi enim maxime in sancta Ecclesia, in qua sanctus Apostolus sedens docuit, decet nos quodam modo clavum tenere, quem regendum suscepimus; tamen hoc honore inferiores nos esse profitemur, atque idcirco omnibus modis laboramus, ut, si fieri potest, ad beatitudinis illius gloriam perveniamus.

[1] Luc. xi, 26.

II. Scitote igitur quod profanum olim Timotheum, Apollinarii hæretici discipulum, cum impio ejus dogmate damnavimus; nec reliquias ejus deinceps ulla ratione valituras esse confidimus. Quod si antiquus ille serpens, semel atque iterum percussus, adhuc in suum supplicium reviviscit; quicumque ab Ecclesia extraneus est qui letalibus suis venenis quosdam infidelium assidue conatur inficere, hunc vos tanquam pestem quamdam declinate, et memores apostolicæ fidei, ejus maxime quæ Nicææ a Patribus scripto est exposita, firmo gradu stabiles in fide atque immobiles permanete, nec vaniloquia exoletasque quæstiones a clericis aut laïcis vestris in posterum audiri patiamini. Jam enim semel formam dedimus, ut qui se Christianum profitetur, id, quod ab Apostolis traditum est, custodiat; cum sanctus Paulus dicat : « Si quis vobis » evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit [1].» Christus enim filius Dei Dominus noster generi humano plenissimam salutem passione sua contulit ; ut totum hominem peccatorum nexibus implicatum, ab omni peccato liberaret. Hunc si quis humanitatem aut divinitatem imperfectam habuisse dixerit, is spiritu diaboli plenus, se filium gehennæ ostendit.

III. Quid igitur depositionem Timothei a me denuo postulatis, qui et hic judicio sedis apostolicæ, præsente etiam Petro Alexandrinæ urbis episcopo, depositus est una cum magistro suo Apollinario, et in die judicii debita supplicia ac tormenta patietur ? Quod si leviores quosdam homines in suam sententiam perducit, quasi spem aliquam habens, qui veram spem in Christum sua confessione mutavit ; cum illo pariter peribit, quisquis Ecclesiæ regulæ vult repugnare. Deus vos incolumes servet, filii charissimi.

[1] Marc. I, 24, et Luc. IV, 34.

SANCTI DAMASI PAPÆ.

CLASSIS II. — CARMINA.

CARMINA.

CARMEN I.

IN LAUDEM DAVIDIS.

Nunc Damasi monitis aures præbete benignas :
Sordibus depositis pugnant penetralia cordis,
Curia cum renovant Christo servire parati.
Prophetam Christi sanctum cognoscere debes.
Pastorem puerum multis e fratribus unum
Angelus ex ovibus rapuit, regemque dicavit,
Organa qui sciret manibus componere solus,
Psallere citharam populo cœlestia regna.
Ingentem, clypeoque gravi, frustraque minantem,
Impium, maledicum, phaleras ac tela gerentem,
Surdorum demens coleret qui templa deorum,
Mactavit saxo tereti, truncumque reliquit :
Judicioque Dei ingenti mox cæde peracta,

Monstravit populis, tulerat quæ ex hoste tropæa.
Nam Damasus scit, sancte tuos Deus, ipse triumphos.

CARMEN II.

DE CHRISTO.

Christe potens rerum, redeuntis conditor ævi,
Vox summi sensusque Dei, quem fundit ab alta
Mente Pater, tantique dedit consortia regni :
Impia tu nostræ domuisti crimina vitæ,
Passus corporea mundum vestire figura,
Affarique palam populos, hominemque fateri :
Quemque utero inclusum Mariæ, mox Numine viso,
Virginei tumuere sinus, innuptaque mater
Arcano obstupuit compleri viscera partu,
Auctorem paritura suum. Mortalia corda
Artificem texere poli ; mundique repertor
Pars fuit humani generis ; latuitque sub imo
Pectore, qui totum late complectitur orbem :
Et qui non spatiis terræ, non æquoris undis,
Nec capitur cœlo, parvos confluxit in artus.
Quin et supplicii nomen nexusque subisti,
Ut nos surriperes leto, mortemque fugares
Morte tua. Mox ætherias evectus in auras,
Purgata repetis lætum tellure Parentem.
Augustum foveas, festis ut sæpe diebus
Annua sinceri celebret jejunia sacri.

CARMEN III.

DE ASCENSIONE CHRISTI.

Ad sedem propriam Deus exule morte resurgit,
Ut vitam doceat credentibus esse futuram.
Angelus hoc verbum cecinit, quod uterque reportans
Sic venturus erit, sic Christum credere fas est.

CARMEN IV.

DE NOMINE JESU.

In rebus tantis Trina conjunctio mundI
Erigit humanum sensum laudare venustE.
Sola salus nobis et mundi summa potestaS
Venit peccati nodum dissolvere fructU.
Summa salus cunctis nituit per sæcula terriS.

CARMEN V.

DE NOMINE JESU.

Jure pari regnat communis conditor ævI,
Et cum Patre pia regnat sublimis in arcE;
Sidereo sanctis insidit numine regniS:
Unde mare et terras solo videat omnia nutU,
Suggerit humanis et donat munera rebuS.

CARMEN VI.

DE COGNOMENTIS SALVATORIS.

Spes, Via, Vita, Salus, Ratio, Sapientia, Lumen,
Judex, Porta, Gigas, Rex, Gemma, Propheta, Sacerdos,
Messias, Sabaoth, Rabbi, Sponsus, Mediator,
Virga, Columna, Manus, Petra, Filius, Emmanuëlque,
Vinea, Pastor, Ovis, Pax, Radix, Vitis, oliva,
Fons, Paries, Agnus, Vitulus, Leo, Propitiator.
Verbum, Homo, Rete, Lapis, Domus : omnia Christus Jesus.

CARMEN VII.

DE S. PAULO APOSTOLO.

Jamdudum Saulus, procerum præcepta secutus,
Cum Domino patrias vellet præponere leges,
Abnueret sanctos Christum laudare Prophetas,
Cædibus assiduis cuperet discerpere plebem,
Cum lacerat sanctæ matris pia fœdera cæcus :
Post tenebras verum meruit cognoscere lumen.
Tentatus sensit, posset quid gloria Christi.
Auribus ut Domini vocem lucemque recepit,
Composuit mores, Christi præcepta secutus.
Mutato placuit postquam de nomine Paulus,
Mira fides rerum? subito trans æthera cœli
Noscere promeruit, possent quid præmia vitæ.
Conscendit raptus martyr penetralia Christi :
Tertia lux cœli tenuit paradisus euntem :

Colloquiis Domini fruitur, secreta reservat.
Gentibus ac populis jussus prædicere vera,
Profundum penetrare maris, noctemque diemque
Visere, cui magnum satis est vixisse latentem
Verbera, vincla, famem, lapides, rabiemque ferarum,
Carceris illuviem, virgas, tormenta, catenas,
Naufragium, lacrymas, serpentis dira venena,
Stigmata non timuit portare in corpore Christi.
Credentes docuit possent quo vincere mortem.
Dignus amore Dei vivit per sæcla magister.
Versibus his breviter fateor, sanctissime doctor
Paule, tuos Damasus volui monstrare triumphos.

CARMEN VIII.

DE S. ANDREA APOSTOLO.

Decus sacrati nominis
  Vitamque nomine exprimens,
  Hoc te decorum prædicat
  Crucis beatæ gloria.
Andrea Christi apostole,
  Hoc ipso jam vocabulo
  Signaris isto nomine,
  Decorus idem mystice.
Quem crux ad alta provehit.
  Crux quem beata diligit
  Cui crux amara præparat
  Lucis futuræ gaudia.
In te crucis mysterium
  Cluit gemello stigmate,

Dum probra vincis per crucem,
Crucisque pandis sanguinem.
Jam nos foveto languidos,
Curamque nostri suscipe,
Qui per crucis victoriam
Cœli petamus patriam.

CARMEN IX.

IN SANCTORUM APOSTOLORUM CATACUMBAS.

Hic habitasse prius sanctos cognoscere debes,
Nomina quisque Petri pariter Paulique requiris.
Discipulos Oriens misit, quod sponte fatemur.
Sanguinis ob meritum Christumque per astra secuti,
Ætherios petiere sinus et regna piorum.
Roma suos potius meruit defendre cives.
Hæc Damasus vestras referat, nova sidera, laudes.

CARMEN X.

DE S. STEPHANO PAPA ET MARTYRE.

Tempore quo gladius secuit pia viscera matris,
Hic positus rector cœlestia jussa docebam.
Sed veniunt subito, rapiunt qui forte docentem;
Militibus missis populi tunc colla dedere.
Mox ubi cognovit Senior, qui tollere vellet

Palmam, seque suumque caput prior obtulit ipse,
Impatiens feritas posset ne lædere quemquam.
Ostendit Christus, reddit qui præmia vitæ,
Pastoris meritum : numerum gregis ipse tuetur.

CARMEN XI.

DE S. MARCELLO MARTYRE.

Veridicus rector, lapsus quia crimina flere
Prædixit miseris, fuit omnibus hostis amarus.
Hinc furor, hinc odium sequitur, discordia, lites,
Seditio, cædes, solvuntur fœdera pacis :
Crimen ob alterius Christum qui in pace negavit,
Finibus expulsus patriæ est feritate tyranni.
Hæc breviter Damasus voluit comperta referre,
Marcelli ut populus meritum cognoscere posset.

CARMEN XII.

DE S. EUSEBIO PAPA.

Heraclius vetuit lapsos peccata dolere :
Eusebius miseros docuit sua crimina flere.
Scinditur in partes populus gliscente furore.
Seditio, cædes, bellum, discordia, lites.
Exemplo pariter pulsi feritate tyranni.
Integra cum rector servaret fœdera pacis,
Pertulit exilium omnino sub judice lætus :
Littore Trinacrio mundum vitamque reliquit.

CARMEN XIII.

DE S. MARCO PAPA.

Vita fuit Marci, quam novimus omnes
Ore Dei posset qui temnere mundum;
Oravit populus quod disceret omnis,
Grandis honor vitæ contemptus habendi
Virtus tenuit penetralia cordis;
Te custos Christi perfectus amicus,
Et Damasus tumulum cum reddit honorem,
Hic Marcus, Marci vita, fide, nomine consors,
Et meritis.

CARMEN XIV.

DE S. LAURENTIO.

Verbera, carnifices, flammas, tormenta, catenas
    Vincere Laurenti sola fides potuit.
Hæc Damasus cumulat supplex altaria donis,
    Martyris egregium suspiciens meritum.

CARMEN XV.

DE S. FELICE.

Corpore, mente, animo, pariter de nomine Felix,
Sanctorum in numero Christi sacrate triumphis,

Qui ad te sollicite venientibus omnia præstas,
Nec quemquam pateris tristem repedare viantem,
Te duce servatus mortis quod vincula rupi,
Versibus his Damasus supplex tibi vota rependo.

CARMEN XVI.

VOTUM S. DAMASI.

Sanctorum, quicumque legis, venerare sepulcrum.
Nomina nec numerum potuit retinere vetustas.
Ornavit Damasus tumulum, cognoscite, rector.
Pro reditu cleri, Christo præstante, triumphans,
Martyribus sanctis reddit sua vota sacerdos.

CARMEN XVII.

DE S. EUTYCHIO.

Eutychius martyr crudelia jussa tyranni
Carnificiumque vias pariter tunc mille nocendi
Vincere quod potuit, monstravit gloria Christi.
Carceris illuviem sequitur nova pœna : per artus
Testarum fragmenta parant, ne somnus adiret.
Bisseni transiere dies, alimenta negantur.
Mittitur in barathrum : sanctus lavat omnia sanguis
Vulnera, quæ intulerat mortis metuenda potestas.
Nocte soporifera turbant insomnia mentem.

Ostendit latebra insontis quæ membra teneret :
Quæritur : inventus colitur, fovet, omnia præstat.
Expressit Damasus meritum. Venerare sepulcrum.

CARMEN XVIII.

DE S. TARSICIO.

Par meritum, quicumque legis, cognosce duorum,
Quis Damasus rector Titulos post præmia reddit.
Judaïcus populus Stephanum meliora monentem
Perculerat saxis, tulerat qui ex hoste tropæum.
Martyrium primus rapuit levita fidelis.
Tarsicium sanctum Christi sacramenta gerentem,
Cum male sana manus peteret vulgare profanis,
Ipse animam potius voluit dimittere cæsus,
Prodere quam canibus rabidis cœlestia membra.

CARMEN XIX.

DE S. GORGONIO.

Martyris hic tumulus magno sub vertice montis
Gorgonium retinet, servat qui altaria Christi.
Hic, quicumque venit, sanctorum limina quærat :
Inveniet vicina in sede habitare beatos,
Ad cœlum pariter pietas quos vexit euntes.

CARMEN XX.

DE S. SATURNINO MARTYRE.

Tempore, quo gladius secuit pia viscera matris,
Sanguine mutavit patriam, vitamque genusque
Romanum, civem sanctorum fecit origo.
Mira fides rerum, docuit post exitus ingens.
Cum lacerat pia membra, fremit Gratianus ut hostis :
Postea quam fellis vomuit concepta venena,
Cogere non potuit Christum te, sancte, negare :
Ipse tuis precibus meruit confessus abire.
Suppliciis hæc Damasi vox est : Venerare sepulcrum :
Solvere vota licet, castasque effundere preces;
Sancti Saturnini tumulus quia martyris hic est.

CARMEN XXI.

DE S. MAURO.

Martyris hic Mauri tumulus pia membra retentat,
Quem Damasus rector longo post tempore plebis
Ornavit supplex, cultu meliore decorans
Insontem puerum cui pœna nulla dejecti.

CARMEN XXII.

DE INCERTO MARTYRE GRÆCO.

Jamdudum quod ſama refert, te Græcia misit.
Sanguine mutasti patriam, civemque fratremque
Fecit amor legis, sancto pro nomine passus.
Incola nunc Domini, servas qui alteria Christi,
Ut Damasi precibus ſaveas, precor, inclyte martyr.

CARMEN XXIII.

DE SS. MARCELLINO ET PETRO.

Marcelline tuos, pariter Petre, nosse triumphos :
Percussor retulit Damaso mihi, cum puer essem,
Hæc tibi carnificem rabidum mandata dedisse,
Sentibus in mediis vestra ut tunc colla secaret,
Nec tumulum vestrum quisquam cognoscere posset :
Vos alacres vestris manibus mandasse sepulcra.
Candidulo occulte postquam jacuistis in antro,
Postea commonitam vestra pietate Lucillam,
Hic placuisse magis sanctissima condere membra.

CARMEN XXIV.

DE SANCTIS MARTYRIBUS FELICE ET ADAUCTO.

O semel atque iterum vero de nomine Felix,
Qui intemerata fide, contempto principe mundi,
Confessus Christum cœlestia regna petisti!
O vere pretiosa fides! cognoscite fratres;
Qui ad cœlum victor pariter properavit Adauctus.
Presbyter his Verus, Damaso rectore jubente,
Composuit tumulum, sanctorum limina adorans.

CARMEN XXV.

DE SANCTIS MARTYRIBUS NEREO ET ACHILLEO.

Militiæ nomen dederant, almumque gerebant
Officium pariter, spectantes jussa tyranni,
Præceptis pulsante metu servire parati.
Mira fides rerum! subito posuere furorem.
Conversi fugiunt, ducis impia castra relinquunt:
Projiciunt clypeos, phaleras et tela cruenta:
Confessi gaudent Christi portare triumphos.
Credite per Damasum, possit quid gloria Christi.

CARMEN XXVI.

DE SANCTIS MARTYRIBUS PROTO ET HYACINTHO.

Extremo tumulus latuit sub aggere montis :
Hunc Damasus monstrat, servat qui membra piorum.
Te Protum retinet melior sibi regia cœli.
Sanguine purpureo sequeris, Hyacinthe, probatus.
Germani fratres animis ingentibus ambo :
Hic victor meruit palmam ; prior ille coronam.

CARMEN XXVII.

DE SANCTIS MARTYRIBUS PROTO ET HYACINTHO.

Aspice descensum ; cernes mirabile factum :
Sanctorum monumenta vides patefacta sepulcris.
Martyris hic Proti tumulus jacet atque Hyacinthi :
Quem cum jamdudum tegeret mons, terra, caligo ;
Hoc Theodorus opus construxit presbyter, instans
Ut Domini plebem opera majora tenerent.

CARMEN XXVIII.

DE SANCTIS MARTYRIBUS CHRYSANTHO ET DARIA.

Hic votis paribus tumulum duo nomina servant
Chrysanti, Dariæ, nunc venerandus honor.
Effera quem rabies, neglecto jure sepulcri,
Sanctorum tumulos præda furentis erat.
Pauperis ex censu melius nunc ista resurgent,
Divite sed voto plus placitura Deo.
Plange tuum gens sæva nefas : periere furores :
Crevit in his templis per tua damna decus.

CARMEN XXIX.

DE S. AGNETE MARTYRE.

Fama refert sanctos dudum retulisse parentes
Agnen, cum lugubres cantus tuba concrepuisset,
Nutricis gremium subito liquisse puellam.
Sponte trucis calcasse minas rabiemque tyranni.
Urere cum flammis voluisset nobile corpus,
Viribus immensum parvis superasse timorem.
Nudaque profusum crinem per membra dedisse,
Ne Domini templum facies peritura videret.
O veneranda mihi, sanctum decus, alma, pudoris,
Ut Damasi precibus faveas, precor, inclyta Martyr.

CARMEN XXX.

DE S. AGATHA MARTYRE.

Martyris ecce dies Agathæ
 Virginis emicat eximiæ,
 Christus eam sibi qua sociat,
 Et diadema duplex decorat.
Stirpe decens, elegans specie,
 Sed magis actibus atque fide,
 Terrea prospera nil reputans,
 Jussa Dei sibi corde ligans.
Fortior hæc trucibusque viris
 Exposuit sua membra flagris :
 Pectore quam fuerit valido
 Torta mamilla docet patulo.
 Deliciæ cui carcer erat,
 Pastor ovem Petrus hanc recreat.
 Lætior inde magisque flagrans
 Cuncta flagella cucurrit ovans.
Ethnica turba rogum fugiens,
 Hujus et ipsa meretur opem :
 Quos fidei titulus decorat,
 His venerem magis ipsa premat.
Jam renidens quasi sponsa polo,
 Pro misero rogita Damaso.
 Sic tua festa coli faciat,
 Se celebrantibus ut faveat.

CARMEN XXXI.

EPITAPHIUM IRENES SORORIS.

Hoc tumulo sacrata Deo nunc membra quiescunt,
Hic soror est Damasi : nomen si quæris, Irene.
Voverat hæc sese Christo, cum vita maneret ;
Virginis ut meritum sanctus pudor ipse probaret.
Bis denas hyemes necdum compleverat ætas :
Egregios mores vitæ præcesserat ætas.
Propositum mentis pietas veneranda puellæ,
Magnificos fructus dederat melioribus annis.
Te germana soror, nostri nunc testis amoris,
Cum fugeret mundum, dederat mihi pignus honestum.
Quam sibi cum raperet melior tunc regia cœli,
Non timui mortem, cœlos quod libera adiret :
Sed dolui, fateor, consortia perdere vitæ.
Nunc veniente Deo nostri reminiscere virgo,
Ut tua per Dominum præstet mihi facula lumen.

CARMEN XXXII.

EPITAPHIUM PROJECTÆ.

Quid loquar aut sileam, prohibet dolor ipse fateri.
Hic tumulus lacrymas retinet, cognosce, parentum
Projectæ, fuerat primo quæ juncta marito,
Pulchra decore suo, solo contenta pudore.
Heu ! dilecta satis miseræ genitricis amore,

Accipe quid multis thalami post fœdera prima
Erepta ex oculis Flori genitoris abiit,
Ætheriam cupiens cœli conscendere lucem.
Hæc Damasus præstat cunctis solatia fletus.

VIXIT. ANN. XVI. M. X. DIES. XXV. DEP. III. KAL. JAN.
FL. MEROBAUDE. ET. FL. SATURNIN. CONSS.

CARMEN XXXIII.

DE SEPULCRO SUO.

Heic congesta jacet, quæris si, turba piorum :
Corpora sanctorum retinent veneranda sepulcra :
Sublimes animas rapuit sibi regia cœli.
Heic comites Xysti portant qui ex hoste tropæa :
Heic numerus procerum servat qui alteria Christi :
Heic positus longa vixit qui in pace sacerdos :
Heic confessores sancti quos Græcia misit :
Heic juvenes puerique, senes castique nepotes,
Quis mage virgineum placuit retinere pudorem,
Heic fateor Damasus volui mea condere membra :
Sed cineres timui sanctos vexare piorum.

CARMEN XXXIV.

EPITAPHIUM PAPÆ DAMASI QUOD SIBI EDIDIT IPSE.

Qui gradiens pelagi fluctus compressit amaros,
Vivere qui præstet morientia semina terræ,

Solvere qui potuit Lazaro sua vincula, mortis
Post tenebras, fratrem post tertia lumina solis
Ad superos iterum Mariæ donare sorori :
Post cineres Damasum faciet quia surgere credo.

CARMEN XXXV.

DE TEMPLO S. LAURENTII A S. DAMASO INSTAURATO.

Hinc pater, exceptor, lector, levita, sacerdos
Creverat hinc meritis, quoniam melioribus actis.
Hinc mihi provecto Christus, cui summa potestas,
Sedis apostolicæ voluit concedere honorem.
Archibis fateor volui nova condere tecta,
Addere præterea dextra lævaque columnas,
Quæ Damasi teneant proprium per sæcula nomen.

CARMEN XXXVI.

DE FONTIBUS VATICANIS.

Cingebant laties montem, teneroque meatu
Corpora multorum cineres atque ossa rigabant.
Non tulit hoc Damasus, communi lege sepultos
Post requiem tristes iterum persolvere pœnas.
Protinus aggressus magnum superare laborem,
Aggeris immensi dejecit culmina montis.
Intima sollicite scrutatus viscera terræ,

Siccavit totum quidquid madefecerat humor :
Invenit Fontem, præbet qui dona salutis.
Hæc curavit Mercurius levita fidelis.

CARMEN XXXVII.

AD FONTES.

Non hæc humanis opibus, non arte magistra,
Sed præstante Petro, cui tradita janua cœli est,
Antistes Christi composuit Damasus.
Una Petri sedes, unum verumque lavacrum :
Vincula tenent : Acbathius votum solvit.

FINIS.

ANNOTATIO.

Supersunt aliæ quædam S. Damasi ad S. Hieronymum Epistolæ, quas hic omittimus, quia locum melius obtinebunt inter opera S. Hieronymi, ita ut simul et quod quæritur et quod respondetur clarius appareat.

INDEX

TOMI QUADRAGESIMI PRIMI.

SANCTI EPHRÆM SYRI.

CLASSIS XIII. — DE VITA ASCETICA.

SERMONES PARÆNETICI AD MONACHOS ÆGYPTI.

CLASSIS XIV. — EPISTOLÆ.

CLASSIS XV. — PRECATIONES.

PRECATIONES AD DEUM.

PRECATIONES AD CHRISTUM.

PRECATIONES FERIALES.

PRECATIONES AD DEIPARAM.

CLASSIS XVI. — CANTICA ET HYMNI.

TITI BOSTRENSIS EPISCOPI

ADVERSUS MANICHÆOS.


LIBER I.

LIBER II.

LIBER III.

S. DAMASI PAPÆ.

CLASSIS I. — EPISTOLÆ.



CLASSIS II. — CARMINA.

EXPLICIT INDEX.

